


DIARIUM ITALICUM.

SIVE

MONUMENTORUM VETERUM, BIBLIOTHECARUM, MUSÆORUM, &c.

Notitiæ singulares in Itinerario Italico collectæ.

Additis schematibus ac figuris.

A R. P. D. BERNARDO DE MONTFAUCON, Monacho Benedictino, Congregationis Sancti Mauri.






PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON Typographiæ Regiæ Præfectum.

M. DCCII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



REGIÆ
CELSITUDINI
COSMI III.
MAGNI
HETRURIÆ DUCIS.



ON diu multumque mecum animo reputavi, cui maximè hæ Italicæ lucubrationes nuncupandæ veniant; e re nata enim, quandocumque talia mente

versarem, in te unum, REGIA CELSITUDO, *omnes quadrare rationes, te singulis primum objici deprehendebam; id gratitudo, id innatum tibi litteratorum quos impensè foves patrocinium, id alia omnia jura & officia exposcere videbantur. Cui enim hasce peregrinationis Italicæ meæ observationes offeram, quam tibi*, PRINCIPUM DECUS, *quo favente si quid tantilli pretii, si quid eruditis opportunum hoc in Diario compareat, id tuo beneficio atque humanitate exque bibliothecis ac musæis tuis magna ex parte emanat in lucem? Pro insita enim Mediceis Principibus in litterariæ rei studiosos beneficentia, thesauros hujusmodi patere mihi jussisti, nihil reliquisti inaccessum. Plerique sane fortunas gratulati sunt meas,*

cum, non data modo Laurentianæ illius adeundæ Bibliothecæ libera facultate; sed consignatis clavibus, in gaza illa litteraria versari me, ac pro lubito in penitiora ejusdem secreta penetrare conspicerent. Quid quod catalogum illum manuscriptorum a viris adprimè eruditis magno otio & sudore confectum, cujus unicum exemplar aderat, in manus deportari meas, & in Gallias usque; singularis sane adfectus & generosi illius quo polles animi specimen, in usum meum transmitti curasti? Quæ sane beneficia immortales gratias expetere, perennique memoriæ mandata oportere intelligo.

Nec mihi solummodo hæc sollicitudo incumbit, REGIA CELSITUDO, *neque unum me debitorem obnoxiumque*

referendo muneri censeo; in partem sane officii veniant oportet omnes per orbem eruditi, quorum commodis Laurentianas illas divitias profundere nihil hæsitas: quotquot enim eruditionis laude florent exteri, indigenæ; quique vigilias, otium, operamque litterarum cultui, litteratorum usui consecrarunt; iis faciles paras ad illam tantam supellectilem aditus; ratus indignum esse, tot tantosque tua majorumque cura ingenti peculio advectos codices, in pulvere ac tenebris latere, ab usuque publico removeri. Ea sane mente vellem esse quotquot bibliothecis manuscriptorum gaudent; quorum nonnulli augeri codicum pretium si lateant, minui si publico usui destinentur, incredibili mentis errore ducti, autumant: nam secus quam illi ar-

bitrantur, si reconditi quiescant, sibi, patronis, orbi litterario inutiles sunt; si publici juris fiant, domino sibique nomen, litterariæ rei lucem opemque ferunt.

Hæc egregiæ indolis animique vere regii specimina sunt. At quod mihi maximè stupori fuit, te PRINCIPUM DECUS, *late patentis florentissimique statûs regimine, ac sexcentis, quæ tot subditorum moderatorem necessario consequuntur, negotiis sollicitudinibusque obstrictum, litterarum in ditionis tuæ terris cultui, profectui tam sedulo prospicere, ut vel ex remotioribus terræ partibus viros omnis generis doctrina præditos, constitutis præmiis, Florentiam, Pisas evoces; quo subditorum ingenia, quod est Principum officium meo judicio vel ma-*

ximum, variis disciplinis institutisque probis, pro cujusque modo atque indole excolas. Nam uti sæpe amicis de conditione Italicarum rerum sciscitantibus significavi, in nulla Italiæ parte tot variis instructos disciplinis viros, tot linguarum Græcæ Hebraïcæque peritos offendi, quot in felicissimi tui status terris urbibusque: quod tibi uni, REGIA CELSITUDO, *referendum mecum putant sagaces quilibet rerum æstimatores. Non enim præmiis muneribusque solùm, vel accersitu virorum doctrinâ præstantium, ad studiorum aditum subditos allicis; sed exemplo ipse tuo, quod maximum ad virtutem incitamentum: omnia enim quæ Principem decent, adprimè calles: nihil te fugit eorum quæ latè regnantem tenere,*

eloqui,

eloqui, exequi conſentaneum eſt. Hinc dicta illa ſapientiæ plena, ex ore tuo veluti ſponte manantia; nimirum ut ait Regum Sapientiſſimus: In manu artificum opera laudabuntur, & Princeps populi in ſapientia ſermonis ſui. *Hinc ille cæleſtium rerum amor, quo fervere te, totumque teneri arguunt geſta, operaque ipſa teſtificantur, ut ſubditi in te uno, Dominum, patrem, Chriſtianæ vitæ exemplum ſuſpiciant. Hinc ille ædium tuarum ordo, diſciplinaque vivendi, quæ cæteris Principum curiis exemplum, perfectique inſtituti norma eſſe valeat; putas ſcilicet nihili eſſe has fluxas caducaſque opes, fortunas, ditiones, niſi ad perennem illam felicitatem dirigantur. Sic curas cogitationeſque omnes huc contuliſti, ut pietas*

cultusque Dei, purus inviolatusque domi, atque in subjectis tibi ipsius nutu ac consilio populis habeatur.

Tanto Principi, ut hasce quantulascumque schedas meas sisterem, non officium modo tot tantisque mihi collatis benevolentiæ signis susceptum; sed ipse, si fari liceat, adfectus urgebat, pari reverentia conjunctus; quo te vel a primo congressu tot virtutibus ornatum prosequutus sum: id unum exoptans ut eodem dignationis intuitu opusculum istud excipias, quo quamvis immerentem auctorem in conspectum admisisti.

Offerebat,

REGIÆ TUÆ CELSITUDINI,

Obsequentissimus addictissimusque
Frater BERNARDUS DE MONTFAUCON,
Monachus Benedictinus Congr. S. Mauri.



P R Æ F A T I O.



ON parva mihi in his concinnandis lucubrationibus ſollicitudo; nec unus amicorum animus, quorum conſiliis obtemperare, dictis obſequi antiquum mihi ſemper fuit: Multi namque omnia confertim, quæ quidem ad res Italicas pertinerent, litteris conſignare ſuadebant, ut ne a tritis quidem, ac recenſitu frequenti pervulgatis abſtinerem; rati opportunum lectori fore, ſparſa hinc & inde ſingula, ſive intacta hactenus, ſive obſervata plerumque, uno complexu tradita conſpicere: meque fateor totum ac pedibus, ut aiunt, in hanc ſententiam primitus veniſſe. At, ut vere δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, ab hoc conſilio tum aliorum ſuaſu, tum mea ipſe opinione ac ponderatione rerum deſcivi. Nam quantæ, quæſo, operæ fuiſſet, tot tantaſque res uno tomo complecti, etiam ſi quis notatu ſolùm digniores aggrederetur? Ad hæc nihil hodie vulgatius, quodque eruditorum ſtudiis ac vigiliis magis frequentetur, quam Italica monumenta, ut non ſine

nauſea atque faſtidio toties decantata, de integro recenſita quis videat. Hæc mihi ut gradum revocarem, ac novam inirem narrandi viam in cauſa fuere; ac dimiſſis iis quæ vulgi ore feruntur, & in diariis paſſim occurrunt, ignota ſolum aut minus nota proferre viſum, ut ab ipſo Diarii exordio profeſſus ſum.

Neque tamen mihi dicam impingi velim ſicubi ab hoc inſtituto paulum receſſi: quando enim ipſa narrationis ſeries ad nota efferenda vocavit, ſine ſcrupulo a priſtino conſilio deflexi: quod tamen perrarò evenit, atque ſic adtemperatè proviſum eſt, ut ſine lectoris tædio tum ex brevitate, tum quia tacta licet alicubi, quid novi ſemper ac inobſervati præferunt, percurri poſſe ſperarim.

In his autem obſervationibus primas tenent quæ Bibliothecas manuſcriptorum ſpectant, de quibus multa prænotanda veniunt. Primo enim monere juvat, me non omnium quotquot videre & evolvere licitum fuit bibliothecárum catalogos hoc in Diario conſignaſſe; ſed iis ſolum allatis quæ vel manuſcriptorum paucitate properantem non diu multumque detinerent, vel quæ a me carptim nec pro voto obſervatæ ſpatii modicum occuparent, prolixiores ad inſequentes tomos remiſi, Florentinas ſcilicet inſigniores, Romanas, Venetianas. In conficiendis autem catalogis non pari diligentia ſemper uti facultas fuit: nam vel urgente profectu, maturato opus cum eſſet, raptim ſolum codices luſtravi; vel etiam alicubi, quia non ita lubenter huic me labori vacare cernerent ii quorum in ditione bibliothecæ erant, ne diuturniores moræ a cœpto interpellari me ſuaderent, feſtinavi brevioremque iis operam dedi.

Codicum ætatem ex tractatione aſſidua, eorum maximè qui anni notam circumferunt, quales bene multi in Græcis præſertim offenduntur, pro modulo aſſignavi; iis uſus ſignis ac κριτηρίοις, quæ fuſius tomo ſequenti, prolatis ſingularum ætatum Græcis characteribus, aliiſque ad manuſcriptorum uſum opportunis, expendere animus eſt. Neque parem, uti jam dixi, iis operam ponere fas fuit, ſed pro tempore ac opportunitate. Sic ſubtilius adornatam vides Bibliothecarum Baſilianæ ac S. Mariæ Florentinæ, quam Chiggiæ ac Juſtinianeæ notitiam, quia ſcilicet non ad arbitrium ſemper, ſed pro temporis ratione aditûſque facultate rem geſſimus. Quod opus, quæve utilitas catalagorum hujuſmodi, non neſciunt quilibet litterarum cultores, ac cum primis qui veterum ſcriptorum operibus edendis vacant.

Auctorum nomina plerumque in codicibus variant: ſic p. 14. Cornutus de diis agens memoratur, qui in aliis codicibus Phornutus dicitur: In catalogo Bibliothecæ Laurentianæ qui penes me eſt ad Pluteum LX. legitur. *Cornuti qui alibi Phornutus, ſed hic ubique ſcribitur Cornutus ad Georgium de diis. Initium* ὦ παιδίον Γεώργιε. Finis συμμετρίαν διδασκομένων. In codicibus vero Colbertinis modo Cornutus modo Phornutus legitur; alibi vero Phrunutus vocatur. Ibidem legis, Eunapius de vita Philoſophorum. In codice quodam Laurentiano inſcribitur de vita Philoſophorum & Sophiſtarum. Unum de Sophiſtis Eunapii opuſculum novimus; ſed quia inter Sophiſtas multi Philoſophorum juxta atque Sophiſtarum nomine ſignantur, hinc factum ut de vitis modo Philoſophorum, modo Sophiſtarum, modo utrorum-

que inscribatur opus. P. 39. Theodori Antiocheni in prophetas opus enuntiamus, at ut paulo post monui, incertus hæreo utrum vox Ἀντιοχέος ex opinione a me adjecta fuerit, an in codice vere legatur; id solummodo adfirmare licet, in altero saltem codice, nam duo Venetiis hoc opus circumferunt, taceri nomen Antiocheni. Lambecius libro IV. p. 253. hoc opus memorat his verbis. *Theodori Antiocheni, Mopsuestiæ in Cilicia episcopi, qui circa annum Christi* 430. *aut paulo ante obiit, Expositio in duodecim Prophetas minores exstat in codice* CLXIII. P. 14. Proculus in Parmenidem in serie habetur, & paulopost idem Proculus in Euclidem. Hunc esse Proclum Platonis & Euclidis interpretem ne minimum dubii relinquitur, qui imperite ab amanuensi quodam *Proculus* enuntiatur: nam hosce codices Proculi in catalogo solùm vidi.

In variis Diarii locis alia quædam exstant, quæ rebus diligentiùs ponderatis hic explicanda. P. 11. codicem Arabici Lexici, *Camus* dicti, ut perrarum notavimus. Et est quidem in Italia rarus. Sed aliquot similes in Bibliothecis nostris circumferuntur.

P. 15. *Apomasaris Apotelesmatica*, Apomassares ille scriptor Arabs, Abumassar, sive Albumassar Arabicè nuncupatur, cujus versio ex Arabico duobus circiter hinc sæculis cusa Venetiis fuit.

P. 18. Codex Prudentii in Bibliotheca Regia exstat antiquior Ambrosiano, quem D. Johannes Mabillonius noster, peritus characterum veterum arbiter, ad v. circiter sæculum revocat.

Non Romanas modo, Mediolanenses, Venetianas & Florentinas bibliothecas adire primitus destinave-

ram, ſed etiam Calabrenſes & Sicilianas: nam iis in partibus feſtivam codicum Græcorum ſupereſſe copiam, non rumore nuntio, ſed narratu complurium fide dignorum accepi. Iis enim in locis cum non ita pridem Græcæ linguæ uſus obtinuerit; obſoletâ tandem ipſâ, libri multi Græci manuſcripti in Cœnobiorum Eccleſiarumque bibliothecis ſuperſunt inobſervati, intacti: Sed inſperatis neceſſitudinibus negotiiſque interpellatus, conſilium miſi. Et tamen operæ pretium eſſet iſtas in partes explorandi cauſa concedere: nam in remotis Calabriæ & a via publica diſſitis locis multi codices, ut compertum habui, cum blattis & tineis concertant, in dieſque pereunt, atque prophanis uſibus indignè abſumuntur. Per Venetianas item moras ſtimulante cohortanteque Eminent. Cardinali d'Etrées, litterarum bonarumque artium patrono, ad oras Dalmatiæ & Peloponneſi trajicere parabam. Non procul enim Epidauro Monaſterium Græcorum adeſt Græcis codicibus refertum: in variis item Peloponneſi locis codices etiamnum habentur, quos vili emere a Græcis in ſordiditate ac penuria degentibus in promtu ſit. At rerum Italicarum tumore, tumultuariaque temporum conditione interceptus avocatuſque a propoſitio fui.

Inſcriptiones bene multas Græcas, Latinas hic item comperies, quæ pars magna ineditæ ſunt, aliæ quidem editæ, ſed vitiis reſperſæ; ut e re fuerit ipſas caſtigatas emaculataſque proferre. Multo plures in ſchedis meis ſuperſunt, a me variis in locis urbibuſque erutæ, quæ vel anecdotæ, vel ſi publici juris ſint, plurimis in locis fœdatæ deformatæque: cujuſmodi non pau-

cæ apud Gruterum, Reinesium, Sponium cæterosque inscriptionum collectores deprehenduntur. In delectu porro earum quæ in Diario locum habent illas edendas duxi, quæ vel occasione quadam ad seriem narrationis accedunt, vel conspicuis in locis positæ peregrinantibus ad manum veniunt. Reliquas inscriptiones in sequentibus tomis edere animus: quamquam non desunt qui peroptent collectionem inscriptionum Græcarum Latinarumque integram parari; ubi cùm novæ quæque locum obtineant, tum jam pridem cusæ ad fidem marmorum resarciantur. Qua de re consulendi tempus aderit.

In Musæis itidem pleraque observavimus: At uti fere fit non optatam iis operam peregrinanti profiteri fas est; neque vacat expendere singula. Custodes siquidem qui unam exhibendi curam habent, repetitum frequenter officium non sine nausea & tædio exequentes, properantiùs quam e re foret lustranti munus obeunt.

Monumenta vetera & antiqua urbium ædificia diligentius exploravimus. In Romanis vero quæ longe cæteris præeunt numero, amplitudine & elegantia, magno nobis usui fuere schedæ Flaminii Vaccæ hactenus ineditæ, quæ ab annis plus centum in tenebris latuere. Et mirari sanè subit, hasce veterum monumentorum recensiones, queis Romana bene multa, intacta hactenus rudera, templa similiaque describuntur; neglectas fuisse; quando maximè à Floravante Martinello, non instrenuo antiquitatis indagatore laudatæ fuere, qui Martinellus earumdem schedarum compos, duas inde notulas eruit, nobisque omnia publicandi provinciam reliquit.

reliquit. Earum autem Flaminii ſchedarum nobis copiam fecit vir antiquitatis ſtudioſus de la Thuilliere noſtras, qui jamdiu Romæ ſedes habet. Præclara porro, & hucuſque inobſervata aperit nobis Flaminius, de oſtio majoris Palatii, de Templis Mithræ & Veneris Salluſtianæ, de via ſubterranea in Capitolino monte, de frontiſpicio Pantheonis, de Foro Trajani, deque aliis pene innumeris, templis, ſepulcris, veterum Romanorum monumentis, quæ quivis prudens lector, nec ſine voluptate ſpero animadverſurus eſt. Ex aliis quoque ſchedis anecdotis non pauca mutuati, occulta hactenus obſervatuque digna emiſimus in lucem: cujuſmodi illud eſt, de captivo qui manibus a tergo ligatis, ſubſtratus, calce equi M. Aurelii, qui nunc in Capitolio, terebatur, & alia bene multa.

Hæc item pauca in Diarii decurſu ampliori luce donanda ſunt.

P. 39. l. 24. *Sthrynes Philonis penuarius.* Intellige, Philonis filius: qui penuarius erat, non Philonis, ſed urbis, Cyzici videlicet.

P. 106. Ex quorumdam opinione diximus Bonifacium VIII. triplicem coronam ſeu tiaram invexiſſe. At recentiorem ejuſdem uſum eſſe probant peritiores, atque ex pictura Jotti Florentini, Bonifacii ævo confecta, exque figura ejuſdem in tumulo expreſſa, eadem qua Nicolaus quartus ejus deceſſor coronæ & mithræ formâ uſum commonſtrant. Sunt qui Urbanum V. triplicis coronæ auctorem efferant: quam item opinionem alii repudiant.

Diximus p. 143. ex Martialis hiſce verſibus,

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus
Et crescunt media pegmata celsa via
Invidiosa feri radiabant atria Regis,

erui, atrium Domus aureæ Neronis adversum fuisse stagno ejusdem, quod hodiernum Colisei locum occupabat. Quia scilicet Colossus unde Colosseo sive Coliseo nomen, prope Coliseum stetisse oportuit: pegmata item quæ theatrales sive Colisei spectaculis deputatæ machinæ, ex vulgari opinione, erant, proximè Coliseum constitisse consentaneum est: unde conficitur quo loco tum Colossus, tum pegmata collocata sunt, fuisse antea; ex adverso situm Coliseum. Secus tamen arbitratur vir quidam antiquariæ rei peritus; qui ex Spartiani loco adversam huic sententiam educi æstimat. *Fecit & sui nominis pontem*, sic Spartianus in Hadriano, *& sepulcrum juxta Tiberim: & ædem Bonæ Deæ transtulit, & Colossum stantem atque suspensum per Detrianum architectum de eo loco in quo nunc templum Urbis est, ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes* XXIIII. *exhiberet. Et quum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset, aliud tale, Apollodoro architecto auctore, facere Lunæ molitus est.* Hinc arguit ille, Colossum ante Hadriani ævum, atque Martialis tempore non ante Coliseum stetisse; Sed, ut habet Spartianus, quo loco postea templum Urbis constructum est; unde atria domûs aureæ quæ eodem, quo antea Colossus loco stabant; alibi quærenda. Ad hæc vero in nummis Titi in quorum postica Coliseum exprimitur, nusquam Colossus exhibetur; qui si adeo vicinus Coliseo fuisset

nequaquam omittendus erat in nummo. Quare existimat ille Colossum qui ante Hadriani ævum a Coliseo dissitum erat, ab eodem Hadriano deductum proxime Amphitheatrum Flavii. quod postea a Colosso Colosséi, indeque Colisei nomen mutuatum fuerit: Pegmata porro a Martiali memorata, non fuisse Amphitheatri usibus destinata arbitratur. Hæc scitè observata: verum non talia sunt quæ nos a pristina sententia prorsus dimoveant; nam quod habet Spartianus Colossum ante Hadriani tempus eo in loco fuisse quo deinde Templum Urbis excitatum est; opinioni sanè nostræ faveat, si quidem templum Urbis Romæ & Veneris, ab Hadriano structum, in hortis S. Mariæ novæ fuerit; quod ita certum esse pugnat Nardinus, ut se vel juramento adfirmare paratum dicat, templum Urbis Romæ & Veneris esse duos illos fornices qui in hortis S. Mariæ Novæ consistunt. Licet porro tantam Nardini confidentiam non omnino probemus, neque velimus fornices illos pro Veneris & Romæ templo indubitanter assignare; attamen vel in ipsis hortis vel e vicino positum fuisse arbitramur: nam templa olim Romæ, exigui quidem, ut plurimùm, ambitûs erant, sed supra fidem frequentia. Cum igitur Aurea domus quæ a Palatio Augustorum ad S. Petrum in vinculis tendebat, & arcum Titi, & S. Mariam novam ut ex situ liquet, & partem etiam hortorum occuparit, vero simile est atrium ejusdem domus in ipsis hortis fuisse, quo loco scilicet Colossus, ut habet Martialis, a Tito collocatus est, ac deinde excitatum ab Hadriano Urbis Romæ ac Veneris templum. Et advertas velim Hadrianum haud procul a pristino situ Colossum extu-

tulisse; sed ut construendo hujusmodi templo perquam minimi ambitûs, spatium & locum pararet, ab hujusmodi situ Colossum amovisse & proxime constituisse. Quod si pegmata ut vulgatior fert opinio machinæ fuerint pro spectaculis Amphitheatri; jam inde sententia nostra stabit. Siquidem Martialis ait, quo loco pegmata suo tempore erigebantur fuisse atria domûs aureæ, quæ scilicet pegmata proximè Amphitheatrum, ut promtior esset usus, erigi debuerant. Jam quod de nummo Titi dicitur parum vel nihil adminiculi sententiæ adversæ præbeat. Quid causæ namque fuerit quod vicina illa Amphitheatro monumenta quæ nihil ad Amphitheatrum pertinebant, cum ipsa Amphitheatri figura exprimerent? nihil sane inde inferatur. Horum tamen arbitrium prudenti lectori mittimus.

P. 162. Inscriptionem Consulatu Rustici & Olibri notatam diximus pertinere ad annum Christi 520. quo Rusticus Consul occurrit: at re diligentiùs explorata puto exprimi consulatum Rusticii & Olibrii qui in annum cadit 464. quod itidem asseritur voce subsequenti, *&) Herminerie.* nam anno subsequenti Consules erant Basiliscus & Herminericus, quorum hic Consulatus haud dubie enuntiari videtur.

P. 233. Potest fortasse *Sallustia* nomen mulieris esse quæ una cum Helpido statuam Veneri dedicarit: si hoc pacto intelligatur, nihil suppetit argumenti quo statuam illam Veneris, in templo ejusdem Sallustiano fuisse dicatur.

Biblia non pauca Ebraïca notavimus, quæ annum ad calcem præferunt: in iis Ambrosiana Hispali, ut fert inscriptio, exarata, quorum nota non parum ne-

gotii facessit : annus enim ibidem assignatur a creatione mundi 350. intellige לפרט קטן, id est, *secundum supputationem parvam.* Cui additi de more anni 1240. annum Christi exprimunt 1590. At vix putem tam recentem codicem. Sed ut planior difficultatis nodus evadat, non abs re erit commemorare Ebræos nonnumquam annos a creatione mundi juxta suam passim in Synagogis receptam supputationem annotare, adpositis millenariis; sic Biblia Vaticana anno mundi 5055. descripta feruntur p. 277. Codex Avicennæ Bononiæ, anno mundi 4946. conscriptus dicitur. Interdum vero tacitis millenariis, centenos solùm & subsequentes minores annorum numeros exprimunt, ut in Ambrosiano codice quo de nunc agitur, atque in bibliis Bononiensibus, quæ annum exhibent 953. subaudi quater millesimum nongentesimum quinquagesimum tertium. In Ambrosiano autem codice, qui annum mundi 350. præfert, adde millenarium & lege quinquies millesimum trecentesimum quinquagesimum. In hujusmodi igitur calculis secundum supputationem parvam, modo quatuor millenaria, modo quinque tacentur. In Ambrosiano autem codice non possunt quatuor millia annorum suppleri; sic enim anno Christi 590. conscripta fuissent hujusmodi biblia. Quæ sane ætas non potest Mediolanensi manuscripto competere, nullumque adeo vetustum in orbe comparet. Si vero suppleantur quinque millenaria, annus Christi 1590. uti diximus, exprimitur. Sed tam recentem codicem esse nullatenus æstimandum : alioquin me in numero errasse vix credam, nota enim perspicuis litteris descripta est; quare suspicor mendum amanuensis vitio-

irrepsisse. In Vaticano codice de quo p. 277. annus enuntiatur secundùm Ebræos 5055. id est Christi 1295. Et p. 402. Codex Avicennæ annum mundi præfert 4946. id est Christi 1186. non vero 1194. ut ibidem diximus. Et p. 406. pro anno mundi 953. juxta Ebraïcam supputationem scribe Christi 1193.

Emendationes Prologorum Trogi Pompeii ab eruditissimo & amicissimo viro Abbate de Longuerue, ex variis lectionibus codicum trium Romanorum quas ipsi ex Italia transmisimus, necnon duorum Colbertinorum concinnatas, ad calcem Diarii reposuimus. Usus ipse est editione Tanaquilli Fabri mirè fœdata & conspurcata, ut vix uspiam quid sanum occurrat; & castigatis erroribus propemodum infinitis, ad sanam emaculatamque prologorum editionem adornandam viam paravit. Jam diu Prologis Trogi castigandis incubuerat Bongarsius, qui primus eosdem in lucem protulit anno 1581. ut habet ipse in epistola ad Franciscum Rosæum ibidem cusa. *Reliqui erant*, ait, *in Pompeii historias Prologi, Latinè, arbitror numquam editi: e quibus stercoris plus exhausi, quam olim ex Augiæ cloacis Hercules ipse: Sed ita contaminata erant omnia, & fœdè conspurcata, ut cæteris historicis, tamquam auxiliaribus copiis inter medios hostes destitutus, coactus tandem sim, victus, manum dare.* Ad calcem tamen editi, ejusdem Bongarsii atque Francisci Modii notæ quædam exstant, queis prologorum pauca loca conjecturis resarciuntur, & sane quædam sat feliciter; alia inauspicatò, ita tamen ut multo plura quasi deplorata, intacta prætermittantur; sicque erudito viro totum restaurandi provincia devoluta: quod is na-

viter exſequutus eſt. Obſervatum porro velim nos in Bongarſianis notis ad Prologum libri 7. conjecturæ ejuſdem ſuffragari, qua *Illyriorum & Pœonum*, vult legi, ubi mſſ. quidam Pœnum, alii Pœnorum habebant, & ad Prologum libri 8. e re pro *electo Aryba*, conjectatur legendum *ejecto*.

Unum ſupereſt, ut videlicet, in grati animi obſequium, viros commemoremus, quorum gratia, patrocinio, opera uſi, negotium hoc litterarium in Italia geſſimus. Iis cum dignitate tum beneficiis præit, ſummus Pontifex CLEMENS XI. qui antequam ad ſupremum rerum apicem, omnium votis ac calculis, deveniret; ſtudiis ſemper noſtris favit; noſque gratia ſua, xeniis, aditu etiam, quod grave dictu eſt, exornavit. Demumque ſupremus Eccleſiæ Antiſtes creatus, pari nos ſemper dignatione ac benevolentia proſequutus eſt. Secundùm illum ſummas habemus gratias Eminent. Cardinalibus NORISIO & FERRARIO litterariæ rei cultoribus. Nec tacendus MAGLIABECCHIUS vir toto orbe clariſſimus, cujus officiorum haud infrequens in Diario mentio. Pariterque SALVINIUS litterarum maxime Græcarum peritia celebris, qui nobis ad nutum operam dedit. DUCCIUS itidem cui jam Laurentianæ Bibliothecæ cura demandata, is nobis ſemper adfuit, & ad votum in Gazam illam aditum munivit. Neque prætermittendus D. GUILLELMUS LA PARRE, jam Congregationis noſtræ Procurator Generalis, qui ad nutum ſemper Monumentorum ſchemata, ac notitias quæ uſu venerunt ſuppeditavit; pergitque in dies ſtudiis obſequi noſtris. His porro, Erudite lector, fruere, & lucubrationibus noſtris fave.

P. 450. Dum hanc Præfationem clauderem, acceſſit ſæpius laudati in Diarii decurſu Juſti Julii Fontanini notitia quædam de ſepulcro, quod nuper primo a porta Majori lapide deprehenſum eſt; eam hic addere viſum. Quo loco detecta urna fuit, eruta ſunt numiſmata non pauca, Valeriani, Maxentii & Conſtantini; unde firmatur opinio aliis fulta ſignis & conjecturis, videlicet aut Conſtantini ævo, aut poſt Conſtantinum confectam urnam fuiſſe: in qua ſcilicet labentis ſculptoriæ artis notam fabrile opus præfert. Proxime urnam jacebat ſequens inſcriptio:

IN HOC SEPVLCRO CONDITA
MAXIMILLA JACET CVJVS
MEMORIA DULCIS VT MANEAT
DIV FELIX KARAE COIVGI (ſic)
FECIT SVAE.





INDEX CAPITUM DIARII ITALICI.

C A P I T U M.

Explicit Index Capitum.

APPROBATION.

J'A y lû pour Monſeigneur le Chancelier un Manuſcrit, ſous le titre de *Diarium Italicum, ſive Notitiæ ſingulares veterum Monumentorum, Bibliothecarum, Muſæorum, &c. in Itinerario Italico collectæ.* Ce jourd'huy, treiziéme jour de Septembre mil ſept cens deux. Signé,

COUSIN.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; à nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Le Sieur JEAN ANISSON, l'un de nos Imprimeurs ordinaires, & Directeur de noſtre Imprimerie Royale; Nous ayant fait ſupplier de luy accorder nos Lettres de Privilege pour un Ouvrage du Pere D. Bernard de Montfaucon, Religieux Benedictin, de la Congregation de ſaint Maur, qu'il veut donner au Public, ſous le titre de *Diarium Italicum, ſive Notitiæ ſingulares veterum Monumentorum, Bibliothecarum, Muſæorum, &c. in Itinerario Italico collectæ*, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes,

ĩi

d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choisir, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy semblera, pendant le temps de dix années consecutives, à compter du jour de la date des Presentes, & de le vendre, ou faire vendre & distribuer par tout le Royaume; faisant deffenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer ledit Livre, sous quelque pretexte que ce soit, mesme d'impression étrangere & autrement, sans le consentement de l'Exposant ou de ses Ayans-cause, sur peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & interests: à la charge d'en mettre, avant de l'exposer en vente, deux Exemplaires en nostre Bibliotheque publique, un autre dans le cabinet des Livres de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Phelyppeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres; de faire imprimer ledit Livre dans nostre Royaume, & non ailleurs en beau caractere & papier, suivant ce qui est porté par les Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire enregistrer les Presentes és Registres de la Communauté des Libraires de nostre bonne Ville de Paris, le tout à peine de nullité d'icelles: Du contenu desquelles Nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant, ou ses Ayans-cause, pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens contraires. Voulons que la copie desdites Presentes qui sera imprimée au commencement ou à la fin dudit Livre, soit tenuë pour deuëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires foy soit ajoustée comme à l'Original: Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent, de faire pour l'execution des Presentes toutes Significations, Deffenses, Saisies, & autres Actes requis & necessaires, sans autre demander permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel est nostre plaisir.

scribi diplomatibus hactenus incertum fuit : liquet porro istud de quo agimus inter prima istiusmodi accensendum esse.

CAPUT V.

Bibliotheca Justinianæa. Biblia Coptica. Musæum Tarvisianum, ubi icones marmoreæ, Anaglypha, gladius antiquus æneâ laminâ, sigillum M. Aurelii & L. Veri, &c. inscriptiones, codices manuscripti.

DECIMA-NONA Augusti Procuratorem Julium Justinianum, τὸν μακαρίτην adimus, pium & doctum senem, multis reipublicæ muneribus perfunctum, quem penes codices manuscripti Græci, quot nusquam in Urbe exceptâ unâ S. Marci Bibliothecâ. Ibi in codicem Græcum incidi, in quo, epochæ more, anni notantur à fundatione Templi S. Sophiæ; novum calculi genus. In alio exstat Timothei cujusdam de hæresibus opus. Adest quoque commentarius Athanasii in Psalmos: cujus scriptor vel Athanasium ementitur, vel alius ὁμώνυμος est. Titulus. Βίβλος τοῦ προφητάνακτος Δαβίδ, καὶ θείου ὑμνογράφου. *Liber Prophetæ Regis, ac divini Hymnorum scriptoris Davidis.* Post hæc, ἐξήγησις τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου. *Expositio sancti patris nostri Athanasii.* Idem Commentarius est atque ille de quo in Ambrosiana supra. Aderat in musæo clariss. Patritii numismatum antiquorum festiva copia, quæ singulatim inspicere non vacavit per otium.

Narratu quorumdam acceperam adesse codices manuscriptos in Monasterio S. Georgii nostrorum Cassinensium, quos ut conveni, vix à limine Bibliothecam salutare concessum. Postremis istis otii Venetiani diebus, cum in bibliopolio quodam Biblia Coptica manuscripta quinque tomis offendissem, parvo ipsa ære coëmi. In iis Pentateuchus, Daniel qui rarus occurrit hac lingua, novum Testamentum totum cum Apocalypsi, quæ haud frequens est : reliqua desunt.

Quando semel musæa recensere aggressi sumus, Tarvisianum quod paucis Venetianis concedit, etsi frequentari à nobis anno solùm 1701. ceperit, huc reponere visum. Hujus nobis pro voto visendi copiam fecit vir nobilis & doctus Bernardus Tarvisia-

nus ex præclata & memini non nota Tarvisianorum familia. Comparent icones marmoreæ, cum integræ tum mediæ, quarum quædam perraræ, v. g. Marciana soror Trajani, Salonini caput cum humeris, aliæque non paucæ. In anaglypho quodam Epicurus ante larvam sedens conspicitur contemplantis more. In alio mulier, quæ globum sinistra tenens, dexteram aræ ardenti imponit, ibi inscriptio sequens legitur:

ΘΑΛΛΟΥΣΑ ΚΑΛΛΙΒΙΟΥ.

Id est: *Thallusa Callibii*, quo symbolo quid notetur haud facile auguramur.

In alio anaglypho mulier pomum aut quid simile puero tradit, inscribiturque.

ΖΩΣΙΜΟΣ

ΖΩΙΛΟΥ

ΜΙΛΗΣΙΟΣ.

Id est: *Zosimus Zoili fillius Milesius.* Videturque pueri nomen esse.

Singularius est aliud in quo vir nudus athleta equum manu tenet, pedibusque stat, cum hac inscriptione,

ΩΣ ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΟΝΤΟΣ.

Id est: *Utpote qui victoriam retulerit.* Factum scilicet in honorem hujusce athletæ, qui in ludo equestri vicerat.

Inter cætera gladius exhibetur ænea lamina atque acie, quæ ferri aciem ac duritiem æmulatur. Ære ut ferro usos antiquos non uno comprobatur exemplo: nam haud diu in portu Tiberino, dum maceries quasdam diruerent, inciderunt in clavos æneos durissima temperatura: quorum unus penes me est. Nihil apud Homerum frequentius quam arma & cuspides æneæ. Sic Odyss. α.

Εἵλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ
βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν.

Id est: *Accepit autem validam hastam munitam acuto ære gravem, ingentem, fortem, quà domat ordines virorum.*

Non ignoro multos esse qui æs hîc pro ferro usurpatum autument, nec ipsis repugnare animus est; at tamen si fides Hesiodo, fuit cùm ex ære arma cuderentur.

τοῦ Καρδινάλεως Παύλου τοῦ τρίτου μεγίστου ἀρχιερέως ἐγγονοῦ, καὶ Γ'λαρμου Συρλήτου τοῦ Καρδινάλεως ἐπιμελουμένου τῆς πολιτείας ὅλης τῆς μοναχικῆς, &c.

i. *Decimâ ſeptimâ menſis Boedromionis*, id eſt, *Martii juxta Græcos hodiernos, ab Incarnatione D. N. Jeſu Chriſti 1577. cum immaculata Dei Mater in ſacrario adhuc conſiſteret, in ſexta noctis cuſtodia, fulmen e cœlo decidit in ſacram turrem, ſeu, ut vocare ſolent, in campanile, ac contrivit diſſipavitque tecti partem, ac murorum priſcæ Eccleſiæ, quam deiferi & ter beati patres noſtri Nilus & Bartholomæus exſtruxerant. Deinde autem in ſacrarium penetravit, quod honoris ac decoris cauſa erga Deum omnipotentem, atque puriſſimam ejus matrem totum ornamentis ſplendebat: & multa quidem ornamenta labefactavit, ſed incorruptum Chriſti corpus, & ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ (imaginem) pertingere non auſum eſt.*

Anno ab ortu Domini 1581. Septembris 14. imperante Romæ ſanctiſſimo Pont. Pio V. (ſic) *Præfecto Monaſtrii Cryptæ Ferratæ, Alexandro Farneſio Card. Pauli III. ſummi Pontificis nepote, ac Guillelmo Sirleto Card. totam Monaſticam S. Baſilii diſciplinam curante &c.* Hinc ſequebantur nomina multa. Reliqua ad finem uſque, ubi de reſtauratione Eccleſiæ agebatur; de induſtria deleta ſunt. Eccleſia porro paulatim reſtaurata, ad hodiernam formam & elegantiam deducta eſt. Notes velim in codice mendum haberi, cum Pii V. tempore reſtituta fertur eccleſia anno 1581. Nam Pius V. anno 1572. obiit. Anno autem 1581. ſedebat Gregorius XIII.

Synaxarium porro cui hæc præfiguntur, cujuſque apographum a D. Joanne Guillotio Congregationis noſtræ Monacho deſcriptum, penes me habeo, ad uſum Monaſterii concinnatum, ritus complectitur atque cæremonias, in feſtivitatibus Sanctorum Græco more uſurpatas; neque ita multum diſcrepat ab aliis Græcorum Monachorum Synaxariis quæ in bibliothecis variis comparent. In reliquis Monaſterii codicibus, qui olim longe majore numero fuêre, hæc annotavi.

In codice XI. ſæculi membranaceo. *Joannis Chryſoſtomi* εἰς τὸν πειρασμὸν *in tentationem*, cujus init. Ἥλιος μὲν ὑπὲρ γῆς παρακύψας. Ejuſdem εἰς τὴν παρείσβασιν τῶν νηστειῶν, καὶ εἰς τὴν ἐξορίαν τοῦ Ἀδὰμ, τῇ κυριακῇ τῆς τυρινῆς id eſt, *in ingreſſum jejuniorum, & in expulſionem Adæ, Dominica Tyrimæ,* id eſt, qua licet

caſeo veſci. Ea ſcilicet Dominica quæ poſtrema ante Quadrageſimam apud Græcos eſt, ſolebat hæc Chryſoſtomi homilia in Eccleſia legi. Init. πρόκειται ἡμῖν, ἀγαπητοί, τράπεζα. Ejuſdem in Annuntiationem. Init. Ἀδελφοὶ βασιλικῶν μυστηρίων, &c.

In alio codice x. ſæculi membran. Aſcetica varia, in fine alia manu legitur nota ſequens. ἔτους ϛφϟβ ἰνδ. ζ Μαΐου μηνὸς κθ. ἡμέρα γ ὥρα γ. εἰσέβη ὁ Δοὺξ εἰς τὴν Ῥώμην καὶ ἐπόρθησεν αὐτήν. hoc eſt, *Anno mundi 6592. id eſt Chriſti 1084. indictione VII. menſis Maii 29. feria tertia, hora tertia, ingreſſus Dux Romam, ipſam depopulatus eſt.* Agitur hîc de expeditione Roberti Guiſcardi qui ingreſſus Romam, Gregorium VII. Papam eduxit ex carcere, Henricum Imperatorem expulit, Urbem in defectionis pœnam vaſtavit & incendit. Quæ Monachus iſte, quo tempore geſta ſunt, ad calcem codicis conſignavit: nam manus ſæculum XI. præfert.

Codex alius membranaceus perantiquus, in quo *Iſidori Peluſiotæ* epiſtolæ num. 1600. Ad calcem hæc leguntur: Μνήσθητι κύριε Ἰησοῦ τῷ γράψαντι Παύλῳ, (ſic) χαριζόμενος αὐτῷ ὑπομονὴν καὶ ταπείνωσιν, δι᾽ ὧν τῷ σῷ ἐλέει σωθῆναι δυνήσεται, εὐχαῖς τῷ ἐπιτρέψαντι πατρὶ κυρίῳ Νείλῳ, καὶ τοῖς ἀναγνῶναι μέλλουσιν ἐν τῇδε τῇ θεοπνεύστῳ βίβλῳ ἀμήν. ἥτις πεπλήρωται ἐν ϛυϟδ ἔτει μηνὶ Νοεμβρίῳ κζ. ϛ τῆς ἑβδομάδος ἡμέρᾳ. hoc eſt, *Memento Domine Jeſu, Pauli qui hæc ſcripſit, & largire ipſi patientiam & humilitatem, quibus, miſericordiâ tuâ interveniente, ſalutem conſequi valeat, precibus Patris domini Nili, qui hæc ſcribere juſſit, & eorum qui hunc librum afflante numine ſcriptum lecturi ſunt, amen. Is abſolutus fuit anno 6494. mundi, id eſt, Chriſti 986. menſis Novembris 27. feriâ hebdomadæ ſextâ.* Sub ipſis igitur Monaſterii primordiis codex, juſſu Nili fundatoris, exaratus eſt. Nullum vidi Iſidori Peluſiotæ codicem tantâ præſtantia & vetuſtate; cujus tamen, ut æſtimo, in Iſidori editis uſus fuit nullus.

Codex alius membranaceus antiquus operum S. *Maximi*, in cujus item fine, hæc ſcribæ manu adduntur. ἔτει ϛφ ἰνδ. ε Λουκᾶς ἡγούμενος μονῆς τῆς λεγομένης τοῦ ἁγίου πατρὸς Ζαχαρίου εἰς τὸ Μερκούριον, μηνὶ Νοεμβρίῳ εἰκάδι χρόνῳ δεκαμηνίῳ κεκοίμηται, ἡμέρᾳ σαββάτου, καὶ κέχωσται ἐν τῷ νάρθηκι τοῦ ἁγίου Ἀγγέλου ἐν τῷ λεγομένῳ Βαλλεκουκίῳ σὺν Βαρνάβᾳ τῷ ἡγουμένῳ, καὶ Νεοφύτῳ τῷ καλλιγράφῳ, καὶ Θεογνώστῳ τῷ πολυμαθεῖ, καὶ Ναυκρατίῳ, καὶ Ἀνδρέᾳ, καὶ Μαρκιανῷ, τοῖς ἀδελφοῖς, ὁ λεχθεὶς καὶ τὴν βίβλον ἔγραψε ταύτην, id eſt, *Anno mundi 6500. ſcilicet Chriſti 992. indictione quintâ, Lucas præfectus Monaſterii*

DONNE' à Fontainebleau, le premier jour d'Octobre, l'an de grace mil ſept cens deux, & de noſtre Regne le ſoixantiéme. *Par le Roy en ſon Conſeil*, LECOMTE.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, conformément aux Reglemens. A Paris, le ſixiéme jour d'Octobre mil ſept cens deux.

P. TRABOUILLET, *Syndic.*



Errata & observationes quædam.

IN Præfat. *p.* 1. *l.* 14. *lege*. Ponderatis rebus. *Ibid. p.* 5. *l.* 21 in ſordibus, *l.* 24. a propoſito.

In Diario. P. 2. *l.* 27. vigeſima ſeptima. *P.* 28. *l.* 21. Theodoricum. *P.* 56. *l.* 10. nos demerendi. *P.* 109. *in inſcriptione*, *lege* LICTORI. *P.* 131. *l.* 17. Jeſu. *P.* 146. *l. penult.* conjectabam. *P.* 148. *l. ult.* anno Chriſti 10. *P.* 149. *l.* 27. videtur. *P.* 158. *l.* 22. is ipſe eſſe. *P.* 266. *lin. penult.* ABASCANTO. *P.* 268. *l.* 20. *lege* SEMONI. *P.* 277. *l.* 4. Alexandri VIII. *Ibid. l.* 27. *lege* 1295. *P.* 279. *l.* 1. quæ. *P.* 302. *l.* 3. peſſum abeat. *P.* 323. *l.* 20. Diaconus, *lege* Preſbyter. *P.* 348. *l.* 30. publicorum. *P.* 362. *l.* 22. Chriſti 1332. *P.* 463. *l.* 17. mancus, *P.* 465. *l.* 30. & Aſiani Bactros.

Diximus codices mſſ. Demonſtrationis Evangelicæ Euſebii perraros eſſe : quod ſane verum. Sed obſervandum eſt ex iis qui pauci numero ſuperſunt, unum eſſe Regium membranaceum antiquum, ex quo alii omnes exſcripti, ut inde liquidum eſt; quod cum Regius ſit initio mutilus, alii omnes perinde mutili ab eadem voce incipiunt.

P. 310. Πινδάρῳ μὲν τῷ σοφῷ πρὸς λύραν. Hæc ſunt Commentaria Euſtathii in Dionyſium Periegetem, quibus præmittebantur nonnulla quæ avulſa ſunt.

DIARIUM



DIARIUM ITALICUM.

CAPUT PRIMUM.

Causa profectûs in Italiam. Templum Viennæ tegulis auratis. Pyramidale sepulcrum ibidem. Cryptæ S. Trophimi proxime Arelatem. Campi Elysii Arelatenses. Antiquitates Nemausenses, Dodecatheum, Domus quadra, Arenæ, &c. Pons Vardi. Cœnobium S. Victoris Massiliensis. Insula Lerinensis.



OST peractam S. Athanasii editionem, quia ex usu frequenti animadverteram nonnisi lustratis Italiæ Bibliothecis postremam posse Græcis Patribus manum admoveri, accedente Præfectorum Congregationis nostræ concessu, cum D. Paulo Brioys studiorum socio eò destinamus cursum. Accisis quippe Græcorum rebus, in primisque post excidium Constantinopolitanum, plerique omnes litterarum cultores Græci cum ampla codicum supellectile in Italiam se proripuerunt. Etsi porro nobis princeps isthæc fuerit migrationis causa, ut ope manuscriptorum, SS. Patrum anecdota eruere possemus, & sarcire si quid peccatum in

priſcis editis eſt; religio tamen fuiſſet ab aliis abſtinere. Enimverò ut cordi erat pro viribus litteratorum inſervire commodis; ita quidquid ad litteras promovendas occurrit Græcè, Latinè, ſicubi licitum fuit, exſcripſimus.

Neque vero me fefellit ſpes bene gerendæ rei; imo exitu meliore quam ſperabam, præterque opinionem multorum, in ſatis amplam meſſem injecimus falcem; nam & Græcorum Patrum bene multa anecdota e ſitu atque tenebris vindicavimus, quorum magna pars pretioſa, nec parvi ad rem litterariam Eccleſiaſticam uſûs. Ad hæc autem, alia antiquitatis monumenta magno numero cùm ex Bibliothecis atque Muſæis, tum ex marmoribus eruimus, chronica, hiſtorias, diplomata utrâque linguâ, Bibliothecarum notas, mſſ. ſcilicet, inſcriptiones, Abraxeas figuras, & alia id genus quæ pariter publico deſtinantur uſui.

In hoc autem primo Monumentorum Tomo hoc ritu procedimus. A tritis & vulgatis, quæ paſſim in Itinerariis feruntur, prorſus abſtinemus: nec niſi ignota, aut ſecus quam exſtant obſervata, aut quæ carptim recenſita ſunt commemoramus. Ex Muſæis atque Bibliothecis ea ſolùm adferimus, quæ Diarii hujuſce ratio capere valeat; alia mittimus in ſequentes Tomos. Inſcriptiones ſi quæ obviæ & conſpicuæ peregrinantibus occurrunt, aut ad ſeriem narrationis ſpectant, illas dumtaxat in Diario exaramus, quando ſcilicet aut anecdotæ, aut cum mendis inſignibus cuſæ ſunt: reliquas ſuo loco. Hæc monitum Lectorem volui.

ANno igitur 1698. 18. Maii cum D. Paulo Brioys, Congregationis noſtræ Monacho, itineris ac ſtudiorum ſocio, Lugdunum proficiſcimur; hinc vigeſima ejuſdem menſis Viennam petimus, ſiſtimuſque nonnihil ſpectandis Urbis monumentis; in queis duo libet commemorare, quia eximiæ ſingularitatis ſunt. Viſitur lapis inſculptus hiſce.

DD. FLAMINICA VIENNAE
TEGULAS AENEAS AURATAS
CUM CARPUSCULIS ET
VESTITURIS BASIUM ET SIGNA
CASTORIS ET POLLUCIS CUM EQUIS
ET SIGNA HERCULIS ET MERCURI.
D. S. D. *de ſuo dedit.*

Primæ litteræ DD. vel nomen matronæ tantum munus offerentis indicant, vel, *Domui divinæ. Flaminica*, id est, Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium: de qua Pompeius Festus: *Flameo vestimento Flaminica utebatur, id est, dialis uxor, cui telum fulminis eodem erat colore.* Notatu dignæ illæ tegulæ æneæ auratæ, quæ Flaminicæ munificentiam commendant. *Carpusculis*, forte significantur capitellorum ornamenta, insculpta nonnumquam fructibus, Græcè, καρπὸς, *fructus*, unde fortasse *Carpusculum*. Indicatur ergo tam capitella, quam bases laminis æneis auratis fuisse vestitas. *Vide Reines. num. 85. & 160.*

Haud procul fluminis ora, mausoleum est qua forma nusquam aliàs vidi. Quatuor pilis quibus hærent columnæ Hetrusco ordine, media solum parte prominentes, decussatus fornix sustentatur, altitudine pedum plus minus octodecim, fastigiatus pyramide pedum plus triginta. In fornicis medio exstat lapis oblongus ad humani corporis staturam, cui fortasse impositi cineres sunt.

Ab ima parte latera singula duodecim circiter pedes obtinent. Mausoleum totum quinquaginta plus minus pedibus altum lectori exhibemus.



Vigeſima-tertiâ ejuſdem menſis Avenionem devenimus. Hinc ad Monaſterium S. Andreæ, ubi à D. Jacobo la Gorree Priore excipimur urbane. Eſt ibidem ad alteram ſcilicet fluminis oram Cartuſianorum Cœnobium excitatum & pinguiſſimis fundis ditatum ab Innocentio VI. ſummo Pont. Hujus *caſula* viſitur in theſauro, formâ ad circinum rotunda, in cujus centro foramen eſt inſerendo capiti, in anteriore parte crux acu depicta. Ibidem in ſacello quodam ejuſdem Pontificis oſſa quieſcunt, Sepulcrum conſpicitur opere rudi.

Primâ Junii Arelatem venitur, atque à D. Ludovico Ferrerio qui cœnobio præerat, veteris amicitiæ nomine, nullis non beneficiis ornamur. Illo comite ad inſigne Monaſterium Montis Majoris pergimus ſecunda Junii. In declivi montis viſuntur cryptæ ſubterraneæ, eſtque opinio iſtic latuiſſe S. Trophimum Apoſtolorum diſcipulum: monſtrantur latebræ & altare, in quo ſacrum feciſſe, itemque locus ubi accedenti populo quaſi e ſuggeſtu verbum Dei prædicaſſe fertur. Proximè Monaſterium eſt antiquiſſima Capella S. Crucis in qua iſthæc inſcriptio legitur.

Noverint univerſi quod cùm Sereniſſimus Princeps Carolus Magnus Francorum Rex civitatem Arelatem, quæ ab infidelibus detinebatur, obſediſſet; & ipſam vi armorum cepiſſet, & Saraceni in eadem exiſtentes pro majori parte aufugiſſent in montana Montis-majoris, & ibidem ſe retraxiſſent, & in eadem ſe muniſſent, & idem Rex cum exercitu ſuo veniſſet pro ipſis debellandis, triumphum de ipſis obtinuiſſet, & de ipſo gratias Deo agendo, in ſignum hujuſmodi victoriæ præſentem eccleſiam in honorem Sanctæ Crucis dedicari fecit: & præſens Monaſterium in honorem Sancti Petri Apoſtolorum principis dedicatum, quod ab ipſis infidelibus penitus deſtructum fuerat, & inhabitabile redactum, idem Rex ipſum reparavit & reædificavit, & Monachos ibidem pro ſerviendo Deo venire fecit, & ipſum dotavit, & plura dona eidem contulit: in quo quidem Monaſterio plures de Francia ibidem debellantes ſepulti ſunt. Ideo fratres orate pro eis.

Quæ quidem inſcriptio ſi cujuſpiam auctoritatis eſſet, inſignem nobis Caroli magni victoriam aperiret; at ſi quid hac in re uſûs ineſt nobis, decimo tertio tantum ſæculo deſcripta, ut ex characteris genere liquet, nullius pretii eſt, cum maximè veræ geſtarum rerum hiſtoriæ repugnet.

Campos ut vocant Elyſios ad conventum Minimorum adiimus, ibi ſepulcra antiqua bene multa, & in Conventu inſcriptiones ſpar-

ſim poſitæ, hanc ego ad malluvium deſcripſi, quæ apud Gruterum vitiata legitur.

D. M.
M. POMPEI.
PARATI.
Θ ANN. V.
M. VIIII. DXIIX.
POMP. * MYPISMUS.
FIL. DULCISSIMO.
ERGA SE PIENTISS.

* *ſic.*

Littera autem Θ ſignum mortis erat ex Perſio & Martiali, quia in nomine Θάνατος prima eſt.

Noſti mortiferum quæſtoris Caſtrice ſignum,
Eſt operæ pretium diſcere Theta novum.

Hinc ad cryptam ducimur, ubi ferunt miraculum eſſe perpetuum. Tria ſepulcra alterum alteri impoſita ſunt: quod medium occupat, vacuis aliis, aquam perennem habet modo plus modo minus pro incremento & decremento lunæ. Id prodigii in honorem S. Concordii fieri narrant : fides eſto penes auctores. Ipſa die viſimus D. Marcellum Toloſatem, editis jam opuſculis notum, qui hiſtoriam parat Arelatenſem , ubi omnia antiquitatis monumenta, inſcriptiones , anaglypha , recenſebuntur accurate.

Nemauſum quarta Junii profecti, antiquitatum veſtigia luſtramus. Et primò Templum, ut putant, Dianæ ad extremum Urbis , ſemirutum , quod ab altero ſolùm latere erectum ſupereſt. Pantheonem eſſe lubens credam, quia in delubro duodecim apſidulæ erant, totidem ſimulacris numinum. Fuerit igitur δωδεκάθεον, ſive *Templum duodecim deorum*, ut habet Pſeudathanaſius in hiſtoria Melchiſedechi. Ignorat nemo ab antiquis duodecim Deos, quaſi primarios præcipuoſque cultos, ut habet Herodotus in Euterpe; hinc Chryſoſtomus ait, Alexandrum Macedonem victoriis inflatum in animo habuiſſe, ſe τρισκαιδέκατον θεὸν *tertium decimum Deum* proclamare : & quidam alius , *Cælus hic in quo duodecim dii habitant.* Suetonius demum in Auguſto: *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo* δωδεκάθεος

vocabatur; in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum. Erantque duodecim deorum nomina ex Ennio.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quadratam quoque domum, ut vocant, visimus, ab Imperatore Hadriano, ut aiunt, in honorem Plotinæ Augustæ Trajani uxoris constructam. Templum opere eleganti, columnis scitè & affabrè elaboratis ornatum undique: nihil concinnius capitellis. Acceditque ædificium ad genus illud quod Pseudodipteron vocabant, olim Romæ frequentissimum, sed paucissima hujusmodi supersunt hodie. Dipteron vocabant Templum duobus columnarum ordinibus in exteriore ambitu instructum, ut alæ binæ sive porticus circumquaque essent. Pseudodipteron autem inventum Hermogenis, sublato interiore columnarum ordine, unâ porticu circum, sed ampliore, gaudebat. In hoc sane Templo columnæ in frontispicio porticûs more concinnatæ sunt; at in lateribus, perinde atque in Ecclesia S. Mariæ Ægyptiacæ Romæ, media solùm parte è muro prominent, quo fit ut Pseudodipteron vocari non queat. Ædificium paucis hinc annis concessum Augustinianis fuit.

De Arenis sive Amphitheatro multa dicta sunt. Nullum vidimus tam integrum; estque columnis & anaglyphis ornatum. Impetratum autem à consuetudine fuit ut à parte, scilicet à campo interiore, qui *arenæ* vocabatur, totum Amphitheatrum arenæ audiret. Arenæ porro nomen campo inditum, quia arenâ ante ludos & pugnas conspergebatur. Sic quidam: *Subinde intraverunt duo Æthiopes capillati cum pusillis utribus, quales solent esse qui arenam in Amphitheatro spargunt.*

In supercilio montis Urbi imminentis est turris perantiqua, *Turrim magnam* vocant incolæ; quam alii pharum fuisse, quia inde facilis prospectus maris; alii ærarium dicunt: at sepulcrum æstimarim, qualia proximè urbes olim excitabantur. Sparsim per urbem aquilæ præciso capite visuntur; traduntque Gotthos cum in Occitaniam irruptionem fecissent & Nemausum cepissent, aliud nihil cladis intulisse urbi, quam quod in signum devicti populi Romani, aquilas capite minuerent, quia insigne erat Romanorum olim domitorum orbis. Antiquissimæ urbis historiam parat. V. Cl.

Paulianus Nemausensis, vir doctus, qui omnia antiquitatum vestigia adferet & explicabit.

Eadem Die Regius Urbis Advocatus magnæ molis codicem XIII. sæculo scriptum obtulit nobis evolvendum. Estque collectio locorum S. Augustini ex variis ejus operibus, pro expositione Epistolarum D. Pauli : opus Bedæ primò adscriptum, exindeque Flori cujusdam esse compertum fuit, ut memorant nostri in editione operum S. Augustini. Librum tegit antiquius diploma Bernardi Comitis Ceritaniensis, quod quia nondum editum fuit, & singulare quidpiam præfert, hîc locum habeat.

*In nomine Domini. Notum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Bernardus * Wilelmi , Dei gratia Comes Ceritaniensis , considerans peccatorum meorum cumulum, & pro animabus Patris & Matris meæ & omnium parentum meorum, dono Domino Deo, & Sanctæ Mariæ Monasterii Crassæ illud Monasterium Sancti Martini de * Canegu cum omnibus pertinentiis suis, quod Guifredus atavus meus fecit in remissionem peccatorum suorum; tali videlicet tenore ut Abbas Sanctæ Mariæ Crassæ vel successores ejus semper ibi Abbatem mittat de Congregatione Sanctæ Mariæ Crassæ, qui ordinem ibi tenere faciat secundum regulam Sancti Benedicti. Ideo autem hoc facio, quia suprascriptus locus Sancti Martini hactenus à sæcularibus Monachis valde dissipatus est, qui etiam omnia bona ipsius domûs interiora & exteriora tanquam negligentes & nullam religionis regulam observantes male tractaverunt: & ut fideliter emendetur & regulariter instituatur, sicut supra dictum est , dono & laudo supradictum Monasterium Domino Deo & sanctæ Mariæ Crassæ & Abbati & Monachis & successoribus ejus in perpetuum. Et hoc facio cum consilio bonorum nostrorum hominum , & cum consilio Petri Episcopi Elnensis & Clericorum ejus. Facta scriptura concessionis est & donationis nec non & confirmationis II^a Mensis Februarii anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quarto , regnante Ludovico Rege. Sig + um Bernardi Dei gratia Ceritaniensis comitis. Sig + um Petri Episcopi Elnensis. Sig + um Berengarii Arnaldi de Sono. Sig + um Raymondi Guillhelmi de Eveg. Sig + um Poncii Prioris Sanctæ Mariæ Corneliani , Sig + um Petri Arnaldi stabularii, Sig + um Ermengaudi Arnaldi , Sig + um Raymondi Petri , Sig + um Raymondi Sidonis , Sig + um* RAYMONDI * COMES BARCHINONENSIS. *Sig + um Dulciæ Comitissæ uxoris ejus. Sig + a Raymondi & Berengarii filiorum suorum.*

* sic.

* Canigo.

Ad 4. Crucis angulos totidem puncta sunt. Lege *Signum.*

* sic.

Sig ✠ um Geraldi Poncii Vice-Comitis Gerundensis, Sig ✠ um Bernardi Berengarii de Petra Pertusa, Sig ✠ um Dalmatii Vice-Comitis de Bergueda. Sig ✠ um Gaufferandi de Salas. Sig ✠ um Raiambaldi de Bessola, Poncius Monachus scripsit die & anno quo supr.

In Appendice ad Marcam Hispanicam p. 1331. adfertur Bulla Alexandri III. adversus Abbatem Canigonensem, debitam Abbati Crassensi obsequentiam denegantem, quæ hoc diplomate illustratur.

Hinc ad Vardi pontem famosissimum iter habemus: in cujus vicinia ad limen pandochei sequentem inscriptionem maxima sui parte mutilam eruimus.

..... LIGGOR.
..... AMMONIS.
.. APOLLI. V. S. L. M. i. *Votum solvit lubens merito.*

De Vardi ponte à multis jam neque segniter actum est; ignoratque nemo Vardi amnis ripas in præcipiti positas ponte sex arcubus constructo jungi, erigique exinde undecim arcus majore sublimitate qui partim in ipsis arcuum inferiorum pilis, partim in acclivi riparum fundantur; atque huic secundo ordini imponi tertium arcuum minorum numero triginta quinque qui verticem utriusque montis æquat & aquæductum habet impositum. Inter arcus secundi ordinis in sublimi animadvertimus animalculi figuram sculptam formâ ceu leporis. Alicubi insculptæ visuntur tres litteræ, A. E. A. quas alii *Augustus & Agrippa* explicatas volunt, & pugnant fuisse pontis auctores; alii *Aqua emissa Amphitheatro*, alii nomen artificis designare augurantur. Sed hæ conjecturæ sunt, quarum nullam coarguas, nulli adstipulere.

Aquas-sextias exinde petimus, & V. Cl. Pagio τῷ μακαρίτῃ dudum nobis familiari supremum vale dicimus. Is historiæ Baronii criticæ haud ita pridem extremam manum posuerat, constatque totum opus quatuor tomis in folio, quorum unus dumtaxat publici juris est. Idem non diu post diem obiit.

Massiliæ aliquot diebus exspectamus opportunitatem solvendi, visimusque cœnobium S. Victoris, cujus Ecclesia remotissimæ antiquitatis speciem præfert, spississimis columnis fulta. In altari quodam monstrant caput Cassiani, quem in album Sanctorum referunt Massilienses. Is est celeberrimus Institutionum & Collationum auctor qui fertur Abbas S. Victoris fuisse. In alio sacello

caput

caput S. Victoris titularis. In ſubterranea Eccleſia exſtant ſepulcra Caſſiani, S. Mauritii Thebéæ legionis præfecti, S. Euſebii & ſociorum, S. Iſarni. Monſtratur crux S. Andreæ, ut putant, laminis argenteis obducta, angulis rectis, æqualibus brachiis. Crypta ibidem viſitur, in quam ferunt Mariam Magdalenam poſt ſuum Maſſiliam appulſum ſe recepiſſe.

Vigeſima Junii ſolvimus comite Philippo Bulifonio Neapolitano, bene morato juvene, & plus quam ætas ferret erudito, qui comes itineris Italici deinceps fuit. Die vero S. Joannis Baptiſtæ cymbâ Lerinenſem inſulam petimus, appellimuſque inter ſaxa & anfractus. *Planaſia* vocatur à Strabone, eſtque figurâ pene ovali oblongâ, ambitûs duorum milliarium, amœno conſpectu, angulos habens acutos ad Orientem & Occidentem, pinetis veſtitos. Interfluit ſeu Euripus quidam 600. paſſuum, qui Leronem à Lerina dirimit: eſt autem Lerina à meridie Leronis. Hîc animalia venenata nulla, quod S. Honorati precibus conceſſum tradunt. Inſulam enim priùs horridam & incultam, prior frequentavit S. Honoratus anno Chriſti circiter 370. Exinde ſemper à Monachis culta, demum Ordini S. Benedicti ceſſit. Ad Monaſterium exinde pergimus in meridionali ora ſitum, quod jam Congregationi Caſſinenſi junctum eſt. Eſt turris præalta, ſatis ampla, fortiſſimo muro ſtructa, ut una Monaſterii & arcis loco eſſe poſſit. Adventat quotidie ex præſidio S. Margaritæ militum manus ad loci cuſtodiam: in turri exſtant omnia loca, ut vocant, *regularia*, Periſtylium inferius & ſuperius, Triclinium ad menſam, Eccleſia, Capitulum, Cellæ Monachorum, Bibliotheca. In aditu ad ſacellum Sanctæ Crucis in Clauſtro legitur ſequens inſcriptio 300. circiter annorum.

HÆC EST CAPELLA SCE. ✝ i. *Sanctæ Crucis.*
QUÆ APPELLATUR SANCTA SANCTORUM,
PROPTER RECONDITAS INIBI RELIQUIAS
SANCTORUM * UZ HONORATI, AYGULPHI * i. *Videlicet;*
MARTYRIS, ANTONII, ET PLURIMORUM
ALIORUM SANCTORUM.

S. Honorati reliquiæ Arelate, cujus Epiſcopus erat, Lerinam tranſlatæ ſunt anno 1391. Hujus S. Honorati nomen ſortita inſula eſt. Viſitur iſthic in Sacriſtia caput ejuſdem S. Honorati, reliquiæ SS. ſupra memoratorum, necnon Monachorum qui cum

Porcario Abbate jugulati à Saracenis sunt. Sigillum vidimus ferreum duorum & dimidii pollicum longitudine, latitudine pollicis & dimidii, in quo Honorati nomen sculptum. Aiebant ipsi fuisse in usu, verum ex litterarum formâ, liquet non excedere annos quadringentos. In Bibliothecam conscendimus olim numerosissimam. Supersunt hodieque manuscripti quidam, non ita magni pretii, quos evolvere per tempus non licuit: magna pars, aiunt, exportati sunt, & hinc inde dispersi. Fuit olim hæc insula seminarium non modo Sanctorum & Martyrum, verum etiam litteratorum. Hîc Hilarius & Cæsarius Arelatensis, Eucherius Lugdunensis, Lupus Tricassinus, Vincentius Lirinensis, & alii bene multi vitæ Christianæ Asceticæque & litterarum pariter tyrocinia posuere. Excedentes ex Monasterio, educunt Prior & aliqui Monachi: in transitu obiter Ecclesiam Sancti Honorati veterem inspectamus, antiquitate solum commendabilem: aliam item B. Mariæ nomine insignitam. Ad puteum inde ducunt, cujus aquam curandis infirmitatibus mirabilem prædicant. Vigesima octava Genuam advenimus, quam urbem non ita studiis nostris opportunam maturè linquimus, atque tertia Julii venimus Mediolanum.

CAPUT II.

Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis, ejusque codices varii. Musæum comitis Mediobarbi & Septalæ. Ecclesia S. Ambrosii. Sepulcrum Pagani de Petra Santa. Columnæ inversæ in Ecclesia S. Laurentii, porticus antiqua. Ecclesia Servitarum. Crucis à S. Barnaba defixæ locus. Inscriptio Ludovici XII. alia Gastonis Foxii. S. Apolloniæ caput. Lusiniana Virgo erudita. Bibliotheca D. Belcreddii Ticinensis. De reliquiis S. Augustini, Ticini ut quidam æstimant repertis.

INSEQUENTE die Ambrosianam Bibliothecam adimus & Cl. V. Antonium Muratorium, ex præcipuis custodibus alterum, quîcum mihi epistolaris familiaritas & necessitudo intercedebat, amplexamur. Is omnes semper posthabuit res ut inserviret nostris studiis: & quod maximè cordi erat, liberam visendorum codicum copiam fecit. Est Bibliotheca Ambrosiana ædificium grande: ab

ngreſſu conclave amplum ac præalltum cuſos libros complectitur, ntermixtis pauciſſimis manuſcriptiis. Et ſi autem ad quadraginta ferme millia librorum complectatur, deſtituta tamen libris multis perneceſſariis eſt, & editionibus Patrum accuratioribus. Ab extremo Bibliothecæ intratur in periſtylium ubi icones depictæ illuſtrium virorum, quot vix uſquam ſimul occurrant. In conclavi ſequenti ſupellex ſimilis viſitur, indeque intratur in aliud plenum codicibus Arabicis, Copticis, Syriacis &c. ac maxime omnium Græcis, & Latinis. Comportati autem iſtuc fuere ex Theſſalia, Chio, ex Corcyra, Japygia, & magna Græcia, curantibus maxime Olgiato, Pinello & aliis. Quantum per temporis brevitatem licuit non ſpernendam operam iis indagandis navamus.

Comparent Biblia Hebraïca cum nota ſequenti in fine, ונשלומו במדינת אשבילירה שנת שן לפרט היצירה : Id eſt, *Abſoluta ſunt Biblia Hiſpali anno 350. à creatione mundi*. Quæ ſupputatio ſi accurata ſit, admodum recentem codiicem denotat, quem magni faciunt: nam eſt annus Chriſti 1590.

Vide in Præfatione.

Biblia Samaritana antiquiſſima, quam minimæ formæ in 12°. Hæc ſanè, ſi cui vacaret, vellem collata cum editis.

Biblia Syriacè charactere qui dicitur *Eſtranghelos* perantiqua.

Polyglotton Actuum Apoſtolorum & Epiſtolarum *Pauli* lingua Armena, Arabica, Coptica, Æthiopica, per columnas digeſtum; contextus Armenus non pertingit ad finem.

Codex Arabicus dictus *Camus*, perrarus.

Quatuor Evangelia Græcè, codex membranaceus x. ſæculo conſcriptus.

Codex alius Græcus partem Bibliorum complectitur annorum circiter mille, rotundo caractere unciali; quod dicimus ut diſtinguatur à charactere oblongo ac deflexo, qua de re ſuo loco. Hujus accentus prima manu conſcripti ſunt. Codex in magno fol. columnâ triplici.

Codex quatuor Evangeliorum ſæculo x. In alio Epiſtolæ S. *Pauli* ſæc. XI. Hujuſmodi codices membranacei paris ætatis paſſim occurrunt in iſthac Bibliotheca.

☞ Codex plus mille annorum habens partem Veteris Teſtamenti charactere unciali.

Codex alius membranaceus x. ſæc. Proverbia Salomonis & Eccleſiaſticus.

Joſephi operum Tom. 2. incipiens à libro XI. membranaceus.

Putatur esse pars secunda codicis Regiæ Bibliothecæ, qui priores x. libros complectitur. Habet historiam Christi perinde atque editi.

Codex alius *Josephi* de captivitate Judaïca Libri septem & pars secundi libri antiquitatum. x. sæculi membranaceus, num. 52.

Catena antiqua in *Hesaïam* bis, terve. Item catenæ in *Jobum* plurimæ.

Origenis Philocalia, codex recens xv. sæc.

Liturgia *Chrysostomi* antiquissima in codice membranaceo. Item in alio codice Liturgia *Basilii*. Hæ liturgiæ si non germanæ, remotioris saltem antiquitatis sunt. Quæ in Bibliotheca Barberina S. Basilii Liturgia asservatur, octavo sæculo exarata est, ut infra dicimus.

Constitutionum Apostolicarum codex recens.

Eusebius de Evangelica Demonstratione, imperfectus codex xv. sæculo. Hujus operis codices perquam rari sunt.

Athanasii commentaria vera in Psalmos ex Bibliotheca Scorialensi exscripta; unde quæ desiderabantur in commentario nuper à nobis edito exscripsimus. Animadvertendum est alium commentarium in ista Bibliotheca, nec non in Musæo Justinianæo Venetiis occurrere, qui Athanasii item nomen præfert: at Athanasii Magni esse nequit, germanum enim singulis ferme post Athanasium sæculis memoratum novimus. Istius initium est. Μακάριος ἀνὴρ, &c. Αὕτη ἡ προφητεία πληρoῦται εἰς τὸν Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ἀριμαθαίας.

In codice num. 243. habetur Athanasii in secundum Domini adventum Sermo. Cujus initium. Φοβοῦμαι τὸν θάνατον, ὅτι πικρός μοί ἐστιν· φοβοῦμαι τὴν γέενναν ὅτι ἀτελεύτητος. Subsequentia multa eadem sunt, quæ in sermone ad Antiochum de pœnis inferni.

Dum evolverem codices Athanasii, nec opinanti singularis mihi lætitia objicitur: incidi enim in Eugenii Diaconi legationem ad *Athanasium* & synodum Alexandrinam pro causa Marcelli, quæ propediem cum aliis bene multis S. Doctoris ἀνεκδότοις lucem visura est.

Basilii magni Ascetica ad Monachos, codex membranaceus antiquus, aliique nonnulli ejusdem. Pars Epistolarum ejusdem in codice recenti.

Codex *Gregorii Nazianzeni* orationes complectens, noni sæculi. Duæ priores paginæ indicem & encomium Gregorii conti-

nent in charta purpurea aureo charactere. Scribitur codex charactere unciali oblongo ac deflexo cum accentibus primâ manu. Habet puncta ad imum litterarum pro majore, ad summum pro media, ad medium pro minima interpunctione. Attamen isthæc persæpe non pari ritu procedunt, ut vix certum maneat χριτήριον. Codices orationum S. Gregorii Nazianzeni istic ut alias frequentes sunt; Carminum non item, unum tantùm in Ambrosiana observavi.

Nicetæ in Gregorium Nazianzenum scholia, codex antiquus.

Chrysostomi homiliarum in Matthæum & Joannem, in ἀνδρίαντας, in Pauli epistolas, codices istic ut alias frequentissimi. Epitome item commentarii *Jo. Chrys.* in Paulum.

Theodoretus in Ezechielem, codex membr. x. sæculi. Ejusdem in XII. Prophetas, codex recens.

Synesii Epistolæ & *Herodiani* quædam, cod. bombycinus recens.

Joannis Climaci scala, codex membranaceus x. sæc. Alius ejusdem, paris antiquitatis.

Codex operum S. *Joannis Damasceni* XIII. sæculi, bombycinu emtus in Corcyra. Ejusdem Octoëchos in codice membranaceo XI. sæculi, quod item opus in alio codice habetur. Ejusdem opera Logica, Philosophica, Theologica, in codice bombycino XIII. sæculi. Ejusdem opera musica cum Musicis notis.

Euthymii Panoplia.

Annales *Zonaræ*.

Codex XII. sæculi in charta bombycina, Anonymi in S. Dominicam, item vita S. Demetrii.

Codex num. 396. vetus typicum Græcorum.

Annales *Zonaræ* iterum.

Cod. num. 239. De Legationibus gentium ad Romanos.

Procopii Hist. Gotthica & Imp. Justiniani XIII. sæc. Ejusdem de eadem quatuor volumina, codices recentes sunt.

Sermones *Naucratii* discipuli Theodori Studitæ.

Philippi Philosophi Cerameutæ homiliæ in Evangelia.

Macarii Chrysocephali Metropolitæ Philadelphiæ Homiliæ.

Herodoti operum codices bini bombycini XIII. sæculi.

Thucydides bis in codicibus XIII. circiter sæculi.

Xenophontis historiæ, cod. bombycinus XIII. sæc. alius item bombycinus sæculi XV.

Dionysius Halycarnaßeus recens.

Diodori Siculi codex XIV. ſæculo conſcriptus.

Plutarchi codices multi tam membranacei quam bombycini.

Æliani variæ hiſtoriæ in membrana ſæculo XIII.

Alexandri Magni vita ab Anonymo, forte eadem quæ *Calliſthenis* inſcribitur in Bibliotheca Regia.

Eunapii vita Philoſophorum recens.

Strabonis Geographiæ codices duo recentes.

Stephani Byzantini, de Urbibus, cod. recens bombycinus.

Nicephori Blemmydæ ſyncopſis geographiæ.

Platonis non ita antiquus codex.

Ariſtotelis operum codices multi.

Simplicius in Libros Ariſtotelis, cod. recens num. 208.

Syrianus Philoſophus in Ariſtotelem, codex bombycinus recens.

Porphyrius in Ariſtotelem, cod. bombycinus recens.

Herennii Philoſophi in Ariſtotelem, cod. recens.

Joannes Grammaticus in Ariſtotelem, cod. recens.

Pſellus in Phyſica Ariſtotelis, cod. membran. XII. ſæculo.

Hammonis Commentarii in libr. Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας

Cornutus de diis, bombycinus Græcè recens. Idem de cælo, recens.

Damaſcii Philoſophi de primis principiis.

Stobæi collectanea, codex bombycinus recens.

Pythagoræ vita per *Malchum*, codex recens bombycinus.

Nicolai Epiſcopi *Methonenſis* in Procli theologiam quam coarguit.

Olympiodori in Platonis Phædonem.

Proculi comment. in Parmenidem.

Alexander Aphrodiſeus, codex XIV. ſæc. item alius recens.

Nathanaelis opuſcula Philoſophica & Theologica, cod. XIV. ſæculi.

Emanuelis Palæologi Imperatoris diſputationes de fide cum Perſa.

Περὶ τῆς τοῦ Γρηγορᾶ ψευδογραφίας ὁμοῦ καὶ δυσσεβείας, id eſt, *De mendacibus Gregoræ ſcriptis, & de ejuſdem impietate.*

Λέοντος τοῦ σοφοῦ κατὰ Ἰτάλλων. Id eſt, *Leonis Sapientis contra Italos.*

Boetii Græcè verſi codices non pauci.

Codex recens in quo *Germini* φαινόμενα. *Autolyci* de ortu & oc-

caſu & de ſphæra. *Theodoſii* de diebus & noctibus.

Euclidis codex recens bombycinus.

Codex multa complectens : *Hypſiclis* in Euclidem : *Marini* protheoriam in Euclidem : *Apollonii Pergæi* conicôn : *Sereni* de ſectione coni : de ſectione cylindri : *Theodoſii* σφαιρικόν : *Autolyci* de Sphæra bis occurrit in Ambroſiana : *Euclydis* φαινόμενα : *Theodoſii* de habitationibus, bis in Ambroſiana : item de diebus & noctibus : *Ariſtarchi* de magnitudinibus : *Autolyci* de ortu & occaſu : bis exſtat in hac bibliotheca.

Hypſiclis ἀναφορικός. *Theonis* λογικὴ ἔφοδος εἰς τοὺς προχείρους κανόνας τῆς ἀστρονομίας : ideſt, *Introductio logica in faciliores Aſtronomiæ regulas* ; codex ſæculi XIV.

Proculus in Euclidem, codex bombycinus.

Codex XIII. ſæculi ex inſula Chio allatus. Expoſitio in duos libros *Nicomachi* de Arithmetica.

Cleomedis Κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων. Item *Nicomachi* Arithmetica, codex bombycinus XIV. ſæculi.

Diophantis Arithmetica, codex recens bis.

Perſæ Philoſophi, non ita vulgo noti, Aſtronomia.

Ptolemæi & *Theonis* Canones, codex pulcherrimus XIV. ſæculi.

Heronis πνευματικά.

Poliæni Strategemata.

Onoſandri Strategica, codex bombycinus.

Claudii Ptolemæi, *Manuelis Bryenii* Harmonica.

Non deerant apud Græcos qui periculoſæ & vanæ ἀποτελεσματικῆς ſive aſtrologiæ judiciariæ arti vacarent. Tres ejus argumenti ſcriptores uno in codice continentur, cum commentitiis ut videtur nominibus, quia fortaſſe non liceret talem artem profiteri palam. *Apomaſaris* apoteleſmatica,* *Mpalis* apoteleſmatica. * *L. Valens.* Methodus *Rhamulii*, codex numero 354.

Multo major ſcriptorum caterva reperitur in libro quodam de arte conficiendi auri, num. 193. bombycino recenti. *Stephani* Oecumenici de Phyſica conſideratione : Epiſtola ad *Theodorum* : Compendium ſacræ artis : Doctrina ad *Heraclium* Imperatorem : *Heliodori* ad Theodoſium de arte Myſtica : *Theophraſti* Philoſophi de arte divina : *Hierothei* Philoſophi de arte divina : *Archelai* Philoſophi de eadem arte : *Pelagii* Philoſophi de divina & ſacra arte. *Oſtanis* Philoſophi de eadem arte : *Democriti* Phyſica Myſtica de confectione Azymi : *Syneſii* Philoſophi ad Dioſcorum in librum

Democriti : Anepigraphi Philoſophi de albefactione λευκοποιΐας, & de auro conficiendo : *Zoſimi* divini de virtute, de divina aqua : *Chriſtiani* Labyrinthus Salomonis : De temperando ferro , conficienda *Cryſtallo* & aliis naturæ arcanis : *Hierotheus* de ſacra arte. Item *Pappi* Philoſophi.

Ariſtides Quintilianus de Muſica Græcè.

Hippocrates, codex bombycinus XIII. ſæculi.

Theophilus in Hippocratem.

Pauli Æginetæ de re Medica codex.

Theophraſti, codex membranaceus XIV. ſæc.

Galeni opera quædam, codex bombycinus recens.

Dioſcoridis item.

Nicandri Theriaca, codex recens.

Aretæus Cappadox de morbis.

In uno codice Orationes *Lyſiæ*, *Gorgiæ*, *Ariſtidis*, *Polemonis*, *Andocidis*, *Iſæi*, codex recens bombycinus.

Iſocratis pauca in codice bombycino recenti.

Demoſthenes in codice bombycino recenti. Item in alio XVI. ſæc.

Ariſtidis orationes in codice bombycino XIV. ſæculi. Item in alio recentiore.

Luciani Dialogi.

Æſopi vita & fabulæ per *Maximum Planudem* : Initium vitæ πραγμάτων φύσιν τῶν ἐν ἀνθρώποις ἠκρίβωσαν. Codex XIV. ſæculi.

Phalaridis Epiſtolæ, itemque *Bruti* & *Philoſtrati* : Enchiridion *Epicteti* : *Æſopi* fabulæ : *Gabriæ* fabulæ, in codice recenti XV. ſæculi.

Philoſtrati & *Libanii* Epiſtolæ in codice recenti.

Dionyſii Longini περὶ ὕψους.

Aphthonii progymnaſmata in codice 194. multique alii ejuſdem codices exſtant in Ambroſiana. In codice quodam cum Aphthonio *Hermogenes* comparet.

Hermogenis Rhetorica multis in codicibus.

Syriani, *Marcellini* & *Sopatris* ſcholia in Hermogenem.

Michaelis Preſbyteri de conſtructione partium orationis, opus editum Edeſſæ in Meſopotamia, petente Lazaro Diacono Philoſopho & Logotheta, & in eodem codice *Joannes Grammaticus*. Item *Tryphon* de Paſſionibus dictionum.

Theoduli Magiſtri nominum Atticorum ἐκλογή. Codex bombycinus XIV ſæc. Hic Theodulus in alio codice *Thomas* Magiſter nuncupatur.

In

In uno codice *Hephæstion* de Metris, *Michaelis Apostolii* proverbia, nec non *Georgii Alexandrini.*

Georgii Scholarii Grammatica in codice bombycino XIV. sæculi.

Theodosius de Accentibus.

Moschopulus de Metris. Ejusdem Grammatica sæpe.

Historia Iliados *Homeri* in codice membranaceo XI. sæculi, soluta oratione Græcè conscripta cum tabellis miniatis gesta repræsentantibus.

Lexicon *Cyrilli* in codice XIV. sæculi.

Manuelis Moschopulii Lexicon amplum in codice bombycino XV. sæc.

Lexicon Græcum parvum in membrana.

Lexicon aliud Græcum in 4° in codice membranaceo XI. sæculi.

Harpocrationis Lexicon, atque in eodem codice qui recens est, Orationes X. oratorum.

Lexicon membranaceum parvum in codice XIV. sæculi.

Lexicon poëticum in alio codice.

Homeri Ilias in codice membranaceo XII. sæculi, item in bombycino XIV. atque in multis aliis. Ejusdem *βατραχομυομαχία*, codex bomb. XIV. sæc. Homeri item Odyssea cusa Florentiæ anno 1488.

Joannis Grammatici parva Ilias.

Hesiodi Opera & dies in codice membranaceo XIII. sæc. Item scutum Herculis & Theogonia in codice bom. XIV. sæc.

Æschyli quædam.

Pindari codex bomb. recens.

Sophoclis codices duo bombycini XIV. sæculi, & alii non pauci.

Euripidis cod. XIV. sæculi. Ejusdem codices alii bene multi.

Lycophronis codex cum scholiis bombycinus XIV. sæc. item alii ejusdem. *Tzetzæ* in Lycophronem.

Theocriti codex bomb. XIV. sæc. Alius ejusdem ætatis.

Ephesi Carmen in codice numero 430.

Codex XIII. sæculi in quo *Sallustius* Platonicus de Diis.

Moschi Idyllium: *Simmiæ* securis & Ara: *Theocriti σύριγξ*: Odyssea *Homeri*, in uno codice.

Aristophanes in codice bombycino XIV. sæculi. Item in alio ejusdem ætatis. Alii ejusdem non pauci.

In codice bombycino XIII. ſæculi *Euripidis* Tragœdiæ quædam, *Ariſtophanis* Comœdiæ nonnullæ, *Sophoclis* quædam circumferuntur.

Empedoclis Carmina, Sphæra & alia, cod. bombycinus recens. In codice membranaceo recentii *Apollonii* Argonautica, *Homeri* Batrachomyomachia, *Herodoti* de vita Homeri, *Orphei* Argonautica, *Callimach.* Cyrenæi Hymni, *Homeri* Hymni. Anthologia, codex membranaceus XI. ſæculi.

In codice bombycino XIV. ſæculi, *Oppiani* Halieutica, *Euripidis* tres priores Tragœdiæ. *Æſchyli* item tres priores.

Oppiani codex membranaceus. Item alter bombycinus. Item alius.

Orpheus, itemque *Callimachus* in codice recenti bombycino.

Pythagoræ poëma in codice XIV. ſæculi.

Apollonius Rhodius in codicibus duobus.

Arati Carmen in codice membranaceo.

Phili Carmina, codex recens.

In codice quodam Ambroſiano habetur Lexicon vocum Saracenicarum hoc titulo. λεξεις Σαρακηνικαὶ κατὰ α' β'. *Voces Saracenicæ Alphabetico ordine.*

Ααδου δ' ἴλπις, ὀςοῦν ἐλέφαντος, *Aadud'ilpis os Elephantis.*

Ἀγκούρβι, σταφιλῖνος ὀρεινὸς, ἢ σταφὶς ἀγρία. *Ancurbi, Staphilinus montanus, aut Staphis agreſtis, herba pedicularis.*

Ἀγκαρχίντην, τὸ πουγιδὲν, *Ancarchinten pugiden.*

Ἀγκουζὰν, ὀπὸς σιλφίου, *Anciuzan, ſuccus laſerpitii.*

Ἄγνος, ἢ πεντάφυλλος, *Agnus aut pentaphyllus, herba quinque foliis*, &c.

Hi codices Græci. In Latinis iſtæc ex multis pauca obſervavi.

In codice XI. ſæculi, Sententiæ diverſorum Patrum de prima u Romanæ Eccleſiæ.

In codice IX. ſæculi, contra Claudium Taurinenſem de Imaginibus.

Dictionarium Latinum ingentis molis IX. vel X. ſæculi.

Prudentii codex VII. vel VIII. ſæc. tam remotæ antiquitatis nullum alium hujus ſcriptoris vidi.

Codex VIII. ſæculi charactere Langobardico, in quo *Gennadii* de Eccleſiaſticis dogmatibus, *Bachiarii* fides, Symbolum *Athanaſii*, omnia eadem manu.

Codex ſeptimi circiter ſæculi ubi multæ ſententiæ & dicta

Patrum hinc & inde excerpta, & inter alia *Philippi* diſcipuli S. Hieronymi. Amanuenſis Genſericum Vandalorum Regem, luſu quodam litterarum & numerorum, Antichriſtum eſſe probat.

Codex VIII. ſæculi Langobardicis litteris, in quo *Ambroſii* commentaria in Evangelium.

Codex illo antiquior partem Bibliorum complectitur.

Codex VIII. ſæculi Langobardicis litteris habet quaſdam *Chryſoſtomi* Homilias: *Eucherii* Lugdunenſis quædam: Confeſſionem fidei Luciferi, item confeſſionem *Athanaſii* quæ habetur inter ſpuria Vigilio attributa: item fidem *Ambroſii*.

Codex XIV. ſæc. Deſcriptio Archipelagi Latinè, bombycinus, cum figuris locorum, minio depictis.

In codice XII. ſæculi membranaceo, verſio Daretis Phrygii Gallico metro.

Salemons : nos : enſeigne : & : dit :
Eſil : lit : hon : en : ſon : ecrit :
Que nus ne deit ſon ſens celer
Ainz ſe deit hon ſi demonstrer
que lon i ait preu e henor
quenſi firent li anceiſor.
ſe cil qui trouverent les partz
e les granz livres des ſet artz
les Philoſophes les traitiez
dont toz li monz eſt enſeignez
ſe fuſſent teu veirement
li ſiecles veſquiſt ſolement
come beſtes euſſons vie
que fuſt ſaveirs ne que folie
ne ſeuſt hon fors eſgarder
ne lun del autre deſſeurer

Alios item codices ex multis Latinis pauciſſimos evolvi v. g. *Origenis* in Epiſtolas Pauli, *Lactantii Firmiani* Inſtitutionum, *Caſſiodori*, *Gregorii* Moralium in Job, antiquum B. *Remigii* commentarium in Apocalypſin. Itemque *Julii Cæſaris*, *Plauti* & *Ciceronis* codices.

In alio Bibliothecæ Ambroſianæ conclavi ſunt quidam codices qui elegantiæ cauſſa in armario quodam aſſervantur. De *Joſepho* Latinè ſcripto multi: unum jam pridem obſervatis addere


liber, charta quam Phillyram ſeu Papyrum Ægyptiacam eſſe putant, multo denſior eſt chartâ item papyrea qua confectus eſt codex S. Marci Venetiis, longe antiquior codice Joſephi Ambroſiano. Eſt ibidem *Virgilii* codex, olim Petrarchæ, reſperſus notis obſervationibuſque ipſius Petrarchæ manu nitido charactere. Codex item Epiſtolarum S. *Caroli Borromei*, quarum pleræque manu ipſius S. Viri conſcriptæ ſunt. In eodem armario viſitur codex Rutheno charactere quem vocant S. Cyrilli, argenteis tabulis compactus, in queis anaglypha ſunt: monſtrantur item quædam ipſa manu S. *Thomæ Aquin.* conſcripta. Picturis egregiè exornatur locus, & inter has tabella depicta a Virgine cui nomen *Fides Gallicia.*

Hæc omnia pro voto luſtrare & evolvere licuit, beneficio humaniſſimi viri Lud. Antonii Muratorii, ad commodum litteratorum nati. Aderat quoque officiis ſuis alter cuſtos Cl. Albuccius vir doctus & urbanus,

Sexta Julii adiimus Muſæum Clariſſ. V. Bidellii, cimeliis, antiquis ſignis atque numiſmatibus inſtructum probè. In ſerie numiſmatum ænea primi & medii moduli rara quædam exſtant.

Illuſtriſſimi item Comitis Mezabarbæ Muſæum ter quaterve inviſi & numiſmatum notam erui. Singulare eſt numiſma æneum habens in antica Auguſti vultum cum inſcriptione AUGUSTUS DIVI F. in poſtica coronam lauream in cujus medio ſcribitur REX PTOL. In circuitu autem diadematis, C. LÆTILIUS APALUS ĪĪVIR. Begerus in Theſauro Brandeburgico ſic ..... TILIUS APALUS ĪĪVIR Patinus vero mutilam & mendoſam lectionem adfert ſic ..... SAPILUS ĪĪV. Q.

I. In eodem muſæo exſtat lapidea arcula, in quodam ſepulcro veteri reperta, longitudine ſemipedalis, latitudine trium pollicum & dimidii. In ejus facie minori viſitur Crux exſculpta modo inferius notato. II. In arcula eſt imago Sancti Philippi, quâ formâ inferius, in tabula gypſæa impreſſa: ſed imperitiâ artificis factum ut ſancti Philippi nomen inverſum ſit & idem ſanctus Crucem manu ſiniſtra teneat, quia in typo recte & nativo ordine legebatur. III. In eadem arcula exſtat Crux aurea tenuiſſima, ſed lata, variis lineolis intortis figurata, qualem exhibemus infra. In chartula hæc poſita ſunt. *Queſta croce d'oro fù trovata in un ſepolcro di ſan Pietro di V.   ed e 1186. che è fatta è d'oro finiſſimo.* Id eſt, *Crux iſthæc aurea reperta fuit in quodam ſepulcro S. Petri V.   & ab annis 1186. facta eſt ex auro puriſsimo.*


P.21.
II
III

Nescio unde annum ita accurate expiscatus est qui istæc scripsit; nam initio sexti sæculi, quo facta Crux fuit si recte computatum fuerit, non solebant annos Christi, sive Incarnationis annotare.

In eadem ipsa arcula inventum est ceu malum, aut pyrum aut cucumis, nam cujus generis fructus sit internosci nequit, ita exsiccatum & aridum est; magnitudine & forma ovi gallinacei, quod quo usu & qua religione istic positum fuerit non facile est divinare.

Quadam die pomeridianum otium spectando Septalarum musæo consumsimus, ubi id singulare animadvertimus, quod in lapide azulitano Rex quidam Galliæ (Carolum magnum dicunt) insculptus sit tenens alterâ sceptrum, alterâ ensem, liliis circumpositis. In gemma item Alexander cum cornibus Jovis Hammonis: se quippe, ut ait Curtius, Jove Hammone progenitum gloriabatur. Charta illa papyrea quæ ibidem visitur, catalogum reliquiarum quæ tempore S. Gregorii Papæ Romæ erant complectens, nuper à doctiss. viro Muratorio publici juris facta est.


In Ecclesia S. Ambrosii ad gradus Sacelli subterranei, in quo requiescit corpus Bernardi Italiæ Regis, legitur sculptum: *Hic Bertæ reginæ ossa.* Ibidem duodecim doliola figlina antiqua sunt, qualia Romæ passim, ut narrabitur.

Ecclesia isthæc vicino solo multùm demissior est, quia scilicet ut aiunt, quando Mediolanum cum suburbiis solo æquavit Federicus I. Imperator, altius ex ruinis solum emersit, & cum Ecclesia istæc intacta remanserit, demissior exinde facta est. Cimeliarchium videre cordi erat: at cum nonnisi annuentibus Canonicis aperiatur, votum consequi non licuit. Aiebantque Monachi unum dumtaxat ibi inspectu dignum, videlicet pallium aureum figuris exornatum, ab Archiepiscopo Anselmo Pusterla dono oblatum.

Extra portam Monasterii peristylium est, quod multis aliis in Templis antiquis observatur, visiturque ibidem sepulcrum primo conspectu vetustissimum cum hac inscriptione.

Jacet D. Paganus Petra Santa
miles & Capitaneus Florentinorum
qui obiit anno Domini 800. ad cujus
funus interfuerunt quatuor
Cardinales.

Insignia ibidem hujusmodi exhibentur.



At multis argumentis nobile commentum detegitur. Nam tempore Caroli Magni, quo obiisse dicitur Paganus Petra Santa, Florentia à Totilæ temporibus eversa soloque æquata jacebat; donec ipse Imperator anno 802. instaurandam curavit, quare non potuit ille capitaneus fuisse Florentinorum. Illo item ævo nondum insignia, non nomina gentilitia cœperant, sed haud dubie post hoc sæculum advecta sunt. Supersunt hodieque ex ista familia, quæ paucis Italiæ antiquitate concedit. At plerumque evenit ut qui nobilitate vera commendabiles sunt, genealogiam suam in mythologiam vertant, & dum commentitiam sibi generis antiquitatem asserere curant, germanam & veram suspectam faciant. Narrabant autem ipsos jam à tempore S. Ambrosii floruisse, & suppetias tulisse Sancto viro adversus Arrianos. Circulum qui in insignibus adest aiunt significare species panis Eucharistici. Portas Ecclesiæ S. Ambrosii anaglyphis opertas, putant easdem esse quas S. Ambrosius Theodosio Imperatori accedenti occlusit. Qua parte Canonici degunt porticus ampla visitur columnis fulta, quarum pars cæsorum ramorum quasi truncos emittunt, ad modum arborum quarum rami recèns succisi sunt.

In Ecclesia S. Laurentii quæ artifice Peregrino structa fuit ritu singulari, columnæ pilis hærentes inversæ sunt, ita ut capitella basium, bases capitellorum officio fungantur, quo consilio id factum à viro architectonices scientissimo, haud facile est divini-

re. In capella S. Aquilini vetus sepulcrum est magnæ molis, quod à forma æstimo posse ad priora Ecclesiæ sæcula revocari.

Columnatio antiqua quæ è regione Ecclesiæ in vico publico erigitur, sexdecim columnarum striatarum, ordine Corinthio, diastylos est, cujus scilicet intercolumnia diametra columnæ tria obtinent. quod genus Romæ admodum infrequens est in antiquis ruderibus. Ad extremum columnationis in lapide sequens inscriptio nobilissima legitur, quam in editis multis legi; sed quia varie scribitur, visum est veram hic lectionem asserere.

IMPERATORI CAESARI
L. AURELIO VERO
AUG ARMENIACO
MEDICO PARTHICO
MAX. TRIB. POT VII
IMP. IIII COS. III PP.
DIVI ANTONINI PII F
DIVI HADRIANI
NEPOTI DIVI
TRAIANI PAR
THICI PRONE
POTI DIVI NERVAE
ABNEPOTI
DEC DEC

In Ecclesia Servitarum in pomœrio sita monstrant foramen in lapide, in quo Crucem defixam aiunt à S. Barnaba: hæc narrat inscriptio ibidem sculpta, sed recens.

In hoc rotundo lapide erectum fuit vexillum
Salvatoris à S. Barnaba Apostolo Mediolanensis
Ecclesiæ fundatore, ut scriptorum autoritate & vetusta
populi huc confluentis XIII. Martii traditione comprobatur.
quem devotionis augendæ gratia
jussum est exornari
M. DCXII.

Foramen crate ferrea munitur. Egredientibus offertur oculis in sinistro latere tumulus Heriberti Archiepiscopi Mediolanensis, qui obiit anno Dominicæ Incarnationis Mil. XLV. XVI. die

mensis Januarii indict. XIII. ut fert Epitaphium.

Ad latus ostii Ecclesiæ in exteriori facie legitur sequens inscriptio,

MDIX. 1ª Julii Ludovicus Galliæ Rex
& Mli Dux parta de Venetis victoria
hic equum ascendit ut in urbe triumpharet.
Jussu Jamfredi Caroli præsidis lapis iste
erigitur 29. Junii 1510.

In Ecclesia S. Gregorii ad ostium visitur inscriptio lingua Slavica. Aiunt vulgo ignotos characteres esse. Ibidem servantur corpora Sanctorum Natalis & Sabinæ.

In Monasterio S. Celsi Canonicorum Regularium residet R: P. Cerrius Abbas, Vir probus atque eruditus, ad limen Ecclesiæ istius legitur sequens inscriptio vetus.

ARCAM COMPARAVI ET AUR
* sic. VALERIA VIRGINIA MEA*QUI
VIXITAN. . . . .

In Parthenone S. Marthæ est sepulcrum Gastonis Foxii. cujus ibi statua visitur, venustâ facie cum inscriptione sequenti.

Simulacrum
Gastonis Foxii
Gallicarum copiarum ductoris
qui in Ravennate prælio cecidit
Anno MDXII.
cum in æde Marthæ restituenda
ejusdem tumulus dirutus sit,
hujusce Cœnobii virgines
ad tanti Ducis immortalitatem
hoc in loco collocandum
curavere
Anno MDCXXIV.

Ad villam exinde Illmi Comitis Simonetæ ducimur tum structura spectabilem, tum Echo mirabili datas voces plus sexagesies distinctè reddente: quod si quis sclopum emiserit perinde repetitur ac si turma militum sclopos longa serie exoneraret. Ad novum post ædificium contendimus extra urbem structum, & quidem

quidem magnificè. Eſt ibi ſepulcrum noſocomii paucis hinc annis cœptum, vixque completum. Eccleſia Crucis Græcæ more ſtructa eſt.

In laudem Mediolanenſium dicere juvat, nullam in Italia Urbem eſſe, in qua publicis ædificiis conſtruendis, augendis, ornandis plus operæ, laboris ac peculii inſumatur.

In Eccleſia S. Nazarii in cujus veſtibulo ſunt ſepulcra Trivultiorum, ad pilam legitur ſequens inſcriptio.

Divæ Apolloniæ caput
huc è Tranſilvania divini
numinis benignitate
deportatum & huic
religioſo Templo à
Fran. Caldarino ſumma
cum pietate oblatum
in hoc loco opera Franciſci Cuſani hujus templi
Canon. integerrimi
aſſervatur.
III. Cal. Aug. M. D L I I.

Dum paramus profectum, moniti à clariſſ. viro Magio Græcæ linguæ Magiſtro eſſe in urbe doctiſſimam Luſinianam Genuenſem, quæ valetudinis cauſa Mediolanum venerat, & provocare nos ad colloquium, cum laudato viro iſthuc pergimus. Eſt nobilis virgo 24. annorum, complurium linguarum perita. Græcè jam callebat probe, ut ſpes eſſet brevi fore peritiſſimam. Aiebat ſe alternatim artem & facultatem ediſcere, hinc linguam aliquam. Vacabat tum Græcis, mox Juriſprudentiam Eccleſiaſticam aggreſſura. Gallicè loquebatur elegantiùs quam ſolent exteri, Hiſpanicè pariter, Latinéque perinde fabulabatur.

Poſtremis Mediolanenſis otii diebus Mediolanum acceſſit vir clariſſ. Federicus Roſtgaard nobilis Danus qui Libanii epiſtolis colligendis dabat operam. Is ea de cauſa omnes Italiæ Bibliothecas luſtravit accuratiùs.

R. P. Semenſii Sommaſci clariſſ. Ordinis ſui ſcriptoris litteris inſtructi ad Equitem Belcreddium Ticinenſem 22. julii, æſtuoſa & pulverulenta via, inter arborum ordines & proſpectum ſimul & flatum præcludentes Ticinum venimus, & memoratum virum

pietate insignem adimus, qui nobis perhumaniter rhedæ copiam fecit. Habet ipse Bibliothecam singularem, qualem numquam vidimus, & quidem numerosam, plenam libris pro immaculata Conceptione B. Mariæ propugnanda adornatis: ne unus quidem alîus argumenti istic admittitur, maxima pars autem à Franciscanis conscripti sunt. In unum incidi à Patre Alva exaratum, in cujus frontispicio B. Virgo sublimis depingitur; inferius septum murorum exhibetur turribus munitum. In singulis vero turribus singuli Franciscani prominent, adversus Draconem πολυκέφαλον, Conceptionis immaculatæ adversarium, strenue dimicantes. Mox Ecclesiam Canonicorum Regularium adimus, muniti commendatitiis litteris, percontatum de Reliquiis S. Augustini, quas fama erat ibidem non diu repertas fuisse. Qua de re opuscula edita multa & huc illuc in Italia sparsa sunt. Certe magno hodieque res in motu est: dum penes nos altum de re tanta silentium. Totum compendio narrare visum.

Sancti Augustini corpus sæviente in Catholicos Thrasamundo Vandalorum Rege, ab Hipponensi Episcopo, aliisque Numidiæ Sacerdotibus in Sardiniam insulam deportatis, eodem delatum est anno Christi 504. Hinc vero insulam istam vastantibus Saracenis, Luitprandus Rex Langobardorum, missis legatis prolatoque magno peculio, Sancti reliquias coemit, & primo Genuam, mox Ticinum transmitti curavit; ubi in Basilica S. Petri in cælo aureo, ab se structa, deponi jussit in crypta quadam proximè puteum. Hæc tum alii multi, tum pluribus Chronicon Strozzianum inter Monumenta Italica à nobis edendum, quod rem gestam consignat in annum Christi DCCXXI. anno scilicet, ut ibidem computatur, ab obitu S. Doctoris CCLXXXXI. quæ supputatio apprime quadrat. Nam ab anno 430. quo vita functus est Augustinus, ad annum 721. intercurrunt anni 291. alii anno 725. dicunt. Quæ Ecclesia S. Petri in cælo aureo cum primitùs Benedictinorum fuisset demum Augustinianis cessit, atque ab iisdem occupatur; ita ut Canonici Regulares Lateranenses, & Eremitæ S. Augustini, alternis mensibus Ecclesiam teneant. Aiunt autem ex Chronico quodam Brixiensi, & ex inscriptione quæ visitur à sinistris sacelli S. Apiani constare, anno 1223. metu Gallorum incursantium, queîs animus illas reliquias subripere & in Gallias asportare, sacrum corpus translatum fuisse, & defossum sub altari S. Apiani. Exinde vero postquam Ticinenses respirassent à Gallico

metu, 40. post annis reductum in pristinas sedes; esseque opinionem ferme omnium ibidem latuisse semper ossa sancti Doctoris.

Demum anno 1695. die prima Octobris, cùm Ecclesiam Sancti Petri in cælo aureo instaurarent, & cryptam, in qua jacere Sancti reliquias opinio erat, in elegantiorem formam exornare cuperent, casu repertæ sunt reliquiæ quæ jam in dubium vocantur. Est autem crypta illa, quam item *Scurolum* & *Confessionem* nuncupant, subterraneum capellæ majoris, adestque altare inferius. A superiori capella autem ad inferiorem per viginti circiter gradus fit descensus. Cùm igitur huic vacarent operi, casu evenit ut artifices lateritium quoddam ædificium pone altare, erectum quasi ad fornicem, ferro contingerent, & lateritia quædam fragmenta excuterent, tum rimis apertis exploratur esse interius occlusum vas marmoreum : hinc excitantur ad curiosius pervestigandum; excutitur hinc inde lateritia moles, & detegitur arca marmorea, longitudine ulnarum trium & totidem unciarum, latitudine unius ulnæ & duarum unciarum, altitudine ulnæ unius & unciarum quatuor, cujus quatuor anguli validissimo quique sigillo ferreo muniebantur. *In actu autem excrustationis,* aiunt in libello quodam ea de causa edito, *dictæ marmoreæ arcæ à cæmento, quo undique tegebatur, legendum apparuit, primò literis Gotthicis in cæmenti parte non adhuc remota à marmore, hoc nomen,* AGOSTINO, *& subinde in crassitudine operculi marmorei dictæ arcæ, hoc idem verbum,* AGOSTINO, *ex quadam materia facilis deletionis, formatum quasi ex carbone. Ex quo nomine, quamvis ex artificis inadvertentia deleto, nasci cœpit spes inveniendi tandem hac occasione, sed divino forte consilio, corpus & reliquias S. Augustini Episcopi & Ecclesiæ Doctoris :* Hæc ad verbum exscribere visum, quia magni in utramvis partem momenti sunt.

Absente tum Episcopo, evocatur inspectum Vicarius ejus cum Notario & aliis, qui cum non subesset alia arcæ aperiundæ ratio, jubent frangi sigilla plumbea & ferrea ligamina : neque tamen ita potuit operculum arcæ moveri loco, donec fractis angulis, inferius massam quatere facultas fuerit. Intra marmoream arcam exstabat argentea capsula longitudine ulnæ & unciarum quinque, cum operculo item argenteo. Orbicularis sera non clausa clavi extrinsecus posita erat supra crucem ex lamulis compactam, cui cruci similes & prorsus æquales tres aliæ visæ, & præferebant vultum D. Jesu cum litteris JC. necnon parvam

roſam in extremis. In argentea capſula hæc deprehenſa ſunt: velum ſericum, quod ad primum tactum in minutas partes ſolutum eſt, quædam præterea partes alicujus, ut videbatur, capſæ plumbeæ, fruſtulum cujuſdam aſſis, ac præter hæc vaſcula duo vitrea, ceu ſanguine tincta. Ad oſſa luſtranda accerſitur Anatomiſtes, qui ſingulis oſſibus diligenter inſpectis, pronunciavit omnes humani corporis ſolidiores partes adeſſe, etſi multæ comminutæ eſſent; nam cranii decem particulæ majores aderant aliæque minores, & ſimiliter aliæ particulæ in pulverem pene actæ. Aitque Anatomiſtes abeſſe tantùm os brachii ab humero ad cubitum, nihilque præterea deſiderari.

Contendunt autem Auguſtiniani Monachi & multis argumentis pugnant ipſiſſimas eſſe S. Doctoris reliquias. Nam aiunt, cultus ille & ſupellex quæ in capſula reperta fuit, ſcilicet partes arcæ plumbeæ quæ antiquitus hæc oſſa, ut conjectare licet, occluſerat, argumento ſunt eſſe reliquias Sancti cujuſdam: eſſe autem Auguſtini palam eſt, quia aliorum Sanctorum qui in eadem Eccleſia tumulantur, ſcitur proprius cujuſque locus; unde ſupereſt hunc eſſe locum S. Auguſtini reliquiis deſtinatum. Alicujus autem Regis Gothorum aut Langobardorum non eſſe propalam eſt, quia Gothotum Regum nullus præter Theodoſium, Ticini tumulatus eſt, qui in Eccleſia S. Michaelis jacet, Langobardorum autem Reges omnes qui Ticini ſepulti ſunt in notis quieſcunt Eccleſiis atque locis.

Non parum momenti adferre putant ad partes tutandas, quod os brachii ab humero ad cubitum deſideretur: nam anno Domini 1027. brachium S. Auguſtini traditum fuit Cnuto ſeu Canuto Magno Daniæ & Angliæ Regi, & delatum per Elgenoldum Archiepiſcopum: qui in reditu Româ in Angliam Ticino tranſivit, hocque munus ſecum deportavit, ut narrat Guillelmus Malmeſburienſis.

Ad hæc plurimæ accedunt conjecturæ quæ id probè muniant; fama ſcilicet ubique pervulgata, quod corpus S. Auguſtini hoc in *ſcurolo* ſeu *confeſsione* lateat; fons etiam ſive puteus adeſt de quo mentio eſt apud auctores, atque diſerte in Chronico Strozziano, conſcripto anno Chriſti 1200. conſuetudo canendi ſtatis horis in eodem *ſcurolo*, quaſi ad corpus S. Auguſtini, concurſus item advenarum; lampades eodem in loco ardentes jugiter in honorem ſacri corporis; vaſcula vitrea ſanguine tincta. Nam

Benedictus VIII. Monachus Ordinis Sancti Benedicti multas ad Montem Cassinum reliquias Sanctorum misit, inter quas aiunt, *de sanguine D. Augustini, exceptum scilicet ex iisdem vasculis.* Sanguis autem iste, uti narrant, tum vasculis vitreis infusus, cum discipuli ejus cadaver aromatibus condirent, & apertis carnibus immittendo balsamo, cruorem effusum vasis exciperent.

Aliud argumentum validissimum erui pugnant ex voce, AGOSTINO, litteris Gotthicis conscripta; si quidem in demolitione lateritiæ molis duobus in locis verè lecta fuerit. Præter hæc argumenta, quæ magni esse momenti arbitrantur ipsi, alia minoris pretii adferuntur in rescriptis Augustinianorum, quæ sane scripta intricata sunt, & respersa testimoniis Canonistarum, Lezzanæ, Tiraquelli, Bartoli, qui nihil possunt hac in parte adminiculi adferre.

Non desunt tamen qui de veritate harumce reliquiarum cum verbo tum scriptis controversias moveant, & dicunt historias quibus utuntur Augustiniani non usque adeo certas esse, ut possint ex earum testimonio certa erui argumenta, quæ satis sint ut hujusmodi reliquiæ populorum cultui pateant. Tum ex iisdem historiis haberi corpus S. Augustini reconditum fuisse in profundo ac secretissimo loco, atque traditum perpetuæ sepulturæ, ut non possent abripi & exportari; quibus permotus Gregorius XIV. constitutionem edidit sub excommunicationis pœna de non perquirendis sancti Doctoris reliquiis. Hæc autem lateritia moles, & arca intus inclusa, erigebantur è terra, uti superius narravimus: & ita prominebant, ut absurdum esset latebrarum nomen ac speciem iis adscribere. Addunt Chronica Brixiæ, & inscriptionem quæ legitur à sinistris sacelli S. Apiani, quibus utuntur in scriptis suis PP. Augustiniani non tantæ esse auctoritatis, ut pote à privatis facta, & inferioris ævi. Puteum vero quem mirabilem prædicant, videri manu factum pro irrigando viridario. Ad hæc nihil in memorata arca deprehensum quo indicetur reliquias esse S. Augustini. Nam quod de brachio dicitur non tanti ponderis est, tum quia ex ossibus multa in pulverem redacta sunt, & vero simile est partem brachii quæ desideratur in partes minutissimas pariter abiisse; tum quia S. Augustini brachium totum in Angliam deportatum fuisse putatur, atqui maxima ejus pars istic adest. Demum de inscriptione illa, AGOSTINO, non constare, quando nemo evocatus fuit qui

legeret, & fabulam ſapere videtur quod aiunt, hoc nomen, repertum duobus in locis, ſtatim evanuiſſe. Diſputant pariter de ſanguine S. Auguſtini, aiuntque ex prave intellecto Leonis Oſtienſis loco eam opinionem emanaſſe, quæ ne veri quidem ſimilis eſt. Non deſunt autem qui dicant corpus S. Auguſtini non jam Ticini, ſed Mortariæ eſſe, quo fuit olim exportatum: alii autem fatentur quidem eſſe Ticini, ſed in Eccleſia S. Moſtiolæ, quo loco reconditum fuit cum immineret Gallicus metus: verum hæc negant Patres Auguſtiniani. Audio Benedictinum quemdam Caſſinenſem opus edidiſſe probandæ veritati reliquiarum; eſſeque contra ex Auguſtinianis quemdam, qui neget germanas eſſe.

Hæc ediſcere licuit tum ex reſcriptis in utramque partem editis, tum ex variorum narratu, lis adhuc pendet ſub judice. Rogantibus ut liceret ea quæ reperta fuerant videre, negatum id: verum Monaſterii Prior nobis dono obtulit reſcripta pro veritate Reliquiarum nuper cuſa, locum tantummodo ſubterraneum inſpicere conceſſum eſt.

Hinc ad Eccleſiam Barnabitarum pergimus, quæ architecto celeberrimo Bramante Lazaro, ut ibidem ſcriptum legitur, exædificata fuit ſingulari forma, nam in ima parte quadra eſt, à medio octangula. Quam proximè ſita eſt platea quam parvam nuncupant, ubi ſtatua equeſtris ænea antiqua viſitur. Vulgo dicunt eſſe Antonini pii, at eſt ſine dubio M. Aurelii: qua de re ne minimus quidem ſcrupulus hærebit iis, qui vel mediocrem numiſmatum veterumque ſtatuarum notitiam nacti fuerint.

CAPUT III.

Profectio Mutinam. Bibliotheca Ducis Mutinenſis; fontes Mutinenſes. Monaſterium Padolironenſe, & ejus Bibliotheca. Iter Venetias. Muſæum Grimanum. Inſcriptio elegans reſtituta. Bibliotheca S. Marci. Inſcriptio altera reſtituta. Bibliotheca Archiepiſcopi Græcorum. Item SS. Joannis & Pauli.

VIGESIMA-TERTIA Julii Placentiam, & inſequente Parmam, ubi in Monaſterio S. Joannis Evangeliſtæ cum nulla non obſervantiæ & benevolentiæ ſignificatione ad hoſpitium ad-

missi fuimus à R. P. Abbate, & à doctis viris Epiphanio & Joanne Maria de Balistreriis sacrarum litterarum Doctoribus.

Inde Rhegio Mutinam venimus, & à D. Benedicto Ricinio Abbate in Monasterio excipimur urbane. Aderat D. Benedictus Bacchinius vir eruditus, multis jam editis operibus clarus, qui editionem parat Agnelli Ravennatis auctoris inediti noni sæculi, de Vita præsulum Ravennatensium ad suam usque ætatem. Curabat ille tum Bibliothecam Serenissimi Ducis, quam ea ipsa die petimus. Nec opinantibus accidit, ut multi istic codices manuscripti occurrerent, qui cum ante una cum editis permixti essent à Cl. V. Bacchinio sepositi sunt. Præcipuorum notam hîc adferam.

Biblia Hebraïca antiqua elegantissima, tribus columnis, membranacea.

Codex recens liturgiarum Græcè, Syriacè, Æthiopicè, Armeniacè.

Epistolæ *Pauli* Arabicè.

Liber *Cabbalæ* Hebraïcus antiquus.

Codex Ruthenicus, de Officio divino.

Codex Græcus Evangeliorum, membranaceus, xi. sæculi.

Codex Græcus Evangeliorum, ut per annum dicuntur, charactere unciali antiquissimo VIII. sæculi, membran.

Acta Apostolorum Græcè in codice IX. sæculi, membran. charactere unciali oblongo ac deflexo, cum accentibus prima manu positis.

Psalterium elegantissimum XI. sæculi membranaceum, cum hac inscriptione à fronte: Ετέθη ἡ βίβλος αὕτη ἐν τῇ ἁγίᾳ μονῇ ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν μοναχοῦ Θεοδοσίου τοῦ Ξυλαλᾶ, καὶ ὁ ἀναγινώσκων ταύτην διὰ τὸν κύριον ἂς μακαρίζῃ αὐτὸν, καὶ ἂς δέεται ὑπὲρ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. quæ haud ita peritè notata ita vertimus. *Repositus est liber iste in sacro Monasterio pro remissione peccatorum Theodosii Xylala Monachi, qui legerit per Dominum, laudet ipsum, preceturque pro anima illius.*

Codex membranaceus XI. sæculi. Anonymi expositio in Matthæum Græcè. *Apollinarii* versus in Psalterium.

Codex elegantissimus x. sæculi membranaceus. *Clementis* Alexandrini προτρεπτικὸν, παιδαγωγικὸν, & Hymnus, ut in editis. *Justini* ad Zenam. Ejusdem contra Græcos. *Athenagoræ* legatio. *Tatianus.* Et in fine de *Sibyllis.* Codex huic consimillimus est in Bibliotheca Regia.

Magnus codex in folio bombycinus, XIV. ſæculi, totus *Athanaſio* adſcriptus, cujus titulus. Ἀθανασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας, περὶ τῆς ἁγίας ἐνυποστάτου καὶ ὁμοουσίου τριάδος. cujus initium eſt : οὐκ ἐπὶ μικροῖς ἡμᾶς ἀγῶνας ἐπ. . . . . δεῖν ὁ σὸς ἀναπείθει λόγος ὦ φιλοπονώτατε ἀδελφὲ Νεμεσῖνε. Procedit hîc Pſeudathanaſius ſyllogiſtico more, ac plerumque veri Athanaſii argumenta mutuatur, nonnumquam ſuo marte ratiocinatur. Quod autem Nemeſino opus ſuum nuncupat, fortaſſis hinc arripuit anſam quod in ἐντυχίᾳ tertia ad Jovianum Nemeſinus quidam memoretur ut veræ fidei vindex & Athanaſii amicus. Sic qui opuſcula ad Antiochum Athanaſii nomine dederunt, inde fortaſſe occaſionem nacti ſunt, quod ejuſdem Athanaſii ad Antiochum epiſtola exſtaret. Opus autem non exſcripſimus, quia id præſtari nonniſi magno labore & nullo fructu potuit.

Chryſippi diſcipuli Euthymii in Joannem Encomium. Exſtat in duobus foliis, ad compacturam recentioris manuſcripti uſurpatis, charactere unciali IX. ſæculi. Patet hunc Chryſippum diſcipulum eſſe magni illius cœnobiarchæ Euthymii, qui ſæculo V. floruit, cujuſque vitam à Cyrillo diſcipulo ſcriptam edidit D. Jacobus Loppin in Analectis noſtris. Ibi vide p. 67.

In codice quodam *Syneſii* epiſtolæ ad 157um. At deſunt 30. priores. *Eunapii* quædam de vita Sophiſtarum. *Libanii* epiſtolæ 264. *Æſopi* fabulæ & vita per *Planudem*. Codex eſt XIV. ſæculi.

Codex bombycinus XIV. ſæculi *Euthymii Zygabeni* Panoplia, cujus Latina tantum verſio cuſa eſt.

Codex anno 1559. deſcriptus Venetiis, *Photii* Bibliotheca.

Theodori Prodromi Expoſitiones Canonum ſacrorum.

Codex XIV. ſæculi, *Zonaræ* hiſtoria. Ejuſdem alter codex recentior.

Codex recens, *Cantacuzeni* hiſtoria.

Anonymi de genere Saracenorum. Initium, Ἰστέον ὅτι ἡ Φατὲμ θυγατὴρ ἦν τοῦ Μουχούμετ. *Sciendum Phatemam filiam fuiſſe Muchumeti.*

Lexicon à peritiſſimo ex antiquis ſcriptoribus conſarcinatum in codice XIV. ſæculi.

Lexicon aliud recentius.

Codex XV. ſæculi, *Herodotus.*

Codex XV. ſæculi, *Diodori Siculi* libri quidam, ad calcem hæc amanuenſis verba leguntur : Μιχαῆλος Ἀποστόλης Βυζάντιος μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς αὐτοῦ πατρίδος πενίᾳ συζῶν, καὶ τήνδε βίβλον μισθῷ ἐν

Κρήτῃ

Κρήτῃ ἐξέγραψεν, id eſt, *Michael Apoſtoles Byzantinus poſt excidium patriæ in penuria degens, hunc librum mercedis cauſa in Creta deſcripſit.*

In codice x. ſæculi membran. *Luciani* quædam.

In codice XIV. ſæculi, *Libanii* Orationes.

In alio *Heronis* Mathematica.

Aſpaſii in Ethica Ariſtotelis.

Alexandri Aphrodiséi, Simplicii, Blemmydæ, Joannis Philoponi, & aliorum pene innumerorum codices in Ariſtotelem.

Hippocratis & *Galeni* codices bene multi iſtic ut & in aliis Bibliothecis Italicis : nam medica res proximis ſæculis multum frequentabatur.

Εὐτοκίου Ἀσκαλωνίτου in primum librum Apollonii Conicorum.

Heſiodi Opera & dies, codex recens.

Ariſtophanis codices bene multi.

Euripidis non pauciores.

Theognidis γνῶμαι.

Hi codices Græci à me obſervati : in Latinis pauca notavi.

Lactantii Firmiani inſtitutiones.

Priſciani librorum codex XIV. ſæculi.

Nonii Marcelli codex.

Ciceronis operum codices bene multi.

Salluſtii codex XIV. ſæculi.

Cæſaris item, *Plauti, Terentii, Ovidii, Lucani, Auli Gellii,* ſive *Agellii*, codices non pauci.

Perſii codex XIV. ſæculi.

Tibullus XV. ſæculi.

Livre de Tournois envoyé par un Duc de Brunſwic, XV. ſæculo.

Dantis d'Aligeri, codex auctori pene æqualis, egregie deſcriptus.

Evocante nos ad confabulationem Sereniſſimo Duce Mutinenſi, 29. Julii ipſum adimus. In Benedictini Ordinis laudem ipſe multa profudit, quem à ſe eadem, aiebat, qua S. Benedictus ſtirpe nato, in pretio haberi : Regulam ejus tantâ ſapientiâ concinnatam, ut eſſet etiam moderandæ Reipublicæ opportuna : quamobrem patrem ſuum ea uſum eſſe frequentiſſime. Commemorabat deinde Ludovici Magni virtutem, invictum animum, victorias fere perpetuas, diſciplinæ militaris civiliſque curam : poſt de artibus mechanicis liberalibuſque, ab eo in Gallia reſtitutis, auctis & in florentiſſimam conditionem deductis.

Sub hæc de Bibliotheca ejus agitur, & me faſſus ſum non parum ſtupuiſſe, deprehenſa tam multa codicum mſſ. copia, quod inſperato occurriſſet: nam de Mutinenſis Bibliothecæ codicibus mſſ. ne verbum quidem audiviſſe me umquam, quæ tamen aliis non paucis quæ apud eruditos celebrantur anteponenda eſſet. Tum Sereniſſimus; Majores ſuos iſtam codicum manum coemiſſe, ſibique in animo eſſe novos in dies comparare, ſicubi ſeſe daret occaſio.

Ipſa die Doctorem Ramazzinium comite Bacchinio adivimus, qui dono obtulit nobis librum ſuum de Fontium Mutinenſium
» admiranda ſcaturigine eleganter ſcriptum. *Eſt quippe ſingulare*
» *Urbis iſtius commodum, quod,* dato quocumque ſitu intra hanc
» urbem, ac etiam extra eamdem circumquaque, ad aliquot paſ-
» ſuum millia, fontem vivum aperire licet, qui perenniter puriſſi-
» mam aquam profundat. *Nam in quovis ſitu puteum effodiant,*
» ubi ad profunditatem pedum 63. circiter devenerint, fundum
» in medio ingenti terebra perforant, quæ ubi ad quinque fere
» pedes acta fuerit illico tanto impetu aqua erumpit, ſaxa & are-
» nam eructans, ut temporis ferè momento totus puteus replea-
» tur ad ſummitatem uſque, & aqua exinde perpetuo defluat.
» *Taleſque ſunt ſcaturigines quæ nec creſcant pluvia, nec ſiccitate mi-*
» *nuantur. Obſervatu quoque digniſsima ſunt quæ p. 19. ejuſdem opuſ-*
» *culi leguntur:* A ſoli ſuperficie uſque ad pedes 14. circiter, non-
» niſi cæmenta, & antiquæ urbis veſtigia apparent; in tali enim
» profunditate, viarum ſtrata ex ſiliceo lapide, artificum tabernæ,
» pavimenta ædium, & opera teſſelata paſſim obſervantur. In
» quo certe admirari ſubit, quomodo ad tantam altitudinem ſo-
» lum excreverit, quod profecto in id referri nequit, quod urbs
» iſta pluries funditus everſa fuerit, ac poſtea ſupra proprias ruinas
» reſtaurata editiorem ſitum acquiſiverit; eandem enim planitiem,
» & æqualitatem præferunt circumſtantes agri, immò Urbs ipſa
» iiſdem aliquanto depreſſior apparet. Poſt cæmenta & rudera
» terra ſe prodit, ſatis ſolida & compacta, ut terram virginem
» quis crederet; at non multo poſt nigra, & paludoſa viſitur pa-
» luſtri arundine referta. Memini me in uno ex his puteis ad pe-
» dum 24. profunditatem culmum frumentaceum adhuc integrum
» obſervaſſe, ac in altero in profunditate pedum 26. inventum
» coryletum cum ſuis nucibus adhuc incorruptis; ſic alternatim
» ad 6. fere pedes varia obſervatur ſoli mutatio, modo albi, modo

nigri, cum variarum arborum ramis ac foliis, quaſi lamellis ac «
corticibus ſuperinductis, donec ad planum cretaceum devenia- «
tur, quod in profunditate pedum 28. primo conſpicitur. Hoc «
ubi operarii attigerint, jam ſecuri, ut dixi, ne amplius ab ullo «
aquæ affluxu perturbentur, foſſionem ſumma facilitate ad imum «
uſque proſequuntur. Hujus ſtrati cretacei moles 11. fere eſt pe- «
dum, ac identidem multis cochlearum teſtis eſt refertum: illius «
ergo finis eſt in profunditate pedum 39. poſtmodum ſtratum «
aliud paluſtre duorum pedum circiter apparet, ex juncis, plan- «
tarum foliis, ac ramis congeſtum. Ablato à foſſoribus hoc pa- «
luſtri ſtrato, ſtratum aliud cretaceum ejuſdem ferè molis ac ſu- «
perius ſeſe offert, cujus terminus eſt in profunditate pedum 52. «
quo ſtrato effoſſo, rurſus ſtratum aliud paludoſum priori haud «
diſſimile viſitur, quo ſemoto, denuo aliud ſtratum cretaceum «
ejuſdem naturæ ac ſuperiora, ſed minoris molis ac craſſitiei «
quam reliqua duo, & ſuperincumbit alteri ſtrato paluſtri, quod «
tandem deſinit in ultimum illud planum in quo terebra defigi- «
tur; quod planum molle eſt, atque arenoſum, multaque glarea «
minuta permixtum, ac marinis quiſquiliis aliquando refertum. «
Hujuſmodi autem *ſtratificatio* hiſce intervallis tam bene diſtin- «
cta in omnibus puteis, tam intra Urbis pomœria, quàm in ſub- «
urbanis locis, conſtanti ordine ac lege obſervatur. «

Cum ſæpiſſimè in magnos plantarum truncos fodiendo inci- «
dant, ut non raròmihi videre contigit; hinc eſt quod interdum «
non exigui laboris puteariis ſit ipſa terebratio, quotieſcumque «
in hujuſmodi truncos terebra impingat; argumentum evidens, «
ſolum illud aliquando aëri fuiſſe expoſitum. Nunquam tamen «
arborum truncos in ſtratis cretaceis obſervare contigit, ſed in «
paluſtribus tantùm, vel in eo ſpatio quod Urbis fundamenta & «
ſtratum cretaceum interjacet. Inventa quoque ſunt in ſumma «
horum puteorum profunditate oſſa magna, carbones, ſilices ac «
ferri fruſtula. Multa hic lubens omitto, quæ vulgus dictitat de «
variis rebus extraneis ab aquæ impetu regeſtis eo ipſo tempore «
quo primum aqua erumpit, ut foliis quercûs, caſtanearum, «
milio, thecis fabarum, multiſque aliis; ea ſolum referre con- «
tentus, quorum autoptis eſſe poſſim, aut à viris fide dignis ac- «
ceperim. Hæc ſunt quæ ad fontium Mutinenſium hiſtoriam «
ſpectant, & quæ, prout data eſt occaſio, obſervare licuit. «

Æſtimat porro vir doctus hæc varia ſtrata alia aliis altiora,

indicare, primo ante diluvium istuc & ulterius versus Mediolanum pertigisse sinum Hadriaticum, ac decrescentibus diluvii aquis relictaque limi & arenæ mole prominuisse solum, deincepsque variis temporibus ex illuvie fluminum & torrentium varia hujusmodi strata confecta ad hodiernam sublimitatem devenisse, quæ ille pluribus & docte edisserit. Nobis isthæc adferre visum, quia libellus iste in paucorum nostratium manus devenit.

Mutinâ in Monasterium S. Benedicti Padolironensis venimus, totius Italiæ amplissimum, quod latifundia possidet quanta vix aliud. Padolironense autem dicitur, quia inter Padum & Lironem situm est. Hujus Abbas erat ex Belisanorum familia in Gallia nota, vir perhumanus officioque plenus. Bibliotheca codicibus Latinis tantùm manuscriptis bene multis exornatur. Hæc pauca observavimus.

Codex Bibliorum membran. x. sæculo.

Origenis operum codex membran. ejusdem ætatis.

Codex x. sæculi membran. *Hieronymi* epistolæ.

Codex x. sæculi membran. Ejusdem Commentaria.

Codex ejusdem ætatis. *Hieronymi* de Scriptoribus Ecclesiasticis, in quo item quædam *Cassiodori*, & in fine *Probæ Falconiæ* carmina. Ad calcem autem legitur: *Proba uxor Adelphi, mater Olibrii, & Aliepii* (sic pro *Alypii*,) *Cum Constantini* (sic pro *Constantii*) *Imperatoris bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit & hunc librum.*

Codex xi. sæculi membran. sic inchoatur. *Incipit Tractatus primus S. Ambrosii Episcopi de Epist. Pauli ad Romanos. Deinde sequitur tractatus Domini Remigii venerabilis Monachi, & eruditissimi Commentatoris. In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.*

Codex xi. sæculi, *Gregorii Magni* in Ezechielem, & *Remigii* in Marcum.

Codex x. sæculi, *Gregorii Magni* in Job.

Codex xiv. sæculi, Epistolæ ejusdem.

Codex alter xii. sæculi, *Gregorii* Morales in Job.

Codex noni sæculi, *Isidori* Hispalensis, & *Juliani* Toletani opera.

Codex magnæ molis undecimi sæculi, *Burchardus* de potestate & primatu Apostolicæ sedis.

Claudii Taurinensis Commentum in Ruth, & Libros Regum.

Codex XII. sæculi, *Hugonis* de claustro corporis & animæ.

Alii item multi codices istic habentur operum *Augustini*, *Hieronymi*, *Origenis*, & antiquarum *Joannis Chrysostomi* versionum Latinarum.

Editiones veteres tot nusquam simul vidi. Adest Bibliorum Moguntiæ cusorum anno 1462. liber. Homerus prima vice cusus, &c.

Primâ Augusti, onerariâ in Mincium, inde Mantuam deportamur. Mantua Ferrariam indeque ad Clodiam fossam, mox Venetias quartâ Augusti mensis. Ipsâ die cymba * littus petimus, ubi Monasterium nostrorum Cassinensium S. Nicolai nomine. Inde properamus ad cœmeterium Hebræorum proximè situm. Ab ingressu in marmorea tabula muro adplicita legitur sequens inscriptio,

* *Lido.*

בלע המות לנצח ומחה יהוה
אלהים דמע מעל כל פנים
וחרפת עמו יסיר מעל כל
הארץ כי יהוה דבר:

Id est:

Deglutit mors usque in æternum, & absterget Dominus
Deus lacrymas ab omni vultu,
& opprobrium populi sui removebit ab universâ
terra, quia Dominus loquutus est.

Circumquaque visuntur sepulturæ Hebræorum cum inscriptionibus suis, quas hic adferre nullius operæ pretii esset.

Sextâ Augusti comitibus D. Apostolo Zeno viro erudito, & hujusce Urbis ornamento, cujus beneficiis non semel ornati sumus, itemque D. Birone presbytero Græcè docto, ædes Joannis Caroli Grimani Patritii Veneti adimus, ubi bene multa observavimus, quæ nos etsi frequentes eò venerimus in hanc unam diem conferemus. Ab ingressu occurrit peristylium quadrum, in quo visitur statua marmorea Julii Cæsaris paludati, non ita perito fabro elaborata. E regione illius erigitur Agrippa nudus marmoreus humana proceritate duplo major, doctissimo artifice, qui Delphinum caudâ tenet, capite in solum nixo. In numismatibus ejus Neptunus depingitur, Delphinum supinâ dexterâ ge-

ſtans, tridentem ſiniſtrâ tenens, in nautici imperii ſignum. Agrippæ ſtatuæ & icones mediæ raræ ſunt, quare hæc magni pretii.

Ibĩdem anaglypha multa ſunt, & inſcriptiones frequentes, ex quibus Græcam elegantiſſimam quæ puteo imminet hic adferam: quia apud Sponium in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis p. 336. ſcatet mendis.

ΕΔΟΞΕΝ ΤΗΙ ΒΟΥΛΗΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ [1] ΓΟΡΓΟΝΙΚΟΣ
ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΕΙΠΕΝ ΕΠΕΙ Η ΠΟΛΙΣ Η ΠΑΡΙΩΝ ΕΝ
ΤΕ ΤΟΙΣ ΕΝΠΡΟΣΤΕ ΧΡΟΝΟΙΣ ΕΥΝΟΥΣ ΚΑΙ [2] ΦΙΛΗ
ΟΥΣΑ ΔΙΑΤΕΛΕΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΚΑΙ [3] ΝΥΝ
ΑΠΟΣΤΕΙΛΑΣΑ ΠΡΕΣΒΕΙΣ ΚΥΔΙΑΝ [4] ΑΜΙΑΝΤΟΝ
ΚΑΙ ΑΡΧΕΦΥΛΟΝ ΛΕΟΝΤΙΟΣ [5] ΑΞΙΟΙ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΝΗΣΙΑΡΧΟΥΝ
ΤΟΣ ΚΑΙ ΠΟΛΛΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΑ ΧΡΗΣΙΜΟΥ ΓΕΓΕΝΗ
ΜΕΝΟΥ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ [6] ΤΩΙ ΠΑΡΙΩΝ ΤΑΣ ΤΙΜΑΣ ΤΑΣ [7] ΔΕ
ΔΟΜΕΝΑΣ ΑΥΤΩΙ ΥΠΟ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΟΥ ΠΑΡΙΩΝ [8] ΕΝ
ΤΕ ΤΗΙ ΒΟΥΛΗΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ [9] ΑΝΑΓΝΩΝΑΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΙΣ ΕΝ ΤΩΙ ΘΕΑΤΡΩΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝΑΙ ΚΑΙ ΤΑΣ
ΤΙΜΑΣ ΑΝΑΓΓΕΙΛΑΙ ΚΑΙ ΤΟΠΟΝ ΑΙΤΟΥΝΤΑΙ ΕΝ ΤΗΙ ΑΓΟ
ΡΑ ΕΝΩΙ ΣΤΗΣΟΥΣΙ ΤΗΝ ΕΙΚΟΝΑ ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΤΗΙ ΒΟΥ
ΛΗΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ ΜΕΝ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΟΝ ΠΑ
ΡΙΩΝ ΟΤΙ ΕΥΝΟΥΣΩΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣ ΔΙΑΤΕΛΕΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ ΚΥ
ΖΙΚΗΝΩΝ ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ ΔΕ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩ
ΝΙΟΥ ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣ ΕΝΕΚΕ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΝ
ΔΗΜΟΝ ΤΟΝ ΠΑΡΙΩΝ ΤΟΥΣ ΔΕ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΣΤΕΦΑ
ΝΩΣΑΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ ΤΟΙΣ ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΟΙΣ ΕΝ ΤΩΙ
ΘΕΑΤΡΩΙ ΚΑΙ ΑΝΑΓΓΕΙΛΑΙ ΤΑΣ ΤΙΜΑΣ ΤΑΣ [10] ΔΕΔΟΜΕ
ΝΑΣ ΑΥΤΩΙ ΥΠΟ ΠΑΡΙΩΝ ΔΕΔΟΣΘΑΙ [11] ΔΕ ΑΥΤΩΙ ΚΑΙ ΤΟ
ΠΟΝ ΕΝΩΙ ΣΤΗΣΟΥΣΙ ΤΗΝ ΕΙΚΟΝΑ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΡΑΠΕ
ΖΑΣ [12] ΠΡΟ ΤΗΣ ΣΤΟΑΣ ΤΗΣ [13] ΔΩΡΙΚΗΣ ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ ΔΕ
ΚΑΙ ΤΑ ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ ΚΑΘΑ ΤΕΤΙΜΗΤΑΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ
ΥΠΟ ΠΑΡΙΩΝ ΕΙΣ ΤΑ [14] ΔΗΜΟΣΙΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ. ΠΕΜΨΑΙ ΔΕ
ΚΑΙ ΞΕΝΙΑ ΤΟΙΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙΣ ΤΟΥΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΚΑΙ
ΤΟΝ ΤΑΜΙΑΝ ΚΑΘΟΤΙ ΑΝ ΔΟΚΕΙ ΑΥΤΟΙΣ.

Sic lineis intermiſſis.

ΤΗΣ ΑΝΑΓΡΑΦΗΣ [15] ΕΠΕΜΕΛΗΘΗ ΣΘΡΥΝΗΣ
ΦΙΛΩΝΟΣ ΤΑΜΙΑΣ

[1] *Spon.* Πορλονικος
[2] *Spon.* φιλος
[3] νυν *deeſt in Spon.*
[4] *Spon.* Απιαντον
[5] *Spon.* Αιξιοι
[6] *Spon.* ΤΩΝ *male.*
[7] *Spon.* διδομενας
[8] *Spon.* ει
[9] *Spon.* Αναγνωντι
[10] *Sp.* διδομενας
[11] δε, *deeſt in Sp.*
[12] *Spon.* πρατης
[13] *Spon.* Δορικης
[14] *Spon.* δημου τα
[15] *Spon.* επιμελητης ΑΙΣΧΙΝΗΣ

In his duabus postremis lineis paulum erasæ litteræ sunt. Sponius male haud dubie legit, sic putavi legendum ΣΘρωύης.

Id est:

Placuit Senatui & populo. Gorgonicus filius Dioclis dixit: Quandoquidem urbs Pariorum, quæ & anteactis temporibus benevola fuit, & in amicitia etiamnum populi Cyzicenorum perseverat, misit nunc Legatos Cydiam, Amiantum & Archephylum; Leontius rogat populum, Apollodoro Apollonii filio insulam gubernante, qui in multis præclarisque gestis utilis factus est populo Pariorum; ut honores qui ipsi à populo Pariorum collati sunt, in Senatu & populo (S. Cyzicenorum) *legantur, & ut in festis Dionysii seu Bacchi, in theatro coronetur, honoresque ejus promulgentur: locumque petunt* (legati) *in foro ubi statuam ejus collocent. Decretum est à Senatu & populo ut laudetur quidem populus Pariorum quia benevolus & amicus perseverat populo Cyzicenorum: laudetur item Apollodorus Apollonii filius ob munificentiam & benevolentiam suam erga populum Pariorum, utque Prytanes* (sive Administratores) *in Anthesteriis, (*scilicet in Bacchi celebritatibus in queis serta adhibebantur,) *in theatro Apollodorum coronent, & promulgent honores à Pariis ipsi collatos: assigneturque ipsi locus in quo erigent statuam juxta tabulas ante porticum Doricam; utque decreta à Pariis in honorem Apollodori lata, describantur in publicis commentariis, atque Prytanes & penuarius dona mittant ad Legatos prout ipsis visum fuerit.*

Inscriptionem curavit Sthrynes Philonis penuarius.

Sponius qui haud feliciter in multis legerat, non accuratam satis versionem adornavit.

Bibliotheca codicibus manuscriptis instructa est, maximè Græcis, quantum per tempus licuit hæc à me notata sunt.

Codex membranaceus XI. sæculi, Novum Testamentum Græcè.

Theodori Antiocheni in XII. Prophetas, cujus operis initium, Εἰς ἔλεγχον τῆς ἀβασανίστως: hic liber nondum editus est, exstat quoque in Bibliotheca Cæsarea Viennensi, & in Vaticana Biblio-

theca. Nescitur cujus Theodori sit, an Antiocheni, an Heracleotæ, an alterius ejusdem nominis, qui bene multi fuerunt. Hæc commentaria bonæ notæ sunt: codex recens.

Catena in Job sine auctoris nomine, codex recens. Hujus initium: ὑπόθεσις μὲν ἡμῖν καὶ σκοπὸς τοῦ λόγου. Eadem est quæ in editis *Nicetæ* nomine circumfertur.

Catena in Matthæum in codice membranaceo undecimi sæculi.

Codex membranaceus decimi sæculi, *Theodoretus* in Psalmos.

Theodoreti item θεραπευτικὴ ἑλληνικῶν παθῶν προθεωρία. Id est, *præludium sive prospectus de curatione morborum Græcorum, sive Gentilium:* cujus initium, Πολλάκις μοι τὴν τῆς ἑλλ. codex recens.

Codex *Joannis Chrysostomi* in Joannem.

Codex recens, *Cyrilli* Catecheses. Item *Simeonis* Thessalonicensis de Ecclesiasticis mysteriis.

Codex recens *Maximi*, in quo multa non edita.

Tituli legalles Imperatorum Constantinopolitanorum, initium, οἱ μαθηματικοί.

Historia Barlaam & Josaphat in fine mutila, initium, Ὅσοι πνεύματι θεοῦ ἄγονται οὗτοί εἰσιν υἱοί.

Codex recens, *Joannes Cantacuzenus* contra Muhammedem.

Heronis πνευματικὰ, sive de Machinis pneumaticis.

Pappi Alexandrini, συναγωγῶν τρίτον de Geometricis.

Nonni Dionysiaca, codex recens elegans.

Manuelis erotemata in codice XIV. sæculi; sed hæc scripta sunt erasis & deletis pene aliis quæ nono sæculo exarata fuerant, ut ex charactere, qui certis in locis adhuc legi potest, liquidum. Simile occurrit non infrequenter. Videntur autem quæ erasa fuere esse homiliæ cujusdam Patris.

In codice recenti, *Ptolemæi* Cosmographia mutila.

Codex recens, *Philostrati* Heroïca.

Πρόλογος τοῦ λεγομένου Συντιπᾶ τοῦ φιλοσόφου, μεταβληθεὶς ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, ὡς εἶχεν αὐτῆς λέξεσιν, εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν. Id est, *Prologus cujusdam Philosophi nomine Syntipa, versus ex Syriaca in Græcam linguam, ad litteram, ac verbum pro verbo.* Initium Prologi. Διήγησις φιλοσόφου συγγραφεῖσα παρ' ἡμῶν. Initium operis. Βασιλεύς τις ἦν Κῦρος ὀνόματι, ᾧ καὶ ἦσαν γυναῖκες ἑπτά. *Rex quidam erat nomine Cyrus cui erant septem uxores.* Videtur esse nugacissimi Græculi commentum.

Homeri,

Homeri, Euripidis, Sophoclis, & *Æschyli* codices.

Alceranus elegantiſſime deſcriptus, primis paginis auro illitis.

Alia multa ſpectabilia iſtic ſunt, tabellæ depictæ peritiſſimis pictoribus. Monſtratur item ampla ſupellex figlina, diſci videlicet in concavo à Raphaele delineati; at multi Raphaelem auctorem negant, fere nuſquam exſtant tot hujuſcemodi. Eſt ibidem conclave plenum anaglyphis, ſignis, inſcriptionibus, aliiſque antiquitatum monumentis, quæ per cancellos à limine ſolum ſalutare licuit, nam ſemper oppeſſulatas invenimus fores, neque clavis aderat, conſilio an caſu ignoratur.

In quadam cella viſitur caput Jovis marmoreum, cum inſcriptione BONO DEO BROTONTI, ſphalmate fabrili pro, *brontonti*, βροντῶντι, id eſt tonanti: ſimiles occurrunt apud Gruterum. Hac de re Diſſertationes ediderunt primo vir cl. Joannes Antonius Aſtorius, ac deinde vir doctus nobiſque amiciſſimus Philippus à Turre, in eleganti opere de Diis Aquileienſibus.

Septima Auguſti à D. Abbate Leith ſive Gualterio in Bibliothecam S. Marci intromittimur. Viſitur ab ingreſſu veſtibulum plenum anaglyphis, iconibus marmoreis, ſtatuiſque, & inſcriptionibus; Ganymedis raptus ibidem exſtat ſcitè elaboratus: opinio eſt eſſe Phidiæ opus. Ledæ ſtatua, Paris cum bireto Phrygio, Trajani caput, icones Veſpaſiani, Marci Aurelii, Septimii Severi, &c. Horum magna pars à Grimanis dono oblata Bibliothecæ fuere, inter quæ notavi inſcriptionem, A. ORCIVI. A.F. PAL. &c. quæ apud Gruterum p. DCCCCXLIX. ut Grimanorum adfertur. In iſtac Bibliotheca nonniſi manuſcripti codices habentur maxima pars Græci, & à Cardinali Beſſarione dono oblati. Spes erat ampliſſimæ meſſis: at octava Auguſti cum ad condictum tertiò accederemus, renunciavit Abbas Procuratorem Cornarum, cui maximè incumbit Bibliothecæ cura, monitum ab neſcio quo qui pridie in Bibliothecam ſe intromiſerat, vetuiſſe ne nobis luſtrandi, multoque minus exſcribendi facultas daretur, ratum è Reipublicæ & Bibliothecæ dignitate fore, ſi codices tanto numero occulti in pluteis quieſcant in pace & nullo uſui ſint: quaſi vero Cardinalis Beſſarion, qui codices iſtos tantâ curâ conquiſivit & ex variis orbis partibus advexit, eo conſilio id egerit ut in belliſſimo conclavi tumularentur & quietè agerent, donec aut ſitu, aut blattis, aut incen-

dio, quod non raro evenit, interirent. Aiebant porro non ſine ſuſpicione litteratos admitti ad evolvendos codices, ex quo Græcus quidam Bibliothecæ cuſtos, accuſatus quod manuſcriptis codicibus ad quæſtum uteretur, multoſque venumdaret, de capite timens, veneno mortem ſibi conſcivit.

Ex tanta ſupellectile hanc ſolum breviſſimam codicum notam accepi.

Codex XIV. ſæculi. Ἐπιστολαὶ τοῦ ἁγίου Ισιδώρου τοῦ Πηλουσιώτου εἰς τὴν ἑρμηνείαν τῆς θείας γραφῆς. Περὶ τῆς τοῦ παντὸς δημιουργίας, hoc eſt: *S. Iſidori Peluſiotæ Epiſtolæ, ad interpretationem divinæ Scripturæ. De univerſi creatione, &c.* Initium Epiſtolæ primæ. Ἐπειδὴ κυκλικόν ἐστι τοῦ χρόνου τὸ σχῆμα, *&c.* Epiſtolæ igitur ad diverſos miſſæ numero 1200. quæ ad interpretationem Scripturæ ſacræ conferunt, juxta ordinem librorum & verſuum Veteris & Novi Teſtamenti digeſtæ ſunt. Cum autem inter Iſidori epiſtolas, quæ ad ter mille cuſæ ſunt, multæ in explanandis Scripturæ ſacræ locis verſentur, non auſim dicere eaſdem aut diverſas eſſe ab iis quæ in codice comparent. Ipſas Cardinalis Barbadicus ὁ μακαρίτης publici juris facere deſtinaverat, ſed fato præoccupatus, alteri provinciam reliquit.

In Pluteo 31. codex membranaceus; *Epiphanii* πανάρια, codices Panariorum admodum infrequentes ſunt in Italia.

In Pluteo 32. *Baſilii* epiſtolæ.

In eodem Pluteo, codex membranaceus non ſpernendæ antiquitatis, *Gregorii Nazianzeni* carmina vitæ.

In Pluteo 34. *Euſebii* de Præparatione Evangelica, codices tres. Codices de Præparatione Evangelica non infrequentes ſunt, de Demonſtratione vero rariſſimi.

In Pluteo 37. codex membranaceus Evangelium S. *Matthæi* Græcum & Hebræum è regione. Videndum an ſit verſio Hebraïca à Munſtero publicata.

In eodem Pluteo, *Origenes* in Matthæum & Joannem.

Codex Græcus, *Joſephi* opera Græcè, deſcriptus eſt juſſu Cardinalis Beſſarionis Romæ anno 1469.

Alexandri Magni Hiſtoria fabuloſa, eadem puta quam laudavimus ſuperiùs, quæque Calliſtheni cuidam tribuitur.

Themiſtii de Amicitia.

Alcinoi de Dogmatibus Platonis.

Lampi Buragi στρατηγικὸν contra Turcas.

In vestibulo inscriptionem Græcam eximiam erui. Est decretum Athenienſium, qui in inſula Delo habitabant, allatum à Grutero in Theſauro p. 405. Sed hiulcum, lacerum & in multis vitiatum, etſi integerrimum legatur in marmore : hîc ſanum damus.

In marmore quatuor ferme pedum longitudine, latitudine unius.

ΕΠΙ ΑΡΙΣΤΑΙΧΜΟΥ [1] ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΓΑΜΗΛΙΩΝΟΣ ΔΕΚΑΤΕΙ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ
ΕΚΚΛΗΣΙΑ ΚΥΡΙΑ ΕΝ ΤΩΙ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΗΡΙΩΙ
ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ ΕΙΠΕΝ
ΕΠΕΙΔΗ ΕΥΒΟΥΛΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ
ΕΝ ΤΕ ΤΑΙΣ ΑΡΧΑΙΣ [2] ΕΦΑΣ ΕΧΕΙΡΟΤΟΝΗΘΗ ΚΑΛΩΣ
ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΩΣ ΑΝΑΣΡΑΦΕΙΣ ΑΝΕΚΚΛΗΤΟΝ ΕΑΥ
ΤΟΝ ΠΑΡΕΣΧΕΤΟ ΑΡΧΕΘΕΩΡΟΣ ΤΕ ΑΙΡΕΘΕΙΣ ΚΑΙ
ΜΕΤΑ [3] ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΤΕ ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ ΣΥΝΘΕΩΡΩΝ
ΠΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ ΚΑΙ ΠΡΕΠΟΝΤΩΣ ΒΡΑΒΕΥΣΑΣ
ΤΟ ΤΕ ΠΡΩΤΟΝ ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΟΙΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ ΤΟΝ
ΔΗΜΟΝ ΤΟΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩ ΤΙΜΗΘΗ
ΝΑΙ ΧΡΥΣΩΙ ΣΤΕΦΑΝΩΙ ΑΝΑΓΟΡΕΥΜΕΝΩΙ ΕΝ
ΤΩΙ ΕΝ ΑΣΤΕΙ ΘΕΑΤΡΩΙ ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΣ ΤΕ ΠΛΕΟΝΑΚΙΣ
ΚΑΙ ΑΓΩΝΙΣΑΜΕΝΟΣ ΕΚΤΕΝΩΣ ΠΟΛΛΑ ΤΩΝ ΧΡΗ
ΣΙΜΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣ ΤΟΙΣ ΕΝ ΔΗΛΩΙ ΠΕΡΙΕΠΟΙΗΣΕΝ
ΙΕΡΕΥΣ ΤΕ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ ΚΑΙ
ΠΑΛΙΝ ΤΟΥ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ ΑΙΡΕΘΕΙΣ ΥΠΟ ΤΟΥ
ΔΗΜΟΥ ΚΑΙ ΛΑΧΩΝ ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΚΑΙ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ [4] ΠΑΣ
[5] ΔΑΠΑΝΗΣΑΣ ΤΑΣ ΠΟΜΠΑΣ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥΣΙΑΣ ΥΠΕΡ ΑΘΗΝΑΙ
ΩΝ ΚΑΙ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΛΩΣ ΚΑΙ ΙΕΡΟΠΡΕΠΩΝ ΣΥΝΕΤΕΛΕ
ΣΕΝ ΟΠΩΣ ΟΥΝ Ο ΔΗΜΟΣ ΦΑΙΝΗΤΑΙ ΤΟΙΣ [6] ΕΥΧΡΗΣΤΟΥ
ΣΙΝ [7] ΑΞΙΑΣ ΑΠΟΔΙΔΟΥΣ ΧΑΡΙΤΑΣ. ΑΓΑΘΕΙ ΤΥΧΕΙ ΔΕ
ΔΟΧΘΑΙ [8] ΤΕΙ ΒΟΥΛΕΙ ΤΟΥΣ ΛΑΧΟΝΤΑΣ ΠΡΟΕΔΡΟΥΣ
ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΙΟΥΣΑΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΝ ΧΡΗΜΑΤΙΣΑΙ
[9] ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΩΝ ΓΝΩΜΗΝ ΔΕ ΞΥΜΒΑΛΛΕΣΘΑΙ ΤΗΣ
ΒΟΥΛΗΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΟΤΙ ΔΟΚΕΙ [10] ΤΕΙ ΒΟΥΛΕΙ ΣΤΕ
ΦΑΝΩΣΑΙ ΕΥΒΟΥΛΟΝ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΝ
ΤΩΙ ΙΕΡΩΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΣΤΕΦΑΝΩΙ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ
ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΧΕΙΡΟΤΟΝΗΣΑΙ
ΔΕ ΚΑΙ ΠΡΕΣΒΕΙΣ ΗΔΗ [11] ΤΡΕΙΣ ΟΙ ΤΙΝΕΣ ΕΠΕΛΘΟΝ
ΤΕΣ ΕΠΙ ΤΗΝ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΒΟΥΛΗΝ ΚΑΙ ΕΚΚΛΗΣΙΑΝ

[1] *Gruter.* Αρχοντος
[2] εφ ας, *deest in Gr*
[3] *Grut.* του υου και
[4] *Grut. non legit, ſic habetur, ſed* πασας *legendum.*
[5] *Hæc tota linea lacera eſt apud Grut.*
[6] *Hæc vox manca eſt apud Grut.*
[7] *Hæc item*
[8] *Grut.* τη βουλη
[9] *Grut.* περι των την
[10] *Grut.* της βουλης
[11] *Vox manca apud Gruterum.*

ΠΑΡΑΚΑΛΕΣΟΥΣΙ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΣΥΝΕΠΙΚΩΡΗΣΑΙ
ΤΟΙΣ ΕΨΗΦΙΣΜΕΝΟΙΣ ΕΥΒΟΥΛΩΙ [12] ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙΣ
ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ ΔΕ ΤΟΔΕ ΤΟ ΨΗΦΙΣΜΑ ΚΑΙ ΕΙΣ ΣΤΗΛΗΝ
ΛΙΘΙΝΗΝ ΚΑΙ ΣΤΗΣΑΙ ΕΝ ΤΩΙ ΗΡΑΚΛΕΙΩΙ ΠΡΕΣΒΕΙΣ
ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΣ ΚΑΤΑ ΤΟ ΨΗΦΙΣΜΑ ΟΙΔΕ ΚΕΧΕΙΡΟ
ΤΟΝΗΝΤΑΙ ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΟΣ ΕΚ ΜΥΡΙΝΟΥΤΤΗΣ
ΞΕΝΟΦΙΛΟΣ [13] ΟΙΝΑΙΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ
ΕΠΕΨΗΦΙΣΘΗ ΚΑΙ [14] ΑΘΗΝΗΣΙΝ

[12] *Grut.* φιλανθρωπω

[13] *Grut.* ΘΙΝΑΙΟΣ

[14] *Grut.* ἐν Ἀθηνησιν



















Id eſt:

Sub Ariſtæchmo Archonte Gamelionis x. conventus legitimæ auctoritatis in loco comitiorum. Menander Menandri filius Melitenſis dixit: Quandoquidem Eubulus Demetrii filius Marathonius, & in Magiſtratibus ad quos electus eſt probè atque honorificè ſe gerens inculpatum ſe præſtitit, & poſtquam ſpectaculorum quoque præfectus electus eſt, cum filio cæteriſque collegis probè & pro merito præmia diſtribuit. Ac primum in[a] *Panathenæis id effecit, ut populus Athenienſium qui in Delo ſunt honoraretur aureâ coronâ, proclamata in Theatro quod in Urbe ſitum eſt: Legationibus item ſæpe functus, ſtrenuéque rem agens, multa utilia Athenienſibus qui in Delo ſunt procuravit. Sacerdos inſuper magnorum deorum factus, ac deinde Æſculapii: Rurſuſque cooptatus à populo, & nactus Bacchi Sacerdotium, proprio ſumptu pompas & ſacrificia pro Athenienſibus & Romanis pulcre atque ut Sacerdotem decebat peregit. Ut igitur populus videatur iis qui ſibi bona & utilia conferunt dignas rependiſſe gratias; quod bene vertat, decretum eſt in Senatu, ut qui jam præſides ſunt in proximo concilio his de rebus loquantur, utque ſententia ſenatûs ad plebem referatur, quod ſcilicet placeat Senatui, ut coronetur Eubulus Demetrii filius Marathonius ſacra Dei corona, virtutis cauſa, necnon benevolentiæ erga populum; utque jam tres legati eligantur, qui adeuntes Athenarum Senatum & concilium, rogent ut annuant decretis in gratiam Eubuli latis; Utque hoc decretum ſcribatur in cippo lapideo, & erigatur in Heracleo. Legati Athenas juxta præſens decretum electi ſunt iſti, Antheſterius ex*[b] *Myrrhinuſa, Xenophilus*[c] *Oenæus, Demetrius Marathonius.*

Decretum Athenis quoque confirmatum eſt.

Senatus populuſque,	*Senatus populuſque,*	*Senatus populuſque,*
Sacerdos Magnorum deorum,	*Sacerdos Bacchi,*	*Sacerdos Magnorum deorum.*
Senatus populuſque,	*Sacerdos Æſculapii,*	*Senatus populuſque.*

[a] Panathenæa, ut vulgo notum eſt, ſunt Quinquatria, Minervæ feſtum in quo peplum ejus deferri ſolebat. [b] Myrrhinuſa, Græcè, Μυῤῥινοῦς, aut Μυῤῥινοῦσσα, ſive Μυῤῥινοῦττα, in tribu Pandionide vicus. Ibid. [c] Oenæus, ab Oenoe, Οἰνόη. Duo vici in Attica hujus nominis memorantur; alius in tribu Aiantide, alius in Hippothoontide.

Pomeridianam operam viſendis codicibus Archiepiſcopi Philadelphiæ Græcorum antiſtitis navamus. Eſt ille nomine Meletius Typaldus Græcè & Latinè doctus, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcientiſſimus. Is nobis comiter & urbanè exceptis copiam fecit exſcribendi ſi qua luberet: hæc in codicibus notavi.

Codex membranaceus XI. ſæculi, *Theodoreti* προθεωρία εἰς τοὺς ψαλμούς. Initium, Ἐμοὶ μὲν περὶ τῶν ἄλλων θείων λογίων κατεθύμιον ἦν.

In alio codice: Ejuſdem, εἰς τὰ ἄπορα τῆς ἁγίας γραφῆς. *Quæſtiones ſive dubia in Scripturam ſacram.*

In alio codice, *Theodori Antiocheni* in XII. Prophetas idem opus de quo ſupra in ædibus Grimanis agitur. In Monito ad commentarium Oſeæ, hic Theodorus citat ſuum in Pſalmos librum, litteram vulgo interpretatur. Commentarium bonæ notæ; non memini an vox Antiocheni Ἀντιοχέος in codice legatur, an à me ex opinione adjecta ſit.

Codex XI. ſæculi, membranaceus. *Heſychii* Hieroſolymitani interpretatio in Pſalterium, initio mutila ..... ἐστὶν μὲν οὖν ὁ μακαρισμός. Hujus laciniæ bene multæ in catenis ſunt; opus integrum cuſum non eſt.

Catena in Pſalmos Græca brevis, XI. ſæculi membran.

Codex XIII. ſæculi bombycinus, catena in Pſalmos.

Codex XII. ſæculi, *Euthymii* Panoplia non cuſa Græcè, ſed Latinè tantùm.

Codex membranaceus optimæ notæ, XI. ſæculi, *Joannis Damaſceni* Parallela & alia ejuſdem.

In codice recenti *Gelaſii* hiſtoria.

In alio codice recenti, Epiſt. *Joannis* Papæ ad Photium Patriarcham, cujus initium, Οὐκ ἀγνοεῖν συμβαίνει ὑμᾶς ὥς τινες τῶν αὐτόθι.

Archiepiſcopus veſte talari atra indutus erat, aſſumento ſerico purpureo munita. Supellex moderata, huic adſunt ſemper diaconi tres ad epiſcopalem & domeſticum uſum.

Inſequenti, nona Auguſti, in Eccleſiam Græcorum ſecundò pergimus adfuturi veſpertino cantui, quo nos provocaverat D. Archiepiſcopus. Eccleſia parva eſt, nitida, Græco more ſtructa. In aſſignato nobis juſſu Præſulis loco ſedemus. Primum à dextris locum occupabat Archiepiſcopus, cui ad cultum vulgarem adjectum fuerat pallium violaceum. Baculum manu geſtabat tranſverſo ligno ſupernè munitum ad figuram T. Ipſa die ce-

lebrabatur feſtum S. Eudocimi. Ad utramque chori partem poſiti erant qui officium perſolverent, pone Præſulem vero aderant quinque ſexve clerici juvenes non diu detonſi. Rebus hoc ordine ſitis, Preſbyter ſtolatus aperit valvas ſanctuarii, quod τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, *Sancta Sanctorum* Græci vocant : exinde ex clericis unus ad medium chori ſe ſtitit, atque ſeptem Pſalmos Græcè recitavit : deinde reliqui alternatim ex utraque parte canebant, ita ut nonniſi unus, reliquis tacentibus, caneret hymnos ſive Reſurrectionis Jeſu Chriſti, ſive in honorem ſancti Eudocimi, &c. In fine Veſperarum Preſbyter qui Sancta Sanctorum aperuerat, populum dimiſit, poſtquam pro fidelibus omnis generis preces fuſæ ſunt, & plerumque dictum Epiſcopo, Εἰς πολλὰ ἔτη, *Ad multos annos.* Abſoluto officio, nos digniſſimus Præſul evocat in Sancta Sanctorum : hæc in extremo Chori adornata ſunt in loco quem mitulum vocant, ſubſequentes alios ſæculares viros ingreſſu prohibuit Archiepiſcopus dicens, nonniſi preſbyteris & clericis patere locum, quod ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſpectat : ſimiliter veterem morem Eccleſiæ olet, quod una ſolum liturgia quotidie in Eccleſia illa celebretur.

Undecima Auguſti, comite D. Apoſtolo Zeno, ad Bibliothecam SS. Joannis & Pauli Dominicanorum contendimus ; ubi codices Græci non pauci, quorum notam ſequentem excepi.

Codex XII. ſæculi, Epiſtolæ *Gregorii Nazianzeni*, & quædam *Baſilii.*

Codex XIV. ſæculi, S. *Thomæ Aquinatis* opera Græcé.

Codex XI. ſæculi membranaceus, *Thucydidis* hiſtoriæ.

Codex bombycinus XIV. ſæculi duobus tomis, *Suidæ* lexicon. Initium τοῦ Α. Α ἄ παρὰ Ἀριστοφάνους ἐπίῤῥημα. Initium τοῦ Ε. Εα συγχωρεῖ. ἐάγη ἐθραύσθη.

Thomæ cujuſdam ad Pſaltem Antiochenum de Filio Dei, præit σκοπὸς τοῦ λόγου.

Codex XII. ſæculi, *Plutarchi* vitæ, incipientes à Demetrio.

Codex XIV. ſæculi, *Libanii* orationes.

Codex ſcriptus anno mundi 6792. id eſt Chriſti 1284. in charta bombycina, *Georgii Cedreni* hiſtoriæ. Initium, Πολλῶν τῶν πρὸ ἡμῶν φιλοθέων ἀνδρῶν φιλιστόρων.

Codex membranaceus XI. ſæculi, *Ariſtidis* orationes.

Codex XV. ſæculi, Anonymus de cauſis & de rebus philoſophicis. Liber nuncupatus Joanni Cornelio Georgii Epiphanis

filio, Reginæ Cypri Catharinæ ἀδελφιδῷ. id eſt, patrueli.

Codex XIV. ſæculi, Apophthegmata *Æſopi.*

Codex XIV. ſæculi, Lexicon peramplum, cujus initium, Ἄαπτος ὁ ἀπεραντελίαστος παρὰ τὸ τοῦ ἅπτω ἄπτος ἄπτος. Initio libri hæc ſcribuntur, Ιωάννου τοῦ Μοναχοῦ ὡς ἐγὼ νομίζω, id eſt, *Joannis Monachi, ut arbitror.*

Codex XV. ſæculi, *Stephanus* de Urbibus.

Codex XV. ſæculi, *Dionyſius Halycarnaſſeus:* in fine hujus & aliorum multorum iſtius Bibliothecæ codicum legitur hoc carmen, aut quid ſimile:

> Θεοῦ τὸ δῶρον ἠδὲ Καίσαρος πόνος
> τοῦ στρατηγοῦ.

Id eſt: *Dei donum, Cæſariſque Strategi opus.*

Codex *Appiani* eodem Cæſare Stratego amanuenſe.

Polybius in cujus fine dicitur eumdem Strategum codicem ſcripſiſſe Florentiæ. Unde putarim Cæſarem Strategum ex numero Græcorum fuiſſe, qui à Laurentio Mediceo Florentiam evocati ſunt, ut codices conſcriberent.

Diodorus Siculus ejuſdem Strategi manu.

Pindarus eodem ſcriba.

Dionyſius Perihegetes eodem ſcriba, qui in codice quodam *Lacedæmonius* dicitur.

Latini pariter codices iſtic bene multi ſunt, ſed magna pars Scholaſticorum ſequioris ævi: aliquot tamen bonæ notæ comparent, videlicet.

Guillelmus Paſtrengicus, de Viris illuſtribus, erat is Petrarchæ Magiſter, cujus ille frequenter non ſine laude meminit. Eſtque opuſculum ut illo ævo perutile, multi Scriptores, multique libri non noti ibidem memorantur. Poſtea vero in quodam Bibliopolio incidi in eumdem Paſtrengicum Venetiis cuſum anno 1547. At perinde ignotus eſt etiam Venetiis, ac ſi numquam vidiſſet lucem: ad hæc mendis infinitis fœdatus, ut vix apta ſententia eruatur, hiulcus & lacerus in multis, ita ut operæ pretium duxerim, illum ad duos Romanos codices caſtigatum & auctum typis iterum dare inter Anecdota.

Codex XIII. ſæculi, Anonymi opus cui titulus: *Cronica iſta compilata eſt ex Cronica *Damaſcii Papæ & Jeronymi, & Euſebii, & beati Yſidori, & ex Cronica Honorii incluſi, & ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis & Scholaſticis, & ex diverſis decretis civitatum antiquarum.*

* *Damaſi.*

rum. Et hoc usque ad Fredericum Romanorum Imperatorem. Et dicitur Cronica à Cronos Græcè. Unde Cronica est liber continens temporum descriptiones. Initium: *Præsens sæculum distinguitur in duos status. Primus status &c.* Definit historia ad annum Christi 1250. Quod sane Chronicon alicujus pretii videtur. Verum ejus potiundi causa interventu usus R. P. Antonii Cloche Præfecti Generalis Ordinis Dominicanorum, viri multis mihi nominibus observandi, optatum assequi non potui: neque explorare cusumne an ineditum sit.

Ambrosii Camaldulensis, versio libri Athanasii contra Gentes & de Incarnatione.

Chronicon *Martini* * *Poloni*, cujus initium adferimus. *Incipit Chronica fratris Martini Domini Papæ Capellani & Pœnitentiarii, de conditione & regimine Romanæ urbis, & gestis summorum Pontificum & Imperatorum.*

* *Poloni*, non legitur in codice; nec desunt qui putent hunc Martinum, alium à Polono.

Quoniam scire tempora summorum Pontificum Romanorum ac Imperatorum, necnon & aliorum Patrum suorum contemporaneorum, quamplurimum inter alios Theologis ac Jurisperitis expedit. Ego frater Martinus, Domini Papæ Capellanus & Pœnitentiarius, ex diversis Chronicis ac gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, præsens opusculum per annos Incarnationis Domini ab ipso primo Pontifice Jesu Christo & ab Octaviano primo Augusto, sive Imperatore; per Pontificès & Imperatores descendendo usque ad Honorium Papam quartum, deduxi inclusivè in una pagina eo anno Domini quo creati fuerunt ponendo Pontificès. In alia pagina econtra sub eisdem annis, eo anno Domini quo creatus quisque fuit ponendo Imperatores. Et quia tam Pontificès quam Imperatores Romanæ urbis esse dicuntur; idcirco conveniens arbitratus sum, de conditione & statu Urbis aliqua præmittere, ut sic de ipsius Pontificibus & Imperatoribus ordinatiùs possim procedere.

Compilavi autem præsens opusculum ex scriptis Titi-Livii, item ex Chronicis Orosii.

Item ex Chronicis Damasci (sic) *Papæ de gestis Pontificum & Imperatorum.*

Item ex Chronicis Pauli Romani Diaconi Cardinalis, de gestis utrorumque.

Item ex Chronicis Gilberti, de gestis utrorumque.

Item ex Chronicis Richardi Monachi Cluniacensis.

Item ex Chronicis Gervasii.

Alii legunt, *Methodii.*

*Item ex Chronicis * Estodii.*

Item ex Chronicis Godefredi Viterbiensis.

Item ex Chronicis fratris Vincentii Bellivacensis. (sic) *Et aliqua accepi ex decreto, & quædam ex passionibus Sanctorum.*

Codex sic desinit.

Bonifacius VIII. Natione Campaniæ de civitate Ananiæ sedit ann. deficit hîc codex. Deinde sequitur Catalogus Regum Francorum desinens ad Philippum Pulcrum.

Hæc describere visum, quia mirè variant codices Chronici Martini Poloni, maximeque initio; nam quod superius legitur, *usque ad Honorium Papam quartum*, alii codices ad Clementem IV. alii ad Gregorium IX. alii ad Joannem XXI. præferunt. Vix itaque potest Martini Chronicon in codicibus quale à primo auctore exaratum fuit deprehendi; nam quivis amanuensis, ut liquet, ad suam usque ætatem deduxit historiam, atque in prologo nomen Pontificis sui ævi amoto priore posuit: in serieque non semel dissentiunt codices.

Codex xv. sæculi, *Joannis Columnæ* Ordinis Prædicatorum, de viris illustribus usque ad ævum suum, ordine alphabetico: opus non spernendum & luce dignum.

Bibliotheca isthæc ornata fabrilibus ligneis statuis est. Catholicorum insignium virorum hinc, hæreticorum inde. Inter hæreticos visuntur Erasmus catenis onustus, & Guillelmus à S. Amore pariter alligatus, appositis dicteriis, hosce viros quasi Lutherum & Calvinum infamantibus.

Caput IV.

De S. Marci platea & Ecclesia. Columnæ. Aquæductus Michaelis Imperatoris. Cimeliarchium Sancti Marci. Gemmæ. Inscriptiones binæ. De Evangelio S. Marci, quo pacto delatum Venetias, Epistolæ variæ ea de causa. Musæum Contarinum & Ruzzinianum. Descriptio amplissimi Musæi Dom. Antonii Capelli Patritii. Gemmæ, Abraxeæ figuræ, numismata, monumentum Reatinum in cortice.

PLERUMQUE S. Marcum adiimus, bisque thesaurum & cimelia omnia lustravimus accurate, hic tamen omnia simul consignanda. In platea S. Marci, qua mari terminatur, eriguntur duæ columnæ immanes; quarum altera ex marmore granito Ægyptio est, altera ex marmore granito Europæo Æthaliæ, ut vocat inferius Flaminius Vacca, *granito dell' Elba*. In frontispicio S. Marci sunt quatuor equi ænei eleganti formâ, qui olim, ut fertur, ab aliquo Parthorum Rege Neroni Augusto Romam missi fuere; hinc opinio est à Constantino Byzantium deportatos fuisse, ac demum captâ per Francos & Venetos Constantinopoli, curante Henrico Dandulo Venetias allatos. Verum Anonymus, *de mirabilibus Romæ*, qui XIII. circiter sæculo scripsit, & infra edetur; in circo Neronis quatuor equos memorat his consimiles: unde suspicio est hos ipsos esse qui Roma, non Constantinopoli, Venetias translati sunt. Sane antequam in hunc scriptorem inciderem, vidi qui dubitarent de advectis Constantinopoli equis.

In Capella Cardinalis Zeni hanc inscriptionem legi ad sculptam imaginem B. V. Mariæ, Μητὴρ Θεοῦ ἡ ἀνίκητος, id est, *Mater Dei invicta*. Ad latus sinistrum Imaginis est marmorea tabula muro adfixa, in qua tria foramina triangulari more sita, minora auriculari inserendo digito. Erantque tres exigui canales fontis à Michaele Imperatore Constantinopolim deducti, quod testificantur quatuor carmina iambica ibidem sculpta.

Ὕδωρ τὸ πρὶν μὲν ἐκ πέτρας ῥυὲν ξένως
Εὐχῇ προσήχθη τοῦ προφήτου Μωσέως.
Τὸ νῦν δὲ τοῦτο Μιχαὴλ σπουδῇ ῥέει,
Ὃν σῶζε Χριστὲ καὶ σύνευνον Εἰρήνην.

Quorum interpretatio hæc, inferiùs ſculpta legitur.

Aqua quæ prius ex petra mirabiliter fluxit,
Oratione Prophetæ Moſis producta eſt.
Nunc autem hæc Michaelis ſtudio labitur,
Quem ſerva, Chriſte, & conjugem Irenem.

Ex his autem verſibus male intellectis emanavit opinio Venetiis, ipſam eſſe petram ex qua Moſes aquam divinitus eduxit populo Iſraelitico ſiti confecto: at ſecus præfert inſcriptio; videlicet, ut illam Moſes εὐχῇ, id eſt, precibus eduxit ex petra, ſic hanc Michael cura & ſtudio ſuo σπουδῇ manare fecit Conſtantinopoli ſcilicet. Nec quidquam adtinet ad Moſis petram.

In famoſum deinde S. Marci theſaurum & cimeliarchium intromittimur, ac præſente Procuratore exhibentur primò nobis lapilli pretioſi & opima ſupellex. Duodecim thoraces aurei pretioſis lapillis diſtincti, à multis memorati, qui olim, aiunt, uſui fuere duodecim honorariis puellis Helenæ Auguſtæ, duodecim coronulæ eodem cultu & uſu. Vas ſmaragdinum, vaſa item alia ex uno lapide pretioſo confecta, chalcedonicum nempe, achatinum, ſardonychum, aliud ingens ex Turcica gemma, habetque crateris formam, cui inſculptæ ſunt ſequentes litteræ.

ﺑﺮ ﺍﻟﻠﻪ

quæ non Ægyptiæ, ut opinantur ipſi, ſed Arabicæ ſunt. Legique debent, ut opinor, *Bar' allao. Opifex Deus.* Conjecturam meam probarunt Orientales quidam: putantque mecum his ſignificari, tanti cimelii unum Deum opificem eſſe poſſe. Monſtrant item lilium ab Henrico III. Galliæ Rege Sereniſſimæ Reipublicæ oblatum, unionem item mirabilem, quem vocant unionem matrem, & alia id genus bene multa.

Hinc ad Lipſanothecam convertimur, & primò profertur

nobis Crux ex vera Christi Cruce, ut fert inscriptio, confecta. Inscriptionem vero dicebant hactenus legisse neminem: eam tamen nec sine labore erui, & digna sane est quæ hîc adferatur: constat carmine Iambico.

1. Καὶ τοῦτο γοῦν σοι προσφέρω πανυστάτως 1. In suprema Crucis parte.
Ηδη προσεγγίσασ' αὐταῖς ᾅδου πύλαις
Τὸ θεῖον ἀνάθημα τὸ ζωῆς ξύλον
Εν ᾧ τὸ πνεῦμα τοῦτ' ἔχοντι παρέθου
Καὶ τῶν πόνων ἔληξας οὓς ἐκαρτέρεις.

2. Οἷς τοὺς πόνους ἔλυσας οὓς κατεκρίθην 2. In brachio dextro.
Καὶ καρτερεῖν ἔπεισας ἡμᾶς ἐν πόνοις
Ταύτην δίδωμί σοι τελευταίαν δόσιν
Θνήσκουσα καὶ λήγουσα κἀγὼ τῶν πόνων.

3. Η βασιλὶς Δούκαινα λάτρις Εἰρήνη 3. In brachio sinistro.
Χρυσένδυτις πρὶν, ἀλλὰ νῦν ῥακένδυτις.
Εν τρυχίνοις νῦν, ἡ τὸ πρὶν ἐν βυσσίνοις
Τὰ ῥάκκια στέργουσα πορφύρας πλέον.

4. Πορφυρίδος κρίνουσα τὴν ἐπωμίδα 4. In infima parte.
* Μελεμθάφη ἔχουσα, ὡς δέδοκτό σοι,
Σὺ δ' ἀντιδοίης λῆξιν ἐν μακαρίοις
Καὶ χαρμονὴν ἄληκτον ἐν σεσωσμένοις.

Cujus hæc interpretatio est:

1. *Hoc etiam tibi postremum donum offero*
Quæ jam ad portas inferi quam proximè accessi;
Hoc, inquam, tibi divinum donum, lignum scilicet vitæ.
In quo spiritum tuum habenti ipsum commendasti
Et laborum quos constanter tuleras finem fecisti.

2. *Quia labores abstulisti quibus damnata fueram*
Ac nobis perseverantiam in pœnis suasisti,
Hoc tibi ultimum donum tribuo
Mox moritura & laborum nactura finem.

3. *Imperatrix Irene Ducæna Dei famula*
Quæ olim aureis ornabar, jam vero laceris vestimentis induor
Olim bysso jam operta cilicio
Et tamen hosce pannos pluris quam purpuram facio.

4. *Postquam purpureum amictum proscripsi ac deposui*
Unam sepulturæ gerens curam, ut tibi complacuit,
Tu mihi sortem cum beatis retribuas
Et gaudium cum Sanctis æternum.

Imperatrix Irene Ducæna, scilicet ex Augusta familia Ducarum, Alexii Comneni Imperatoris uxor erat, quæ defuncto conjuge, asperiùs acta à filio Joanne Comneno Imperatore, in Monasterium ingressa, Santimonalium vestem induit, & cum proximè, inquit, ad vitæ exitum accessisset, quæ jam antea Ecclesias donis suis cumulaverat, hoc, ut ait, postremo munere Ecclesiam Constantinopolitanam exornavit. Hæc ipsa Augusta duo Monasteria Constantinopoli excitarat, virorum aliud, τοῦ φιλανθρώπου, sive Salvatoris nomine, aliud Virginum Κεχαριτωμένης, sive B. M. Gratià-Plenæ nuncupatum, ut widere est in Analectis Græcis nostris ad Typicum Irenes Augusstæ, & fortassis in hoc Monasterio Monialium vestem induit, pietatis officiis ita præclara, ut à Græcis pro sancta & cælitibus adscripta habeatur, & certa die celebretur.

Est item istic alia Crux, ex vero quoque, uti dicunt, Crucis Christi ligno confecta, in qua inscriptio alia, nondum ut aiebant lecta: eam hîc exarare visum.

Ον οἱ σταλαγμοὶ τοῦ θεοῦ τῶν αἱμάτων
Σὸς κόσμος ἐστὶ σταυρὲ πίστις καὶ πόθος
Οὕτως σε κοσμεῖ καὶ βασιλὶς Μαρία,
*Δόξαν θεϊκὴν * ἐστόλισαν καὶ κράτος*
Πῶς δοξάζουσι μαργαρεῖται καὶ λίθοι;

Hoc est:

O Crux quam exornant stillæ divini sanguinis
Te fide solùm & amore à nobis exornari decet;
Hoc tibi genus honoris Imperatrix Maria tribuit;
Te quippe Dei gloria atque potestate instructam
Quo decore adficiant gemmæ & margaritæ?

Hæc autem Maria Augusta, si conjectare liceat, uxor fuerit Nicephori Botoniatæ, qui imperabat anno Christi 1078.

Ad pixidem in qua servantur, aiunt, aliquot stillæ Sanguinis Christi, hoc carmen habetur,

Ἔχεις με Χριστὸν, αἷμα σαρκός μου φέρων.

Id eſt: *Habes me Chriſtum, ſanguinem carnis meæ ferens.*

Alia item pixis adeſt in qua de Chriſti ſanguine, ut quidem putant, & hanc habet inſcriptionem,

Αἵματος ζωηφόρου τερπνὸν δοχεῖον
Ἐξ ἀκηράτου λόγου πλευρᾶς ῥυέντος.

Id eſt: *Vivifici ſanguinis vas jucundum*
Qui ex incorrupti Verbi latere fluxit.

Hæc porro vaſa, quemadmodum & cruces ſupra memoratæ, Conſtantinopoli Venetias allata ſunt.

Monſtrant item cultrum quo uſus Chriſtus fuit in poſtrema cœna, in cujus manubrio characteres quidam Ebraïci ſic obeſi, ut nihil expiſcari potuerim. Adeſt quoque Crux Patriarchalis, aiunt S. Athanaſii, & vera effigies ejuſdem S. Doctoris, aliaque multa.

Hinc proceditur ad codicem Evangelii S. Marci inſpiciendum qui ſervatur in armario vicino, & ut in voto erat diligenter conſideramus cum D. Leith ſeu Galterio bibliothecario; eſt codex ille quadrus, operculo argenteo deaurato, confectus ex philyra ſeu papyro Ægyptiaca, multo tenuiore quam codex Joſephi Mediolanenſis, & ſane, ut inſpicienti ſedulo viſum fuit, hallucinantur, ni fallor, qui membranaceum dictitant. At quia omnium una vox eſt, eſſe membranaceum, vellem ab aliis rem accuratiùs explorari. Folia agglutinata ſimul ſunt & putrida, ut non facile poſſint diduci ſine fractione: nam locus perquàm humidus, & brevi periturus funditus eſt codex ſi iſtic maneat. Characteres autem etſi vix legi poſſint, evidenter Latini ſunt, nam multoties occurrunt litteræ D & R. quæ non habent eamdem in Græcis atque in Latinis formam. Quod ait autem nuperus quidam, ſe legiſſe vocem KATA, is in prima littera hallucinatur; eſt quippe B, ſic ſcriptum |z, uti ſolet in antiquis codicibus bene multis. Eſt igitur BATA, ex vocibus quæ frequenter occurrunt in Evangelio, ut IBATAutem, nulla enim dictinctio vocum eſt in hoc codice. Quod autem ſe vidiſſe putat litteram Δ Græcam: errat ſimiliter, eſt enim A cujus tranſverſa linea non comparet, & clauſum videtur inferius, quia duabus lineolis characteres inferne

& ſuperne clauduntur ut in ſcribendo rectius procederetur. Cum autem ait ſe in litteram Σ incidiſſe, haud feliciùs; nam ſimilem numquam vidi, accuratius licet inſpexerim. Hæc de manuſcripto cujus cauſa eruditorum turba diducitur in partes. Aiuntque vulgo autographum eſſe S. Marci. Nullum ſane codicem me vidiſſe memini, qui majorem iſto antiquitatis ſpeciem præferat. Quod autem Latinè ſcriptus ſit codex, in controverſiam vocari nequit ex hiſtoria mox adferenda, cujus exemplum accepi ab eruditiſſimo Viro Juſto Julio Fontanino neceſſario meo, cujus prolixam erga nos voluntatem & noſtri demerendi ſtudium haud ſemel experti ſumus.

De tranſlatione Codicis Evangelii Sancti Marci ex Forojulio Venetias.

» Evangelium divi Marci, quod modo extat Venetiis, antiquitus ſervatum fuit in Metropolitana Eccleſia Aquileienſi, in qua urbe prædicatum & ſcriptum illud fuiſſe ab eodem Sancto ejus acta teſtantur apud Bollandiſtas tomo 3. Aprilis pag. 347. & chronica valdè antiqua, quibus additur diſciplina Caroli Magni ad ſanctum Paulinum Aquileienſem Patriarcham, in quo memoratur Eccleſia Aquileienſis in honorem ſancti Marci conſtructa. Anno 1355. Carolus IV. Imperator cum Aquileiæ fratrem ſuum Nicolaum Patriarcham inviſeret, ab eo impetravit aliquot folia ejuſdem Evangelii, quæ in Bohemiam detulit, ubi adhuc ſervantur in Cathedrali Eccleſia Pragenſi. Id aperiunt epiſtolæ quædam Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, & Baronis Franciſci à Turre ex Comitibus Vallis Saxiæ, Forojulienſis Dynaſtæ, qui anno 1564. fungebatur officio Oratoris Cæſarei, & Archiducalis apud Rempublicam Venetam. Quippe in volumine 3. mſ. rerum ejus legationis, quod cum cæteris ego pervolvi apud excellentiſſimum Comitem Philippum à Turre in Forojulio, ſermone Teutonico leguntur epiſtolæ, quas hîc Latinè ſubjicio.

» *Ferdinandus Archidux.*

» Nobilis, Dilecte Fidelis, ex apographo his litteris annexo, quod eſt juxta originale latinum Caroli IV. Imperatoris felicis recordationis, ſervatum in Eccleſia Cathedrali Caſtri Pragenſis, intelliges

liges ipsum accepisse ab Ecclesia Patriarchali Aquileiensi duos « quaterniones Sacrosancti Evangelii sancti Marci, ejus propria « manu exaratos, qui sunt in hac Cathedrali, & cæteri quinque « quaterniones itidem scripti propria manu sancti Marci remanserunt in Ecclesia Aquileiensi; sed postea, ut accepimus, inde « ablati & Venetias ducti, in thesauro Dominii asservantur. Quapropter nostra voluntas est, ut Dominium, & Patriarcham Venetiarum perconteris, num prædicti quinque quaterniones ibi « reperiantur, an scripti sint in pergameno, vel in alia materia, « nobisque obtentum exemplum, & delineatum ad formam ejus « characteris, transmittas. Optamus præterea ut inquiras, quod « egregiè præstabis, an nos obtinere possemus à Dominio exemplar omnino simile characteri divi Marci. Nosque de omnibus « his edoceas, quod gratum tibi referemus. Pragæ ultima Maii « 1564. «

FERDINANDUS. Jo. HABERSTACH. «

Apographum Caroli IV.

Ego Carolus quartus, Dei gratia Romanorum Rex, semper « Augustus, & Bohemiæ Rex, vidi librum Evangeliorum S. Marci « de sua propria manu scriptum, integrum ab initio usque ad finem, « in septem quaternos, in potestate Patriarchæ Ecclesiæ Aquilegiensis: qui liber in dicta Ecclesia fuit servatus à beato Hermagora, « & ab Ecclesia Aquilegiensi prædicta usque in hodiernum diem, « qui videlicet beatus Hermagoras de manu beati Petri eumdem « librum accepit, & à beato Petro per resignationem, & intercessionem sancti Marci recepit præsulatum prædictæ Aquilegiensis Ecclesiæ. De quo libro, petitione mea apud Patriarcham & capitulum dictæ Aquilegiensis Ecclesiæ, obtinui istos duos quaternos « ultimos libri prædicti; & alii quinque præcedentes manserunt in « Ecclesia supradicta: & hæc scripsi manu mea propria anno ab « incarnato Verbo M. CCCLV. in vigilia omnium Sanctorum, regnorum meorum nono. «

Responsum Baronis Francisci à Turre ad Archiducem.

Omni quo decet obsequio, accepi jussum Celsitudinis vestræ « & desiderium, nempe intelligendi an hæc Venetiis reperiantur, «

H

„ quinque quaterniones Evangelii sancti Marci ab ipsomet scripti,
„ an sint in Pergameno, vel in alia charta. Vidi autem hac die
„ cum quodam Procuratore divi Marci, codicem, qui membra-
„ neus est; sed adeò à vetustate detritus, ut parum vel nihil in
„ eo legi queat: atque ita destructus, ut discerni non possit, utrum
„ sint quatuor, vel quinque quaterniones. Exscribendas & deli-
„ neandas curavi paucas lineas, quas hic appono, cum rarissimæ
„ sint nec-non difficillimæ lectu. Mitto ad Celsitudinem vestram par-
„ ticulam membranæ ejusdem codicis sancti Marci, ut ex hac &
„ ex charactere percipiat, an duo quaterni quos possidet Celsitudo
„ vestra cum hisce conveniant. Hic codex traditus fuit Serenis-
„ simo Dominio per quemdam Patriarcham à Turre, ut dicitur, &
„ super ejus operculis argenteis adhuc visitur turris cum liliis, &
„ insigne civitatis Aquileiensis. Aliud non suppetit significandum
„ Celsitudini vestræ, cui me commendo. Venetiis 18. Junii 1564.

Ferdinandus Archidux.

„ Nobilis, dilecte fidelis, litteras tuas die 18. Junii exaratas
„ accepimus una cum nonnullis syllabis delineatis ex Evangelio
„ Autographo divi Marci, & particula membranæ ejusdem Auto-
„ graphi. Vellemus autem ut integrum folium transcribi curares,
„ servata eadem magnitudine, latitudine, & longitudine; & quan-
„ quam nobis persuadeamus Dominium Venetorum difficulter se
„ privaturum quinque quaternionibus manuscriptis sancti Marci,
„ nihilominus quum peculiares ob causas eosdem optemus, nul-
„ lam operam perdas in expiscando à quibus tu opportunum ju-
„ dicaveris, an nos eosdem à Dominio efflagitantes, simus ob-
„ tenturi honoris & amicitiæ ergo. De his omnibus tuo consilio
„ & monitis certiores nos facias, quod nobis gratissimum fore con-
„ fidas, omnibusque beneficiis tibi rependendum. Datum in Pur-
„ glos 4. Julii 1564.

FERDINANDUS. J. HABERSTACH.

Responsum.

„ Nutibus Celsitudinis vestræ obtemperaturus respondeo, ma-
„ gnitudinem quaternionum Evangelii sancti Marci esse quartæ
„ partis unius folii, character prorsus inlegibilis est, uti antea scri-

psi, ita ut in omnibus quinque quaternionibus nec unicum verbum legere potuerim, præter illas paucas syllabas quas delineatas ad Celsitudinem vestram misi. Quod Dominium hos quaterniones largiturum sit, arduum puto & impossibile, etenim sanctum Marcum ut protectorem veneratur. Nihilominus sciscitabor ab aliquibus Procuratoribus divi Marci quid sit sperandum, & eorum consilio me dirigam, quæ omnia Celsitudini vestræ significabo. Venetiis 29. Julii 1564. « « « « « « « «

Aliud.

Quum rursus videam perseverare Celsitudinem vestram in voto potiendi quinque quaternionibus, utar omnibus mediis ad eos consequendos; nimirum data occasione, quoniam etsi omnes Procuratores divi Marci convenirem, nemo ex iis mihi aures præberet, nisi fortuito in via & brevi sermone eos obvios haberem. Quippe lege prohibentur Patricii Veneti cum Oratoribus Principum versari, ideoque nostram societatem effugiunt. Sed qui custos est quaternionum mihi spopondit se curaturum ut exscribantur juxta Autographum colore herbæ pallidæ: hoc exemplar brevi obtinebo, & mox transmittam ad Celsitudinem vestram, notum faciens quidquid cum Procuratoribus egero. Venetiis 26. Aug. 1564. " " " " " " " " " " " "

Aliud.

Per Tabellarium mitto ad Celsitudinem vestram exemplar unius folii Evangelii divi Marci, juxta magnitudinem codicis & colorem Scripturæ. Venetiis 28. Octobris 1564. " " "

Huc-usque Epistolæ, ex quibus multa eruuntur. Primò Carolum IV. obtinuisse duos ultimos quaterniones codicis S. Marci, atque hos duos extremos deesse codici Veneto. Idipsum Carolus significavit ultima Octobris ejusdem anni 1355. Ernesto Episcopo & capitulo Pragensi, litteris datis Feltriæ in Forojulio, quæ sunt apud Bollandistas tom. 3. Aprilis pag. 345. atque in illis jubet solemnia quæque parari pro adventu quaternionum divi Marci, quos subdit una cum integro codice Latinis litteris scriptos. Quapropter hallucinati sunt quicunque eumdem codicem Græcum esse pronuntiarunt, inter quos fuit Cornelius à Lapide. " " " " " " " " " " "

» argumento in Marcum, Henricus Palladius lib. 5. pag. 81. & 82.
» Rer. Forojulien. & ejus Nepos Joannes Franciscus Palladius par-
» te 2. histor. Forojulien. pag. 9. qui una cum Joanne Candido
» qui ei anteivit in comment. Aquileiensibus lib. 2. pag. 6. pari-
» ter deceptus est asserendo posteriora folia codicis Marciani ab-
» lata fuisse à Rege Hungariæ Sigismundo, cum certissimum sit
» actum id fuisse à Carolo IV. ut vidimus. Prætereo Dardanum
» diaconum cui manus aruit, & seipsum discerpsit, eo quod ausus
» fuisset tollere Evangelium de altari, quam narrationem habet
» Palladius uterque & Candidus, sed sine antiquiori sponsore.
» Quod Orator Cæsareus ait de insignibus super operimento co-
» dicis, non est accipiendum ac si Patriarcha Gentis Turrianæ
» Venetis eumdem codicem tradidisset, cum quatuor ex eadem
» stirpe fuerint ab anno 1272. ad 1358. ut habet Ughellus tom. 5.
» Italiæ sacræ; sed tantummodo dicendum est, aliquem ex his
» Patriarchis curasse, ut idem codex operiretur tabulis argenteis,
» quæ ideo ejus insignia præ se ferant, & urbis Aquileiensis, in
» qua dominabantur Patriarchæ. Siquidem ante annum 1420. quo
» Respublica Venetorum potita est universa Forojuliensi provincia,
» & ipsa urbe Aquileia, ad eorum manus non devenit codex san-
» cti Marci. Hoc nempe anno Duce Thoma Mocenico Veneti
» omnem lapidem moverunt, ut idem Evangelium acquirerent:
» quumque intellexissent translatum tanquam in tutiorem locum
» Aquileia in civitatem Forijulii, quæ inde est ad 20. lapidem,
» (civitas Austria tunc vocabatur) litteras exararunt eadem super
» re ad hanc urbem, quarum Autographum vidi in ejus archivo,
» sic autem sonant.

» *Thomas Mocenico Dux Venetiarum, &c. Spectabilibus & egregiis*
» *viris Provisoribus, Consilio & Communitati civitatis Austriæ, ami-*
» *cis dilectis, salutem & dilectionis affectum.*

» Fidem gerimus inconcussam quod in omnibus quæ cognosce-
» retis esse in summo desiderio nostro, velletis omnibus viribus
» & ingenio hujusmodi nostris desideriis condescendere, atque
» largissime complere. Proinde cum certam, ac firmam notitiam
» habeamus, quod liber Evangeliorum scriptus propria manu glo-
» riosi Evangelistæ beati Marci, est & reperitur ad præsens in ma-
» nibus venerabilis viri V. Decani vestræ majoris Ecclesiæ, vel
» alterius personæ quæcunque sit, est justum & pium atque reli-
» giosum, ut idem liber apud editorem ac scriptorem ipsius re-

ducatur : nam ut veſtris amicitiis eſt notorium, ſacrum Corpus & Reliquiæ venerandæ ipſius beati Marci Patroni, & Protectoris noſtri ſunt in civitate noſtra Venetiarum, in cultu & reverentia vobis notis. Veſtras nobis gratiſſimas amicitias rogitamus affectuoſè, quatenus cum non poſſet eſſe in mundo res quam nobis facere poſſetis adeo gratam & acceptabilem, quam complacere nobis in dicto libro ; placeat, ſicut de benevolentia veſtra fidem tenemus indubiam, quod idem liber nobis ſub diligenti cura & cuſtodia tranſmittatur : quem non dubitamus ex diſpoſitione divina perveniſſe ad manus veſtras, ut vobis mediantibus ad venerandas Compoſitoris ſui Reliquias referatur ; quoniam intelleximus & certo cognovimus, quod idem liber apud Aquilegiam diu negligenter habitus, & malè conſervatus, pervenit ad terminos ad quos indignum, & contra religionem eſt permittere devenire res tales, & tantæ devotionis. Cujus noſtræ affectionis voluntatem atque favorem cognoſcens egregius Orator veſter lator præſentium, ſubito cum his noſtris litteris ſe ad iter diſponit, ad veſtram præſentiam acceſſurus, & hanc intentionem veſtram procuraturus, quam non ambigimus eandem eſſe cum affectu reportaturum. Nam ſancta & honeſta requirimus, ut videlicet margaritæ de luto Aquilegiæ in templum Domini referantur, & membra corpori reducantur. Quam juſtam & religioſam depoſitionem noſtram ſi admiſeritis, nobis ſupra id quod poſſemus dicere complacebitis, & amorem noſtrum erga vos, & veſtram Rempublicam de bono in melius accendetis. Si vero preces noſtræ tam acceptabiles, apud vos vanæ fuerint, (quod non credimus) cordialem & intrinſecam animæ noſtræ diſplicentiam ſentiremus, ſicut pro vobis & Republica veſtra bonam intentionem, & mentem noſtram. *(ſic)*

Datum Venetiis in noſtro Ducali Palatio, die penultimo menſis Maii, indictione XIII. anno M.CCCCXX.

Jacobus Valvaſonus in mſ. opere de rebus Forojulienſibus quod penes me eſt, (vixit is medio ſæculo elapſo) ait Venetos obtinuiſſe ſæpius dictum Evangelium favore Benedicti *Capo-di-ferro* origine Romani, Patricii & Conſervatoris civitatis Forijulii & laudat litteras ducales, ut vocant, in archivo ejuſdem urbis. Falſus eſt ergo Joannes Candidus, qui lib. 2. pag. 6. commentariorum Aquileienſium ſcripſit, Oratores Venetos accepiſſe illud Aquileiæ à Virginibus divi Benedicti ; qui error etiam in

„ alios irrepſit, quos repellere non eſt operæ pretium. Verum tamen eſt, quod ait Candidus, miſſum in Forumjulium pro accipiendo ſacro pignore, Plebanum (antiſtitem vocat ille) ſancti Barnabæ Venetiarum: id enim aſſerit Anonymus quoque auctor chronici Veneti mſ. vernaculo idiomate quod apud me eſt, & addit, Epiſcopum urbis cum clero & optimatibus obviam iviſſe Muranum uſque, & codicem ſacrum latum in Baſilicam divi Marci maxima lætitia ad ſonum univerſi æris campani: quod etiam Pragæ faciendum juſſerat Carolus IV. in adventu quaternionum, ut patet ex ejus memorata epiſtola apud Bollandiſtas.

Quod porro dicitur ſuperius, codicem eſſe membranaceum, nequaquam poteſt negotium facere. Is nempe qui membranaceum dicit, rem non accurate ſatis perpendiſſe videtur, nec ſat perfecta inſtructus chartarum notitia; ex phyllira ni fallor eſt, & folia tantæ tenuitatis, ut vel ſolo contactu ſcindantur & in minutas partes abeant. Nec ſine cauſa in dubium vocare videtur ſupra Ferdinandus Archidux an membranaceus ſit codex.

Sunt in Theſauro ſancti Marci Reliquiæ bene multæ: habere ſe putant columnam cui alligatus Chriſtus virgis vapulavit, at veram germanamque ſe monſtrare dicunt in Eccleſia S. Praxedis Romæ Vallumbroſani noſtri.

Duodecima Auguſti, duce Viro doctiſſimo Angelo Fardella Patavii Profeſſore, qui omnia ſemper poſt putavit, ut commoda præverteret noſtra, ædes Contarinas petimus, ubi ſub tutela matris erat clariſſ. ephebus Contarinus, ex præclara & nemini non nota familia Contarinorum, formâ & indole ſpectabilis. Eſt in ejus muſæo codex XII. ſæculi membranaceus in quo.

Joannis Damaſceni Philoſophica & Rhetorica, in fine legitur, *τέλος τῶν ἐμπονημάτων Ιωάννου τοῦ Μανσοὺρ, τῆς πανδέκτης λεγομένης βίβλου.* Id eſt: *Finis lucubrationum Joannis Manſur, libri ſcilicet qui Pandectes vocatur.* Adſunt item in alio codice inſcriptiones variæ antiquæ, earum aliquot excerpſimus. Inſequente die, eodem comite, ad ædes cl. Viri Ruzzini Patritii Veneti accedimus. Muſæum ibi pretioſum erat: inter numiſmata aurea quæ bene multa iſtic habentur, eſt Trajani quoddam in cujus poſtica Nerva & Plotina adverſa facie viſuntur. Aiebat Patritius numeroſiorem olim ſeriem, diſſipatis diſtractiſque multis numiſmatibus, imminutam admodum fuiſſe. Inter lapillos qui bene multi iſtic erant, ſpectandus carbunculus in cujus medi-

tullio jaſpis efformatus viditur: alius item lapillus pellucidus, ſtillam aquæ habens intus poſitam, quæ ad motum lapidis ſitum mutat. Haud diu poſt diem obiit Patritius.

Decimâ ſextâ ad ædes clar. Antonii Capelli Patritii Veneti, ex celeberrima Capellorum familia, nos conferimus. Eſt ipſe vir præclaris dotibus inſtructus, ingenio, comitate, eruditione, qui amicè ſemper optata prævertit noſtra, cymbæque ſuæ copiam fecit ſicubi putavit uſui fore. Habet ille muſæum quale vix ſimile in Italia reperiatur. Icones marmoreas medias non paucas. Statuam Ægyptiacæ mulieris ſedentis vulgari proceritate quæ in utraque manu vas quoddam tenet phialæ ſimile. Hìc illa tabula ænea antiqua tripedalis quaquaverſum, inſculpta nominibus multis Romanorum, quæ paucis hinc annis Canuſii effoſſa eſt. Eam typis dedit vir ampliſſimus, & exemplum ejus nobis obtulit cum germana characterum formâ: eamdem publicavit Sponius in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis. Exſtant etiam in Capelliano muſæo urnæ lacrymatoriæ, ſepulcrales lucernæ, magna pars figlinæ, diverſæ formæ: inſtrumenta antiqua ſacrificiorum gentilium, binæ ſtatuæ ex lapillis compactæ barbarico more, à noſtris expugnata Carthagena ex America comportatæ: mitto conchilia diverſi generis, coloris, magnitudinis. Adeſt quoque alia nobilis ſupellex, lapilli pretioſi antiqui ad multa milliaria, ſculpti capitibus Imperatorum: ſeriem integram habere ſe hujuſmodi narrabat mihi vir amiciſſimus, quod ſane fortaſſe nuſquam deprehendatur; ſunt item inter lapillos capita numinum, aliaque omnis generis antiquitatis monumenta. Inter tales gemmas permultæ Baſilidianorum & Gnoſticorum figuris ac vocibus inſculptæ ſunt: iſtas æri incidi curavit Patricius. Præter hæc habet vir antiquitatum ſtudioſiſſimus ſeriem æneam & argenteam numiſmatum Imperatorum, quorum omnium capita iſtic comparent; atque Urbium Græcarum bene multa. Ibidem videre eſt tabellas peritiſſimorum pictorum; itemque codicum manum non modicam cujus notam adfero.

Codex antiquus, Biblia Hebraïca, queîs elegantiora numquam vidi, complectiturque omnes Biblicos libros.

Pars altera Bibliorum Hebraïcè, antiqua.

Rabbi Abraham interpretationes in Scripturam Hebraïcè.

Rabbi Abraham alius codex in Geneſim Hebraïcè.

Aliqui codices Arabici, Hebraïci, &c.

Codex Bombycinus ſæculi XIV. Excerpta longiſſima & pretioſiſſima Stromatum *S. Clementis*, itemque ex Protreptico & Pædagogico quædam. Stromatum codices rariſſimi omnium ſunt, non diu eſt quod æſtimabant ex litteratis bene multi vel ipſum ad cujus fidem edita primum Stromata fuere amiſſum periiſſe. At Florentiæ reperi, Venetiiſque excerpta iſtæc, quorum exempla item duo Romæ eſſe recèns accepi.

Codex membranaceus XI. ſæculi, *Baſilii* Orationes quædam.

Codex membranaceus XI. ſæculi, *Chryſoſtomi* homiliæ. Alter ejuſdem ætatis.

Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, & ſcala *Joannis Climaci* ſcripta anno mundi ſecundum Græcorum æram 6821. Chriſti 1313.

Hiſtoria *Conſtantini Manaſſis*, ſæculo XIV.

Ariſtotelis codices bene multi, de Animalibus, Ethicorum ad Nicomachum, Politicorum, Oeconomicorum, Magnorum moralium, Moralium ad Eudemum, Mechanicorum, Problematum, Metaphyſicorum. *Alexandri Aphrodiſei* problematum.

Theophraſti de Hiſtoria plantarum. Ejuſdem de cauſis plantarum. Ejuſdem Metaphyſicorum.

Etymologicon Græcum, XIV. ſæculi.

Hi codices Græci, Latini vero.

Hieronymi in ſacram Scripturam. Item liber Epiſtolarum ejuſdem.

Diploma in cortice ſcriptum octavi ineuntis, ut puto, ſæculi, charactere Langobardico, ſupra fidem lectu difficili, corroſum ab extremitatibus & in medio à mure qui obvolutum Diploma deformavit pene totum. Eſt judicium Reate latum, ubi de tutela agitur. Partes quæ litigant, aut Gotthi, aut, quod veri ſimilius eſt, Langobardi ſunt; judices vero Romani. Monumentum hoc ſingulare hic locum habeat.

» . . . .
» . . . .
» quibus adfectionem . . . . patrona nos . . . . . .
» qui pridem memoratum ſuperius Guduhul . . . .
» . . . . . erunt in minore nos cunctos . . . .
» . . . . non potuit reperiri ne qualicumque . . . .
» . . . . eunt vel ſpecialem tutorem in negotiis . . . .
» . . . . . ratus fuerat à veſtra fieri deſiderat gravitate . . . . .
» petitionem factam ſolenniter ad veſtra laudabiliter ordin*anda*
deſtinavit.

deſtinavit. Idcirco poſcimus ut eandem petitionem jubeatis *fieri* «
& quæ ſunt poſtulata legaliter ordin*ari*. *Horanius*, *Antonius &* «
Voluſianus, ſed & cunctus ordo * dd. Ex concurialibus Volu- « *i. *dixerunt.*
ſianus & Luminoſus ad Gundihildiinſuis cujus offen*ſio agitur &* «
ad eos excurrant per quos Gundihildiinſuis ad nos faciendi «
tutorem *cauſa* direxit, & miſſo propriæ voluntatis reſponſo, ſigni- «
ficet. Cum *Volu*ſianus * adque Luminoſus ad Gundihilinſuis « * *ſic*
perrexiſſent, pau*lopoſt* reverſi dd. Pergentes ad Gundihilinſuis . «
. . . veſtræ de . . . . veſtræ gravitatiſque petitionem «
faciendi tutoris ſpecialis ; ad vos rem per ſuos direxiſſe pro- «
pria voce ſignavit, & poſtulavit ut in ejus *petitione* ſeria contine- «
tur, Flavianum in deſignatis negotiis tutorem ſpecialem filiis «
ipſius ordinetis. Horanius, Antonius, Voluſianus & cunctus or- «
do dd. Quoniam voluntatem Gundihilinſuis faciendo . . . . . . «
ſpeciali tutorem liberis ejus mun . . . . *per* Voluſianum adque «
Luminoſum noſtros concuriales agnovimus ab actoribus me . . «
. . . . Gundihilinſuis oblata petitio ſuſcipiatur & congrua le- «
ctione *donetur,* Nitiblius legit. Legali ſemper eſt remedio mino- «
ribus ſuccurrendum, quibus paterna ſolatia fata ſubducunt; ne «
proprio genitore privati, cum viduatæ matris non p*oſſit vis* in- «
tercedere, *propter* ætatis * invicillitatem *illorum ſubſtantia* vel eo- « * *ſic*
rum *facultas* occumbat. Ante dies iſtos non plurimos Guduhul- «
ſuis *meus* * jugales fatorum ſorte conſumptus, duos mihi parvu- « * *ſic*
los de communi matrimonio liberos dereliquit, de quibus do- «
loris ſtupore depreſſam tutelam minis . . . . . nec utilem . . «
tutores . . . . ad ſu*am* reperire perſonam ; & quia memoratus «
Guduhulſuis in L . . . jugalis meus, in quibuſdam negotiis ante «
non multum temporis quam decederet noſcitur fuiſſe repulſa- «
tus : & eo defuncto calumniatores in orfanorum rebus vehe- «
menter inſiſtunt; ne qualicumque deſidia facultatibus orbato- «
rum diſpendium generetur, *ut iis non* * indifenſis adverſus inſidias « * *ſic*
convaleſcant, elegi vel ſpecialem tutorem, donec gene*ralem* «
matura deliberatione perquiram à veſtræ gravitatis ordine po- «
ſtulare. Quapropter * hujus ſeriæ petitionis, imploro veſtram, « * *ſic*
* Reatehis civitatis municipes, gravitatem, ut in cauſa . . . . « * *vel* Rea-
qui mihi . . . . dulci . . . . oriundus Guduhulis *qui* « tenis
ante obitum ſuum à Badiud, ſed & à Soſemud qui Faffo connomi- «
natur *atque à Gunderit repulſatus fuiſſe* * conoſcitur in diverſis ju- « * *ſic*
diciis per auditionem narrationum ſi . . . . . legitur eſſe con- «

» ventus ; Flavianum, quem fide comprobatum plurimis ad præ-
» ſens potui reperire, ſub legitima cautela ſpecialem tutorem
» Leudaſit atque Lundeſit meis liberis adhuc *minoribus u*tilius or-
» dinetis, quatenus ejus pe*culiari cura*, *actores eorum bona* non
» fraudibus, ut adſolet, aut quibuſlibet ſubreptionibus re*tinere* va-
*ſic » leant & æquitatis ordinem *terminari. Horanius, Antonius ad-
» que Voluſianus, ſed & cunctus ordo dd. Lectæ petitionis ſeriæ
» geſta . . . . pient nunc poſtulatis. Flavianus ad medium
» deducatur, & utrum libenter in deſignatis negotiis officium ſuſ-
» cipiat voce propria fateatur. Cumque Flavianus fuiſſet ingreſſus,
» Horanius, Antonius adque Voluſianus, ſed & cunctus ordo dd.
» Gundihildi*inſuis* filiis ſuis ſpecialem tutorem te in cauſis in qui-
» bus Gunduhulſuis in . . . . etus à Badiud in . . . .
*ſic » vel à Soſemud connominato Faffone, necnon à Gunderit *pul-
» ſatos fuerat petit ordinari. Si *ſpeci*alem tutelam libenter adſu-
» mis, moderanter vel legaliter adminiſtrare oportet, & præſenti-
» bus confiteris. Flavianus ab . . . libenter in memoratis cauſis
» officium tutelæ ſuſcipio, & utiliter me ſicut oportet admini-
» ſtrare promitto. Horanius, Antonius, adque Voluſianus, ſed
» & cunctus ordo *dd*. Quoniam minorum nihil eſt utilitatibus de-
» negandum, & in eorum deſignatis negotiis tum . . . . . num
» deſiderio profeſſio vel ſponſio . . . . . . ſpecialem . . . .
» Adque . . . . . *ccpp* in cauſis in quibus *Guduhulſuis* à Badiud
» & à Soſemud connominato Faffone vel à Gunderit *fuerat* re-
» pulſatus . . . . . . ſpecialem te tutelam decernimus miniſtrare,
* legitime firmetur » cui ut *legitima firmiter injungo fidejuſſorem de tuæ adminiſtra-
» tionis *inte*gritate, ſicut legalia conſtituta ſunt, præbere idoneum
» non deſiſtas, cujus *ope* minorum poſſit utilius *ſubſtan*tia mini-
» ſtrari. Flavianus . . . . azel . . . nullus poterit præbere . . .
» ideo quia ſpecialem tutelam libenter adſumo, Liber*atum* de ad-
» miniſtra*tione* mea fidejuſſorem veſtræ præbeo, gravitati. Hora-
» nius, Antonius adque Voluſianus, ſed & cunctus ordo dd. Nun-
*ſic » cupatus à Flaviano fidejuſſor noſtris *optutibus præſentetur, Li-
» beratus . . . ſolutus. Horanius, Antonius adque Voluſianus,
» ſed cunctus ordo dd. . . . . Flavianus in concilio nos de-
» duxit. Liberatus. Utp*ote qui* ſpecialis tutor à Gundihilin*ſuis* fi-
» liis ejus poſtulatus eſt in cauſis in quibus pater eorum à Badiud
» vel à Soſemud qui Faffo connominatur, ſed & à Gunderit pul-
» ſatus fuerat, ego fidejuſſor accedam. Horanius, Antonius ad-

« que Volusianus, sed & cunctus ordo dd. Libenter hujus tutelam « *fidejussor accedis. Liberatus. Adque libenter & prona voluntate. « * Flavianus memoratus speciali tutela fidejussor accedo. Hora- « nius adque Antonius & Volusianus dd. Et * oblegatis rebus tuis « omnibus quas * habis & habere potueris, cum tuo actu & ad- « nisu integre sine fraude, vel dolo minorum negotia * spondis « administrare. Liberatus. Et oblegatis rebus meis omnibus quas « habeo habiturusve sum, Flavianum nuncupatum specialem *tu-* « *torem minor*um utiliter & integre sine qualicumque dolo vel « fraude mo*deranter & fideliter* spondeo ministrare. Horanius, « Antonius & Volusianus, vel cunctus ordo dd. Quoniam in de- « signatis negotiis Flavianus à Gundihildiinsuis fidelis ejus spe- « cialis tutor petitus, per interventum fidejussoris est ex optima « ratione firmatus; quid amplius adstantes fieri desi*deratis nisi* so- « lum . . . . fidejussor ejus . . . . « . . . . gravitate vestra ut susceptæ tutelæ fidem facere « valeamus, gestorum nobis editionem jubeat solenniter celebra- « ri. Horanius, Antonius & Volusianus, vel cunctus ordo dd. « Gesta vobis ut mos est competenter edantur. «

* sic; sed legendum *Flaviani memorati*
* *sic*
* *sic*
* *sic*

Ego Horanius unus Curialis civitatis Reatehis, gestis apud « nos habitis, edidi. «

Ego Antonius alius Curialis civitatis Reatehis, gestis apud « nos habitis, edidi. «

Ego Volusianus alius Curialis civitatis Reatehis, gestis apud « nos habitis, edidi. «

Ego Decoratus alius Curialis civitatis Reatehis, gestis apud « nos habitis, edidi. «

Ego Maximus alius Curialis civitatis Reatehis, gestis apud « nos habitis, edidi. «

Ego Vigilius alius Curialis civitatis Reatehis, gestis apud « nos habitis, edidi. «

Ego Flavianus his exemplaribus gestorum à me datis subscri- « psi, quæ per Constantinum Comitiacum reddidi. «

Ego Constantinus Comitiacus. «

Decembris anno XPI. . . . . «

Hæc in multis ut videre est labefactata sunt: sed ita tamen ut qua de re agatur expiscari in promtu sit, sarcitâ plerumque conjectando narratione, verum aliâ characteris formâ, ne con-

jecturas meas assertæ lectionis loco habeant, qui in hæc incident. En totius negotii compendium.

Qui litigant Gotthi aut Langobardi sunt, ut ex nominibus liquet: judices autem Romani. Guduhul quidam Reate degens, ab actoribus, & calumniatoribus nomine Badiud, Sosemud cui cognomen Faffo, & Gunderit actus, & ut in decreto legitur, *repulsatus* fuerat. Inter hæc diem obiit Guduhul, & reliquit Gundihil uxorem viduam, cum duobus liberis Leudasit & Lundesit. Eo defuncto memorati sycophantæ, in orphanorum bona vehementer insistebant, ut *indefensis* eriperent. Tum Gundihil misit ad municipes Curiales Horanium, Antonium & Volusianum, & totum Curialium ordinem, viros qui de injuria illata quererentur, & tutorem postularent. Municipes & Curiales supradicti ex concurialibus duos Volusianum & Luminosum ad Gundihil mittunt, qui rescriptum petitionis ejus postulent. Mittit illa per concuriales *petitionem seriam*, ubi, exposita rerum conditione, postulat filiis suis dari in specialem tutorem Flavianum quemdam, donec tutorem generalem curia decernat; dummodo Flavianus legitimam cautionem offerret de proba futura administratione. Rogatur à Curialium ordine Flavianus num tutelam admittat. Annuit Flavianus & sponsorem offert Liberatum, qui de futura administratione cautionem præbet. Tum jussu Curialium Reatinorum diploma editur, quod cum ob alia multa, tum ob formam veterem juridicam singulare videtur. Hærere me fateor in vocibus *Guduhulsuis*, & *Gundihilinsuis*: nam ultimæ syllabæ *suis*, & *in-suis*, quæ in diplomate semper post Guduhul & Gundihil subsequuntur, transversa superne linea notantur. Juvat credere nomina Guduhul & Gundihil esse conjugum propria; illud autem additamentum, *suis*, & *in-suis*, quorsum spectet expiscari non potui, neque per tempus licuit rem accuratiùs explorare.

Singulare est annum Christi in charta primitus notatum fuisse; infrequens enim est isto ævo annum Christi consignari in diplomatibus. Attamen hoc monumentum sæculi octavi est, uti diximus, aut ut minùs, quod ægrè tamen crediderim, noni. An visa usquam tam remotæ vetustatis diplomata anno Christi insignita? Unum novimus, duobus ante sæculis ab Dionysio exiguo concinnatam methodum Christianæ epochæ, à Beda sæculo octavo usurpatam fuisse. Quando autem inde ceperit ad-

ſcribi diplomatibus hactenus incertum fuit : liquet porro iſtud de quo agimus inter prima iſtiuſmodi accenſendum eſſe.

CAPUT V.

Bibliotheca Juſtinianæa. Biblia Coptica. Muſæum Tarviſianum, ubi Icones marmoreæ, Anaglypha, gladius antiquus æneâ laminâ, ſigillum M. Aurelii & L. Veri, &c. inſcriptiones, codices manuſcripti.

DECIMA-NONA Auguſti Procuratorem Julium Juſtinianum τὸν μακαρίτην adimus, pium & doctum ſenem, multis reipublicæ muneribus perfunctum : quem penes codices manuſcripti Græci quot in nulla Urbis, exceptâ unâ S. Marci, Bibliothecâ. Ibi in codicem Græcum incidi, in quo, epochæ more, anni notantur à fundatione Templi S. Sophiæ ; novum calculi genus. In alio exſtat Timothei cujuſdam de hæreſibus opus. Adeſt quoque commentarius Athanaſii in Pſalmos : cujus ſcriptor vel Athanaſium ementitur, vel alius ὁμώνυμος eſt. Titulus, Βίβλος τοῦ προφητάνακτος Δαβὶδ, καὶ θείου ὑμνογράφου. *Liber Prophetæ Regis, ac divini Hymnorum ſcriptoris Davidis.* Poſt hæc, ἐξήγησις τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου. *Expoſitio ſancti patris noſtri Athanaſii.* Idem commentarius eſt atque ille de quo in Ambroſiana ſupra. Aderat in muſæo clariſſ. Patritii numiſmatum antiquorum feſtiva copia, quæ ſingulatim inſpicere non vacavit per otium.

Narratu quorumdam acceperam adeſſe codices manuſcriptos in Monaſterio S. Georgii noſtrorum Caſſinenſium, quos ut conveni vix à limine Bibliothecam ſalutare conceſſum. Poſtremis iſtis otii Venetiani diebus, cum in bibliopolio quodam Biblia Coptica manuſcripta quinque tomis offendiſſem, parvo ipſa ære coëmi. In iis Pentateuchus, Daniel qui rarus occurrit hac lingua, novum Teſtamentum totum cum Apocalypſi, quæ haud frequens eſt : reliqua deſunt.

Quando ſemel muſæa recenſere aggreſſi ſumus, Tarviſianum quod paucis Venetianis concedit, etſi frequentari à nobis anno ſolùm 1701. ceperit, huc reponere viſum. Hujus nobis pro voto viſendi copiam fecit vir nobilis & doctus Bernardus Tarviſia-

nus ex præclara & nemini non nota Tarvisianorum familia. Comparent icones marmoreæ cum integræ tum mediæ, quarum quædam perraræ, v. g. Marciana uxor Trajani, Salonini caput cum humeris, aliæque non paucæ. In anaglypho quodam Epicurus ante larvam sedens conspicitur contemplantis more. In alio mulier, quæ globum sinistra tenens dexteram aræ ardenti imponit, ibi inscriptio sequens legitur :

ΘΑΛΛΟΥΣΑ ΚΑΛΛΙΒΙΟΥ.

Id est : *Thallusa Callibii*, quo symbolo quid notetur haud facile auguramur.

In alio anaglypho mulier pomum aut quid simile puero tradit, inscribiturque.

ΖΩΖΙΜΟΣ
ΖΩΙΛΟΥ
ΜΙΛΗΣΙΟΣ.

Id est : *Zosimus Zoili filius Milesius*. Videturque pueri nomen esse.

Singularius est aliud in quo vir nudus athleta equum manu tenet, pedibusque stat, cum hac inscriptione,

ΩΣ ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΟΝΤΟΣ.

Id est : *Utpote qui victoriam retulerit.* Factum scilicet in honorem hujusce athletæ, qui in ludo equestri vicerat.

Inter cætera gladius exhibetur ænea lamina atque acie, quæ ferri aciem ac duritiem æmulatur. Ære ut ferro usos antiquos non uno comprobatur exemplo : nam haud diu in portu Tiberino, dum maceries quasdam diruerent, inciderunt in clavos æneos durissima temperatura : quorum unus penes me est. Nihil apud Homerum frequentius quam arma & cuspides æneæ. Sic Odyss. α.

Εἵλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ
βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν.

Id est : *Accepit autem validam hastam munitam acuto ære*
gravem, ingentem, fortem, quâ domat ordines virorum.

Non ignoro multos esse qui æs hîc pro ferro usurpatum autument, nec ipsis repugnare animus est ; at tamen si fides Hesiodo, fuit cùm ex ære arma cuderentur.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος

Id est : *Iis erant ænea arma, æneæ domus*
Ære operabantur, cum nondum esset nigrum ferrum.

Ferrum namque, ut in marmore quodam Oxonienſi computatur, inventum fuit 186. ante Trojanum bellum annis, priſciſque ideo temporibus æs pro ferro uſu veniſſe oportet.

Aliud ibidem inſpexi obſervatu digniſſimum, quale nuſquam alias fortaſſe viſum; plumbo ſcilicet impreſſum ſigillum M. Aurelii ex una, L. Veri ex altera parte vultum exhibens, cujuſmodi appenduntur diplomatibus; *Bullas* vocant. Uultus apprime conſimiles ſunt iis quos numiſmata præferunt, & licet non auſim περὶ γνησιότητος ferre teſtimonium, fateor tamen me nihil deprehendiſſe quod ſuſpicionem ingereret fraudis. De bullarum origine nihil certum occurrit: ſunt qui Sylveſtri Papæ tempore uſurpatas primùm narrent; alii aliud arbitrantur, uti vulgo fit in rebus quarum origo ignota. Exſtat ibidem pes humanus ſuccineus Veneris laudibus inſculptus, quod opus florentiſſimam artis olet ætatem. Ad hæc aſſerem monſtrant, in lapidem cum nodis ſuis verſum; ita ut ligni ſpecies aſpectum fallat, necniſi tactu lapidem experiri liceat.

In eodem muſæo exſtat inſcriptio Græca in marmore pulcherrima, Dorica dialecto. Eſt decretum urbis Allariæ jam à Grutero publicatum, ſed magna ſui parte mutilum, & in aliquibus mendoſum; ut in lapide legitur hic exſcribere viſum eſt.

[1] . . . . ΑΧΑΙΤΑΓ . . . .
. . . . ΕΙ ΕΞ ΑΛΛΑΡΙΑΣ . . . .
. . . . ΜΟΣΙΩΙ ΜΕΤΑ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΟΣ . . . . .
. . . . . ΑΠΟΣΤΕΙΛΑΙ ΔΕ ΤΟΥΣ ΑΡΧΟΝΤΑΣ ΤΟΥΣ ΠΕΡΙ . . . .
. . . . . ΙΝ ΤΟΥΔΕ ΤΟΥ ΨΗΦΙΣΜΑΤΟΣ ΤΟ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΣΦΡΑΓΙ
ΣΑΜΕΝΟΥΣ ΤΕΙ ΔΑΜΟΣΙΑΙ ΣΦΡΑΓΙΔΙ ΟΠΩΣ ΠΑΡΑΚΟ
ΛΟΥΘΩΣΙΝ ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΙ ΤΑ ΕΨΗΦΙΣΜΕΝΑ ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΩΝ

ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΝ ΟΙ ΚΟΣΜΟΙ ΚΑΙ Α ΠΟΛΙΣ, ΠΑΡΙΩΝ ΤΑΙ ΒΟΥΛΑΙ
ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΑΜΩΙ ΧΑΙΡΕΝ. ΠΑΡΑΓΕΝΟΜΕΝΩΝ ΤΩΝ ΠΡΕΣΒΕΥ
ΤΑΝ ΠΟΤΑΜΕ ΦΑΝΙΟΣ ΤΕ ΚΑΙ ΔΟΡΚΩ ΟΥΣ ΑΠΕΣΤΕΙΛΑΤΕ
ΠΡΕΣΒΕΥΣΟΝΤΑΣ ΠΕΡΙ ΤΩ [2] ΣΥΜΩ ΠΟΘΑΜΕ ΚΑΙ ΑΝΑΝΕ
ΩΣΑΜΕΝΩΝ ΑΥΤΩΝ ΕΝ ΤΑΙ ΠΡΕΣΒΕΙΑΙ ΚΑΤΑ ΤΟ ΨΗΦΙΣΜΑ
ΤΟ ΠΑΡ ΥΜΩΝ ΤΑΝ ΤΕ ΦΙΛΙΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΥΝΟΙΑΝ ΤΑΝ Υ
ΠΑΡΧΟΥΣΑΝ ΤΑΙΣ ΠΟΛΕΣΙ ΠΟΤ ΑΛΛΑΛΑΣ ΔΙΑΦΥΛΑΤ
ΤΕΝ ΕΠΙ ΚΟΣΜΩΝ ΤΩΝ ΠΕΡΙ [3] ΦΙΛΟΝΒΓΟΤΟΝ ΤΟΝ [4] ΕΥΘΥ
ΜΑΧΟΥ. ΑΓΑΘΑΙ ΤΥΧΑΙ ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΝ
ΤΟΙΣ ΚΟΣΜΟΙΣ ΚΑΙ ΤΑΙ ΠΟΛΕΙ ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ ΜΕΝ ΤΟΝ
ΔΑΜΟΝ ΤΩΝ ΠΑΡΙΩΝ ΟΤΙ ΔΙΑΦΥΛΑΤΤΕΙ ΤΑΝ ΦΙΛΙΑΝ
ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΥΝΟΙΑΝ ΠΡΟΣ ΤΑΝ ΠΟΛΙΝ ΤΑΝ ΑΜΑΝ ΚΑΤΑ
ΤΑΥΤΑ ΔΕ ΥΠΑΡΧΕΙΝ ΤΟΙΣ ΠΑΡΙΟΙΣ ΤΑΝ ΦΙΛΙΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΥ
ΝΟΙΑΝ ΠΑΡΑ ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΝ ΟΠΩΣ ΦΑΙΝΩΜΕΘΑ ΤΑ ΟΜΟΙ
Α ΤΟΙΣ ΠΡΟΑΙΡΟΥΜΕΝΟΙΣ ΑΜΕΣ ΣΥΝΤΕΛΟΝΤΕΣ ΕΙ ΜΕΝ ΔΕ
ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΙΣ ΚΑΙ ΠΑΡΙΟΙΣ ΙΣΟΠΟΛΙΤΕΙΑΝ [5] ΜΕΤΕΧΟΥ
ΣΙΝ ΤΩΙ ΤΕ ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΙ [6] ΕΜ ΠΑΡΩΙ ΚΑΙ ΘΕΙΝΩΝ ΚΑΙ ΑΝ
ΘΡΩΠΙΝΩΝ ΩΣΑΥΤΩΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΩΙ ΠΑΡΙΩΙ ΕΝ ΑΛΛΑ
ΡΙΑΙ ΜΕΤΕΧΩΣΙ ΚΑΙ ΘΕΙΝΩΝ ΚΑΙ ΑΝΘΡΩΠΙΝΩΝ ΕΑΝ
ΣΥΝΔΟΚΕΙ ΤΑΥΤΑ ΤΩΙ ΔΑΜΩΙ ΤΩΙ ΠΑΡΙΩΝ ΑΝΑΓΡΑ
ΨΑΝΤΩΝ ΑΙ ΠΟΛΕΙΣ ΑΜΦΟΤΕΡΑΙ ΕΙΣ ΣΤΑΛΑΝ ΛΙΘΙΝΑΝ
ΚΑΙ ΑΝΘΕΝΤΩΝ ΠΑΡΙΟΙ ΜΕΝ ΕΣ ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΤΑΣ ΔΑΜΑΤΡΟΣ
ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΙ ΔΕ ΕΣ ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΤΑΥΤΟ
ΤΑ ΔΕ ΕΙΝΑΙ ΕΦ [7] ΥΓΙΕΑΙ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙΑΙ ΤΩΝ ΠΟΛΕΩΝ
ΑΜΦΟΤΕΡΑΝ. ΕΑΝ ΔΕ ΤΙ ΦΑΙΝΗΤΑΙ ΥΜΕΝ ΠΡΟΣΘΕΙΝΑΙ
Η [8] ΔΙΕΛΑΙ ΕΥΧΑΡΙΣΤΩΜΕΣ. ΕΡΡΩΣΤΕ.

[1] *Hæ septem lineæ desunt in Gruteri Thesauro.*
[2] *Grut.* Συλω, *lectio dubia.*
[3] *Grut.* Φιλομβρότου τυ
[4] *Grut.* Ευθυμαχω
[5] *Grut.* Μετεχωσιν
[6] *Grut.* ον
[7] *Grut.* υγια
[8] *Grut.* αφελαι

Hujufce

Hujusce inscriptionis interpretationem nullam adtulit Gruterus. Nos sic vertimus. In primis illis lineis utrinque laceris agitur de publicando, publica auctoritate firmando, sigillo Urbis muniendo sequenti decreto.

. . . . .
. , ... ex Allaria . . . .
. . . . publico, cum rescripto . . . .
. . . . mittant autem Archontes . . . . . , ...
. . . . hujusce decreti exemplar, postquam illud sigillo publico munierint, ut Allariotæ inhæreant & obsequantur iis quæ ea de causa decreta sunt

Allariotarum Magistratus atque Civitas, Pariorum Senatui atque populo salutem. Quandoquidem accesserunt ad nos Legati Phantus & Dorco, quos misistis ut de vestris rebus nobiscum agerent, & juxta vestrum sibi traditum placitum atque decretum renovarunt amicitiam atque benevolentiam, quæ inter utramque urbem mutuo intercedebat, ut eadem conservaretur; Philombroto Euthymachi filio magistratum gerente. Quod bene vertat, decretum est ab Allariotarum magistratu & civitate, ut laudetur quidem populus Pariorum, quia in amicitia & benevolentia perseverat erga civitatem nostram: utque eamdem Parii Allariotarum amicitiam & benevolentiam experiantur, quò videamur iis qui nos officiis prævenerunt par pari referre. Quod si quidem inter Allariotas & Parios mutuum jus civitatis reperiatur: & Allariotæ in Paro sit communicatio divinorum & humanorum; pari quoque modo Pario cuique Allariæ sit participatio divinorum & humanorum. Si id populo Pariorum placuerit, describat utraque civitas decretum suum in cippo lapideo, & reponant Parii quidem in Templo Cereris; Allariotæ vero in Templo Apollinis. Quæ bene vertant ad salutem & incolumitatem utriusque civitatis. Quod si quid vobis addere vel demere visum fuerit, per nos licet cum gratiarum actione. Valete.

Erat Allaria Cretæ urbs, cujus verum nomen hoc decreto probe asseritur: nam a Stephano Alloria, à quibusdam Alaria, ab aliis demum Aulatia dicitur. Dorica gens erat ut ex dialecti genere liquet. Κοσμος hic pro *Prytane*, sive magistratum annuum

gerente accipitur, quod in aliis item Cretæ urbibus uſu frequentatum occurrit. Obſervatu dignus ille ritus decreta urbium deponendi in Templis, ut iſte cippus in Templo Apollinis ex ipſius decreti verbis conſtitutus fuerat.

Aliam item inſcriptionem ex eodem muſæo Græcam erui, quâ præſtantior altera vix uſpiam haberetur, ſi quidem integra ad noſtram uſque ætatem perveniſſet, ſed manca undique: quam tamen hic item dare operæ pretium ducimus.

.... ΤΟΥΤΟ ΚΟΝ ....
.... ΚΑΤΑ ΜΗΝ ....
.... ΟΥΤΟ ΔΗΛΩΘΗ ΠΡΟΗ ....
.... ΤΩ ΕΣΩΘΕΝ ΤΟΥ ΔΕΙΠΝΟΥ ....
.... ΝΩΝ ΕΓΓΙΣΤΑ ΤΡΙΩΝ ΑΔΕ ....
.... ΝΕ ΤΩ ΜΕΧΡΙ ΟΥ ΕΑΝ ΑΠΟΔΩ ΕΑΝ ΔΕ Μ ....
...... Μ.. ΜΗ ΕΣΤΩ ΤΗΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΑΛΛΑ ΕΤΕΡΟΣ ....
.... ΝΤΟΣ ΕΑΝ ΕΑΥΤΗΣ ΕΙΚΟΝΑΣ ΑΡΓΥΡΑΣ ΚΑΤΑΣΚΕΥΑ ......
...... Ν ΕΣΤΩΣΑΝ ΤΩ ΛΩΙΠΩ ΧΡΟΝΩ ΠΑΡΑ ΤΩ ΓΡΑΜΜΑ ......
...... ΕΡΩΝ ΕΝ ΕΚΑΣΤΩ ΣΥΝΕΓΗΜΑΤΙ ΜΕΓΙΔΑ ΟΙ ΑΝΑΝΚΑΙΟΙ Δ
* l. ἄγουσι .... ΥΠΟ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΟΣ ΕΠΙ ΤΩ ΑΝΔΡΙΑΝΤΙ * ΑΓΟΥΣΟΙ ΣΥΝΕΛΗ .....
.. Ν.. Ω ΔΩΣΕΙ ΤΩ ΚΟΙΝΩ ΟΙΝΟΥ ΤΡΙΕΤΟΥΣ ΚΕΡΑΜΙΟΝ ΕΑΝ ΤΙΣ ΠΑΡ ...
* sic .... ΔΗΝ ΑΜΑ ΠΕΝΤΕ ΤΟ ΕΠΙ * ΤΗΜ ΠΟΜΠΗΝ ΑΝΓΛΑΡΙΟΝ ΕΞΑΡΤΙΖΟ ...
... ΙΝ ΠΟΙΕΙ ΤΩ ΕΝ ΜΕΡΕΙ ΤΑ ΔΥΟ ΤΑΓΜΑΤΑ ΠΡΩΤΟΝ ΤΟ ΜΕΤΑ ΑΓΟΥ .. Ε ...
.... ΤΟ ΕΤΕΡΟΝ ΩΣ ΑΥΤΩΣ ΟΥΚ ΕΞΕΣΤΑΙ ΤΩ ΥΠΟΔΕΧΟΜΕΝΩ ΟΥΔΕΝΙ ....
...... ΑΝΑ ΠΕΝΤΕ ΜΗΔΕΝ ΕΞΕΣΤΩ ΤΩ ΝΟΜΩ ΤΟΥΤΩ ΥΠΕΝΑΝΤΙ ......
. ΝΥΝ ΜΗΔΕΝΟΣ ΜΗΔΕ ΚΑΘΟΛΟΥ ΓΕΙΝΕΣΘΑΙ ΤΙ ΕΝ ΤΗ ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΧΩΡΙ ...
... Ν ΤΟΥ ΧΡΕΟΝΤΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΟΣ. ΕΠΡΑΧΘΗ ΕΝ ΙΕΡΑ ΠΥΓΝΗ ΠΡΟΤ ....
* sic .... ΛΕ ... ΠΑΤΙΚΩ ΤΟ * ⊢ ΛΟΥΚΙΩ ΕΠΙΔΙΩ ΤΙΤΙΩ ΑΚΥΛΕΙΝΩ ΥΠΑΤΟΙΣ ....
..... ΟΥ ΤΙΤΙΑΝΟΥ ΥΠΕΡΑΝΘΟΥΣ ΚΙΘΝΟΥ ΥΙΟΥ ΜΗΝΟΣ .... ΔΑΚΙΟΥ .....
.... ΤΗ ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΜΟΥ ΤΟΝ ΠΡΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΝ ΝΟΜΟΝ .... ΩΣ ΠΡΟ ...
.... ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΙΣ ΠΑΡΗΣΑΝ ΣΑΜΑΓΟΡΑ ... Ω ..... ΑΝΕΥ .....
* l. Κλαύδιος .... ΚΛΑΥΔΙΟΣ Υ ..... ΘΗΣ ΒΟΥΛΗΣ ΠΡΗΓΙΣΤΟΣ ΤΙ * ΚΛ ....
.... Σ ΑΚΕΣΤΙΜΟΣ ΣΩΤΑΔΟΥ. ΡΟΔΩΝ ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΥ ....
.... ΟΣ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΣ ΔΑΜΑ ΑΣΤΥΝΟΜΟΣ ΛΟΥΚΙΟΥ ....
.... ΟΝΑΣΙΩΝ ΟΝΑΣΙΩΝΟΣ. ΠΟΥΠΛΙΟΣ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ....
* Κυίντος .... ΓΟΥ * ΝΤΟΣ ΑΙΛΙΟΣ ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΦΙΛΗΤΩΡ ΑΝΤ ....
.... ΑΡΙΘΕΜΙΣ. ΤΙΤΟΣ ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΡΤΕΜΑΣ. ΓΑΙΟΣ ....
* Εὐφράνωρ .... * ΑΝΩΡ ΕΥΦΡΑΝΟΡΟΣ. ΓΑΙΟΣ ΑΙΜΙΛΙΟΣ ΗΛΕ ....
.... ΤΟΣ. ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΣ ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΥ ....

. . . . ΕΠΑΦΡΙΩΝΟΣ. ΣΩΤΗΡΙΟΣ ΣΩΤΗΡΙΟΥ . . . .
. . . . ΑΙΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΝΟΥΜΕΡΙΟΣ . . . .
. . . . ΟΣ ΑΠΕΛΛΙΩΝΟΣ. ΜΑΡΚΟΣ ΑΝ . . . .
. . . . ΟΣ ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΣ. ΚΡΙΣΠΙ . . . .

Quæ ſuperſunt, ut docti æſtimabunt, ſunt ad tam nobilis monumenti deplorandam fortunam ſatis. Eſt ſcilicet decretum ad communem Græcorum ludum, ſive pugnam, ejuſque ritum ordinandum: ibidem quæ in prandio celebrari hoc tempore ſolito agenda, indictis in tranſgreſſores pœnis, ſanciuntur. Pro quodam delicto, cujus excidit narratio in lapide, ejicitur quis è Senatu, aliuſque in ejus ſubſtituitur locum. Hinc de quibuſdam iconibus argenteis conficiendis agitur, quæ quorſum ſpectent expiſcari non poſſum, eas penes Scribam aſſervandas eſſe præcipitur. Deinde jubetur neſcio quis, ut conventui vini triennalis amphoram penſitet. Poſt memoratur *τὸ αὐκλάειον*, quod in pompa hujuſmodi parabatur: eam vocem non memini occurriſſe mihi uſquam. In ordines duos dividendam eſſe turmam conſtituitur, interdiciturque vel etiam Senatui quidpiam in lege mutare abſque Scribæ placito. Datum fuit decretum in ſacra pugna LUCIO EPIDIO ET TITIO AQUILINO CONSULIBUS. Demum ſubſcriptiones adſunt Senatus, ut videtur, qui pugnæ præerat.

Comparent item in Bibliotheca Tarviſiana codices manuſcripti bene multi, quorum partem ſolummodo videre licuit, quia ex inſula quadam haud ita vicina in Urbem exportari tum curabat D. Tarviſianus. Hanc notam erui.

Biblia Hebraïca antiqua, initio mutila, cum notis Maſſoreticis.

Liber benedictionum & precum Hebraïcé.

Cæcilii Cypriani opera in codice recenti, in quo, ut aiebat quidem ipſe D. Tarviſianus, quædam epiſtolæ non editæ.

Ambroſii de Sacramentis, codex ſcriptus anno 1436.

Hieronymus in Matthæum XV. ſæculi.

In codice XV. ſæculi, inter homilias *S. Auguſtini* & aliorum, liber ejuſdem Auguſtini *de beato Latrone qui pependit in Cruce, cujus initium, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians.*

Epiſtola B. *Euſébii* ad Damaſum Portuenſem de tranſitu B. Hieronymi, codex non antiquus.

Rubricæ libri Joannis Damaſceni presbyteri, in quo eſt traditio

certa orthodoxæ fidei, traducta de Græco in Latinum à Burgundo Judice cive Pisano sub Eugenio III. Pont. Max.

In codice XIV. sæculi, Passio Domini nostri Jesu Christi secundum *Nicodemum.* Item quædam ex Evangelio secundum *Thomam.*

S. Antonini summula de Confessione, quam non cusam dicunt.

Raymundus Lullus.

Ludovici Patriarchæ Aquilegiensis epistolæ quædam scriptæ anno 1428.

Joachimi Epistolæ, codex vetus.

Dialogi *Luciani* Græcè in codice XIV. sæculi.

M. T. Ciceronis ad Quinctum fratrem, ad Familiares, Tusculanæ, Academicæ quæstiones, de fato, Orationes, in variis cocibus.

Festus Pompeius, codex recens bis.

Crispus Sallustius. Nonius Marcellus.

Seneca, de libero arbitrio.

Justinus cum prologis ad libros *Trogi Pompeii* ab initio, qui prologi rariùs occurrunt in codicibus Justini.

Lactantii Commentarius in Statii Thebaïda.

Juvenalis satyræ. In alio codice *Persius* cum *Juvenale.*

Annii Senecæ Tragœdiæ.

Martianus Capella.

Q. Asconius Pedianus.

Epistolæ *Phalaridis* & *Bruti* Latinè.

Valerius Maximus, scriptus anno 1389.

Diarium scriptum fratris *Pauli (frà Paolo)* manu. Ejusdem opus in Concilia.

Aspasii Orthographia.

Leonardus Justinianus, Francisco Philelpho liber philologicus.

Leonardi Aretini, de primo Punico bello.

Chronicon ab initio mundi ad annum 1428. De rebus maximè Longobardicis & Venetianis.

Chronicon ad annum 1454. vulgari Italico idiomate. Alia item Chronica.

Uti superius dixi partem solum codicum Tarvisianorum vidi, nondum advectis reliquis: alii enim majore numero & pretio sunt. Unum libet commemorare, qualem accepi à clariss. viro Apo-

ſtolo Zeno Venetiarum ornamento. Eſt codex membranaceus ſcriptus anno circiter 1210. Anonymi ſcriptoris rerum Venetianarum; antiquiorem neminem geſtorum ſuorum hiſtoricum norunt Venetiani. Agit is de Inſulis in queîs ſitæ Venetiæ, quarum tam infrequentes & tam jejunæ exſtant notitiæ. Habet is hiſtoriam Patriarcharum Aquileienſium, Gradenſium, Epiſcoporum Torcellenſium & Venetianorum, necnon ſumm. Pontificum, Imperatorum & Ducum, additâ brevi narratione familiarum aliquot veterum patritiarum, multùm diversâ ab iis quæ vulgo de iiſdem familiis feruntur in chronicis recentioribus. Animadvertit ipſe D. Apoſtolus Zenus, Dandulum in hiſtoria, quam circiter annum 1350. ſcripſit, frequentiſſimè iſtius ſcriptoris libro & monumentis uſum. Cujus anonymi ſtylus ſubbarbarus & incomptus eſt, ac ſæculi iſtius inelegantiam olet.

In eodem muſæo Tarviſiano exſtat hiſtoria Venetiana manuſcripta Latinè eleganterque exarata anno 1424. à *Laurentio de Monaco* Cancellario magno regni Cretenſis, cujus pars ſolummodo cuſa fuit. Iſthæc omnia cum aliis bene multis haud dubie complectetur collectio quam parat idem vir doctus Apoſtolus Zenus, nobis amiciſſimus, hoc titulo : *Rerum Italicarum Scriptores.*

Sed nuſquam puto exſtare tot codices ad hiſtoriam Venetianam ſpectantes, quot in ædibus clariſſ. viri Cornari Biſcopia ad magnum canalem. Sed quorum pauci ſuperant trecentos annos. Iſtic Oratorum Reipublicæ diaria bene multa, hiſtoriæ bellorum, & alia hujuſmodi pene innumera.

Cætera omnia Venetiis vidimus quæ peregrinos omnes evocant ad ſui ſpectaculum, quæque vel uſu plebeio trita feruntur : ea nos pro inſtituto noſtro mittimus.



CAPUT VI.

Codices quidam Monasterii S. Justinæ Patavii. Typographium Cardin. Barbadici. De sepulcro Antenoris & I. Lovati. De Monasterio Pomposiano propè litus Maris Adriatici. Epistola sæculo undecimo scripta Henrici clerici ad Stephanum de Bibliotheca Pomposiana. Ejusdem Bibliothecæ catalogus item sæculo undecimo confectus.

VIGESIMA-TERTIA Augusti Patavium venimus, & insequenti rogantibus immò amicè urgentibus Monasterii S. Justinæ Monachis, in Monasterio diversamur. In Bibliotheca paucissimi manuscripti sunt, hosce duos elegantiæ causâ notavi.

Codex membranaceus x. sæculi pulcrè exaratus, Homiliæ S. *Basilii* in Psalmos, in cujus primis foliis hæc leguntur primâ manu. Θευδάτου τοῦ ἐνδοξοτάτου Πατρικίου καὶ στρατηγοῦ τοῦ ὀψικίου, Id est : *Theudati præclarissimi Patricii Ducis Obsequii.* De Obsequii dignitatibus Cangius in Glossario mediæ & infimæ Græcitatis ad vocem ὀψίκιον. In sequenti pagina legitur, Πακουριανοῦ τοῦ ἐνδοξοτάτου Πατρικίου καὶ στρατηγοῦ τῆς Σάμου. *Pacuriani clarissimi Patricii & Ducis insulæ Samo.* In tertia pagina, ἐγράφη ἐπὶ βασιλέων Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου. *Scriptus est codex Basilio & Constantino Imperatoribus.* His autem imperantibus magna vis codicum exscripta fuit; in fine scilicet decimi, & initio undecimi sæculi.

In alio codice membranaceo XII. sæculi, codex Theophylacti in Evangelia: in ejus fronte hæc quatuor carmina exstant.

Τῆς βασιλίσσης ἐννόημα Μαρίας.
Ο͑ δὲ τεύξας τοὺς μελλιῤῥύτους λόγους,
Ψυχῆς ἀληθῶς ἔργον εὐγενεστάτης,
Θεοφύλακτος ποιμενάρχος Βουλγάρων.

Hoc est :

Imperatrix Maria hæc fieri curavit,
Qui autem hos mellifluos commentarios edidit,
Opus revera nobilissimi ingenii,
Theophylactus est episcopus Bulgarorum.

Hæc Maria Augusta eadem videtur fuisse quæ supra p. 54. uxor scilicet Nicephori Botoniatæ Imperatoris. Ubi notandum, hæc carmina in alio codice bibliothecæ Cæsareæ memorari à Petro Lambecio lib. 5. p. 47. Quare hæc ætatis nota, cum ab aliis in alios codices transmearit, non valet ad asserendum tempus, ac sæculum, quo liber exaratus est. Secus de alio jamjam memorato codice, ubi ætas manuscripti, ex charactere conspicua, apprime consonat cum nota Basilii & Constantini Imperatorum, qui x. ex xi. sæculo diu regnavere.

Typographium deinde Card. Barbadici τȣ̃ μακαρίτου adiimus, ubi characteres omnis generis, Græci, Latini, Hebraïci, Arabici, Armeniaci, &c. peculio ejusdem felicis memoriæ viri confecti. Is quo flagrabat rei litterariæ præsertim Ecclesiasticæ amore, ad eam promovendam nihil umquam intermisit. Sub prœlo tunc sudabat Alcoranus Maraccii, qui jam prostat.

Sepulcrum Antenoris in vico S. Laurentii ad ostium PP. Servorum sublime visimus. De epitaphii lectione nihil dubii residuum, nam sic legitur:

C. Inclitus Antenor patriam vox nisa quietem
Transtulit huc Enetum Dardanidumque fugas
Expulit Euganeos, Patavinam condidit urbem,
Quem tenet hic humili marmore cæsa domus.

Primi versûs sententia frustra quæratur. In codice 300. circiter annorum D. Cornari Biscopia legi, jussum fuisse inscriptionem sequentibus verbis apponi,

Inclytus Antenor patriam vix visa quietam
Transtulit huc Ænetum (sic) *Dardanidumque fugas*
Expulit Euganeos, &c.

Si, *vix visa*, pro *vix visam*, accipiatur, sententia quadrat, etsi minime congrua sit. Aliud epitaphium quod quidam eodem in tumulo scalptum narrant, scilicet,

Hic jacet Antenor Paduanæ conditor urbis,
Proditor ipse fuit, hique sequuntur eum;

non animadverti, sive erasum fuerit à Patavinis, quod jure ac merito factum esset; sive alicubi lateat in sepulcro; sive nusquam exstiterit, commentumque fuerit invidi ac maledici hominis.

E regione istius ad aliud ostii latus erigitur, eâdem pene formâ, alius sublimis tumulus, quasi paris prospectûs causa positus. Estque T. Lovati, qui, ut narrabant mihi, erutos illo ævo Ante-

noris cineres, memoratum in ſepulcrum advexerat. Inſcriptuſque eſt tumulus non a fronte modo, ſed à duobus item lateribus, nec ſine labore legitur. Ab alio latere hæc ſculpta ſunt,

T. Lovati Paduani militis, judicis & poetæ.

In fronte quâ vicum tumulus reſpicit hæc carmina ſunt:

Mors mortis morti mortem ſi morte dediſſet
Hic foret in terris, aut integer aſtra petiſſet,
Sed quia diſſolvi fuerat ſic cuncta neceſſe
Oſſa tenet ſaxum proprio mens gaudet in eſſe V. A. (ſic)

Ab alio latere legitur:

Obiit anno nat. Xρι. M. CCC. *nono, ſeptimo*
die intrante Martio.

Litteræ *V. A.* quæ in fine ſecundæ inſcriptionis exſtant, ſignificant, *vixit annis:* & quia in extremo ſitæ ſunt, defuit ſpatium ſcribendi annos vitæ.

Regreſſi Venetias, trigeſimâ Auguſti ſolvimus Ravennam: poſtridieque ſævo & adverſo reflante vento, in canalem quemdam derivamus, exſcenſuque facto Pompoſam Monaſterium olim peramplum ſanctitatiſque fama inſignitum vidimus, jam deſertum. Id undecimo ſæculo, Guidonis Abbatis opera, cum primis frequentatum, pòſt acceſſu principum & magnatum, qui iſtic aſceticæ vitæ tyrocinia Guidone magiſtro poſuere, egregiè nobilitatum eſt. Hujus Guidonis mentio habetur in Præfatione v. cl. Mabillonii ad ſæculi ſexti Benedictini partem priorem. Ejus obitus in annum cadit 1046. Fertur autem in primis qui ſpontaneam flagellationem invexerunt, ejuſque vita legitur ibid. p. 509.

Sub hæc, eodem item ſæculo, curante Hieronymo Abbate, codicibus bene multis inſtructum fuit; adeo ut aliis per Italiam Bibliothecis, ne Romanâ quidem exceptâ, Pompoſianam præcellere teſtificetur Henricus clericus in epiſtola ad Stephanum quemdam, ſubnexo bibliothecæ ejuſdem catalogo: quæ jubet animus hic adtexere, ut compertum lectori ſit quantæ molis tunc fuerit numeroſas parare Bibliothecas; quando iſta quæ aliis præibat, ne mediocribus quidem noſtri ævi conferri valet. Epiſtolam autem & catalogum ex Mutinenſi Sereniſſimi Ducis bibliotheca prodeunt, mihique ab amiciſſimo viro Julio Fontanino Card. Imperiali Bibliothecario, ut nondum publici juris facta, oblata iſtæc Romæ ſunt.

Epiſtola

Epiſtola Henrici Clerici ad Stephanum.

STEPHANO philoſophiæ fonte decenter imbuto, Henricus «
clericus cæleſtis ſapientiæ illuſtrationem. Audita fama ve- «
nerabilis Hieronymi Pompoſiani Abbatis, ſe jugiter exercitan- «
tis, quidquid commodè orbe illuſtrato in divina pagina uſquam «
reperiri poteſt tuo indeſinenter ſubſcribi libello, & numerum «
noſſe eorum quos Deo inſpirante ex ſuo tempore *geſſit libro- « * congeſſit
rum, quidve in his adeo ſtuduit, ut cætera penè *neglegeret, « * *ſic.*
te vehementer cupere fateris. Quod prout potero, rerum dul- «
ciſſime, in harum cujuſcumquemodi ſerie litterarum, quantum «
ex ipſius ore cognovi meave experientiâ, tuæ intimabo fideliter «
dilectioni. Sed ut ad hoc planiùs deſcendam, perſpicuiſque pa- «
teat rationibus, paulo altiùs inchoandum eſt. «

Pompoſiana ergo baſilica, ſicuti ego accepi, ex tempore Gui- «
donis miræ ſanctitatis, primi ejuſdem colendi loci patris, miri- «
ficè honeſtari ac augeri cepit. Cujus ſanctitate viri gens afflata, «
atque exhilarata, quamplures undique ad hoc venerabile tu- «
tumque properabant certatim effugium ; cupientes tam ſancti «
magiſtri inſtrui diſciplinis, vitamque ſub monachica caſtigare «
trutina. Inter quos etiam quidam Marchionum, Comitum «
procerumque filii, delitiis omiſſis pompaque ſæculari poſthabi- «
ta, convenerunt, Deoque operante uſque hodie non deſiſtunt. «
Quo in tempore iſte Dominus meus, de quo nobis ſermo, Hie- «
ronymus Abbas, à puero advectus, ſufficienter didicit monachi- «
cam normam : deinde in grammaticæ ſtuduit fundamento ; ſed «
& dialectica aliquando libavit acumina, in brevique, Deo ma- «
giſtrante, multùm profecit tempore. «

Tunc ex Priore Abbas à fratribus gratanter ordinatus eſt. «
Qui quoniam erat ingenio promtus, animo placidus, fratrum «
amator, morum longè politus honeſtate, mente providus ; cer- «
nens tantam ſe gentem ſine vomere, ac marra divini cultus mi- «
nime fructificare poſſe, illico data opera curioſè ubique quærere «
cepit diverſorum volumina doctorum, quæ præſentibus poſte- «
riſque documenta relinqueret ; ut ſicut genere ſtudioque diverſi «
erant, ſic in his unuſquiſque ſpecularetur quid imitandum, «
quidve aſpernandum ſibi foret. Difficile mihi videtur, quem- «
piam virtutes ac vitia diſcernere liberè poſſe, ignorantem ænig- «
mata & ſententias Scripturarum. Quis enim ægroto antido- «

„ tum dare novit, nisi qui didicit? quisve remigii ignarus ratem committere fragilem sævo audeat ponto?

„ Sed quoniam bonos lividorum aculei stimulare acriter solent, nonnulli quibus mens insana fuerat, diffidere, dissentire, ac objurgare ex hoc præclarum ceperunt Abbatem; alii eum frustra in nugis bona Monasterii dissipare; alii autem illum hoc ob id agere, ut aliquando cum totis libris fugiens aliquem acquireret Episcopatum sibi, instanter asserebant; à quibus mens mea longè aliena fuit, semperque quod bonum & æquum sub hoc credidit negotio. Cui operi ex Abbatis jussu Bonus nomine & exemplo Monachus ex Eremita præerat, omnium dogmate artium peritus, qui etiam æstuans ut tantùm librorum exempla colligeret, non curabat distinctas & decoras litteras: sed quoquomodo formatas. Decreverat enim prædictus Abbas eosdem rescribere, & in unum bibliothecæ corpus colligere. Unde quosdam ex fratribus adversos habeo ob nimiam titulationem non valentes legere libros à me scriptos.

„ Nulla autem ecclesia, nec urbs, neque provincia, tandem nec ipsa Roma orbis caput, certet laudibus Pomposiæ copia sanctorum fortunatæ librorum. Quis igitur tam ferreus, quis tam immitis, tamve bestius, & excors qui non optet quiescere in Pomposiano claustro à strepitu mundanæ pestis, ubi jugiter ædificationis, & salvationis meretur intelligere verba? Sicut enim probos mores colloquia corrumpunt prava: sic è converso bona colloquia malos destruunt mores, immittuntque bonos.

„ Sed ne tibi parum sufficere videatur quod de libris memoravi, libet etiam titulum uniuscujusque libri scribere; ut quod puris non credis verbis, saltem fidelibus subjectum credas oculis. Nec enim hoc in vanum conati sumus; quoniam accidere potest ut errore aliquis ex his subtractus latenter liber oblivioni tradatur; sed perlecta hac pagina fidelis librorum custos cum diligenter inquirat, si fortè vel ex fratribus, vel advena sustulit, armario restituatur continuo. Nota autem prudens lector; quia citius ut dignoscere valeas unumquemque librum, quoniam plures in uno volumine sunt; ubicumque figura in modum litteræ Γ & quotquot tituli intra T & Γ continentur in uno tantum adsunt connexi volumine. Hoc autem quod de vita sancti viri Hieronymi Abbatis deque fratrum numero & de Eremi amœnitate, & totius loci ædificiis; quævis in libello quem pro-

prië de ea re ſcripſi invenias : actum vero hoc in libro Pontifi- «
cum anno ab incarnatione MXCIII. «

XII. Libri Auguſtini ſuper Geneſim ad litteram. « Γ

XII. Libri de civitate Dei, ejuſdem Auguſtini. « Γ

III. Libri de verbis Domini ſuper Matthæum, ſuper Lucam, « Γ
& ſuper Joannem. «

Ejuſdem de catechizandis rudibus. I. de Magiſtro liber I. « Γ
Lib. Quæſtionum I. de agone chriſtiano lib. I. de fide Catho- «
lica lib. I. contra V. hereſes, id eſt contra Paganos, Judæos, «
Manichæos, Sabellianos, & Arrianos lib. I. de altercatione Ec- «
cleſiæ & Synagogæ lib. I. Sermo de decem chordis. De vita «
Chriſtiana lib. I. «

Ad Bonifacium contra Donatiſtas hæreticos lib. I. Sermo de « Γ
Emerito epiſcopo. Ejuſdem Auguſtini epiſtola Honorio, & «
Theodoſio conſulibus, contra eumdem Emeritum Donatiſta- «
rum epiſcopum. Reſponſio contra duas epiſtolas Gaudentii «
Donatiſtarum epiſcopi ad Dulcitium. Alia reſponſio contra «
ſecundam epiſtolam ejuſdem Gaudentii ad eumdem Dulcitium. «
Ejuſdem epiſtola ad Maximianum de non rebaptizando. Ser- «
mo gratiarum Maximiani epiſcopi, quod reverſus ſit ad Catho- «
licam ex Donatiſtis. Epiſtola Silvani, & Valentini, Aurelii Au- «
guſtini, & cæterorum epiſcoporum concilii Zertenſis ad Do- «
natiſtas. Ejuſdem ad Macrobium ut non rebaptizet. Ejuſ- «
dem Auguſtini de continentia liber unus. Alius de patien- «
tia. Tractatus ejuſdem de muliere forti in Salomone. Epiſtola «
ejuſdem ad Marcellinum quomodo invenerint Magi Pharao- «
nis, converſa in ſanguinem tota aqua Ægypti, unde ſimile «
aliquando facerent. Epiſtola Marcellini ad ſanctum Auguſti- «
num, de aliquibus quæſtionibus exſolvendis. Cur hic Deus, «
qui & veteris Teſtamenti Deus eſſe affirmatur, ſpretis veteribus «
ſacrificiis, delectatus ſit. Epiſtola ſancti Auguſtini ad Evodium, «
de ſententia in epiſtola ſancti Petri ; Spiritibus qui in carcere «
erant concluſi advenientem Chriſtum prædicaſſe, qui Chriſto «
aliquando increduli fuerunt. Ejuſdem de divinatione dæmo- «
num ſermo. Ejuſdem Auguſtini de verſu Apoſtoli ubi dicit : «
Debitores ſumus non carni. Sermo ejuſdem de pſalmo Alleluiatico «
(*ſic*) Ejuſdem Auguſt. Sermo de alleluia. Sermo de nocte, & «
die reſurrectionis Domini contra Judæos & Hæreticos. Ejuſdem «
poſt, de concupiſcentias ſuas non eundo liber. Ejuſdem exhor- «

» tationum beati Augustini ad Valerium Comitem charissimum
» sibi. Gregorii Papæ ad * Recaredum Regem. Ejusdem Augusti-
» ni liber 1. de mendacio. Alius ejusdem contra mendacium. De
» vita & moribus Catholicis contra Manichæos lib. 1. Ejusdem ad
» Aurelium Abbatem, de opere Monachorum lib. 1. De predesti-
» natione lib. 1. Sermo ejusdem de tempore barbarico. Sermones
Γ » de Adam II. Epistolæ August. De omnibus hæresibus liber 1.
T » De perfectione justitiæ ad Paulum & Eutropium lib. 1. De
» natura & gratia ad Timasium & Jacobum lib. 1. Epistola Pro-
» speri & Hilarii ad sanctum Augustinum de querela Gallorum.
» Ad eosdem sancti Augustini de prædestinatione lib. 1. Epistola
» Hilari *(sic)* ad Augustinum Episcopum. Augustini ad Hilarum.
» Ejusdem Augustini ad Hieronymum de epistola Pauli ad Gala-
Γ » tas. Sancti Ambrosii de consolatione Valentiniani *(sic)* lib. con-
» fessionum XIII. In salutationem epistolæ Pauli ad Romanos
» lib. 1. Ejusdem Augustini super Joannem.
T » Itidem Cypriani sermones, & epistolæ LXXXI. de Judaïca
» incredulitate ad Vigilium episcopum. Versus Domni Joannis
» de cœna Maî *(sic)* Cypriani.
Γ » XVIII. Lib. Hieronymi in expositione Isaiæ Prophetæ.
T » XIV. Ejusdem sup. Ezechielem.
T » Sup. Hieremiam ejusdem lib. 6.
T » Ejusdem expositio ad Galatas lib. Ad Ephesios III. ad
» Titum 1. ad Philemonem 1.
Γ » Ejusdem super Matthæum 1. super Marcum.
Γ » Libri & diversæ epistolæ ejusdem LXXX.
T » XII. Lib. Ambrosii de Trinitate. Fulgentii de Trinitate
» liber 1. Ejusdem de creaturis à Deo de nihilo creatis liber 1.
» Nicetæ episcopi de ratione fidei 1. Ejusdem de Spiritûs sancti
» potentia lib. 1. Ejusdem de diversis appellationibus Domino
» nostro Jesu Christo convenientibus.
Γ » Ambrosii de officiis lib. 3. Epistola ejus ad ecclesiam Ver-
» cellensem 1. Ejusdem de pœnitentia II. libri. Ejusdem de fra-
» tris excessu lib. 1. De rebus gestis in ecclesia Mediolanensi lib. 1.
Γ » Ejusdem de Paradiso.
T » Catalogum *(sic)* Sanctorum 1. Historia illustrium virorum 1.
T » Super Matthæum Joannis Chrysostomi.
T » LXX. Homeliæ ejusdem de diversis causis veteris, & novi
» Testamenti. De reparatione lapsi 1. De compunctione 1.

* *Codex* Regaredum

Expositio Ambrosii super epistolas Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses II. ad Colossenses I. ad Titum I. ad Timotheum I. Item ad Timotheum, ad Philemonem I. Joannis Chrysostomi in epistolam ad Hebræos sermones XXXIIII. Super Job Origenis lib. III. Ejusdem super Cantica canticorum lib III. Γ T

De Trinitate Hilarii lib. XII. Γ

Ejusdem expositio fidei ad Synodum. Lib. de Trinitate Gregorii Hispaniensis Eliberitanæ sedis episcopi ad Gallam Placidiam. * *Est Faustini epistola ad Flaccillam.* Apologeticum Gregorii Nazianzeni episcopi. Ejusdem lib. de Nativitate Domini I. de Epiphania I. Cum de agro reverteretur ad Imperatorem. De dictis Hieremiæ I. De Pentecoste, & Spiritu sancto I. De Continentia & unitate Monachorum I. De grandinis vastatione cum Pater Episcopus re. . . . . T

Expositio Hilarii super psalterium. Γ

Psalterium Hieronymi secundum Hebraïcam veritatem. Γ

Libri Collationum Patrum Cassiani. De Corpore & Sanguine Domini. Lanfranci contra Berengarium. Itidem de Corpore & Sanguine Domini cujusdam sapientis. Γ

Liber sancti Ambrosii de Virginitate. Hexameron ejusdem. De Paschali hebdomada. Epistolæ Hieronymi quamplurimæ. Γ

Cassiodori lib. I. Lupi Servati lib. Historia Africana. Expositio super Cantica Canticorum secundum modernos. Γ

Historiæ libri XII. Historiæ Africanæ lib. III. Γ

Lib. Officiorum Amalarii episcopi. Γ

Orosii diversarum historiarum lib. 7. Eutropii & Pauli de historia Romana lib. XV. Historia magni Alexandri lib. XV. Liber Plinii & Solini. T

Expositio ut defloratio Hrabani super V. lib. Γ

Item lib. Plinii & Solini, & historia Alexandri. Γ

Liber gratissimus Petri Damiani. Γ

Expositio super psalterium. Γ

Expositio Origenis super Lucam. Γ

Regula Basilii, & Regula Columbani Abbatis. Monita Porcarii Abbatis. Regula Augustini, Regula Pauli & Stephani. Augustini de opere Monachorum. Sermo Augustini ad Monachos. Pinufius de institutione Monachi decem homeliæ. Homelia Augustini de persecutione Christianorum. Hildelphonsus Γ

„ de Trinitate, de hæresibus, & quidam alii libri in hoc volumine.

Γ „ Augustini super Epistolas Pauli.

Γ „ Epistolæ Senecæ ad Lucilium.

Γ „ Ejusdem de dandis & accipiendis beneficiis VII. Liber ejusdem ad Neronem de clementia lib. II. & III. Alii utiles libri in eodem volumine.

T „ Ejusdem tragœdiarum.

Γ „ Cronica quam Regino Prumiensis Abbas composuit. Liber Pontificum Romanorum.

Γ „ Paschasii de Corpore & Sanguine Domini. Umberti Episcopi de Corpore & Sanguine Domini.

Γ „ Duæ Epistolæ Augustini ad Abbatem Valentinum, cum duobus sequentibus libris de Gratia, & libero arbitrio. Hoc opus sic incipit: *Propter eos qui hominis liberum arbitrium.* Altercatio Augustini & Feliciani Ar . . . . Liber de prædestinatione & gratia . . . . . . Liber beati Augustini de utilitate credendi ad Honoratum, hic liber sic incipit : *Si mihi honorabil.* . . . . Liber beati Augustini de gratia novi Testamenti ad Honoratum. Hic liber sic incipit : *Mihi proposuisti pertractandas quæstiones.* Alius lib. ejusdem de natura boni. Hic liber sic incipit : *Summum bonum quo superius* . . . . . . Item ejusdem de octo quæstionibus ex veteri Testamento. Hic liber sic incipit : *Generalem justitiam non violat* . . . . Ejusdem duo libri de Consolatione mortuorum : hoc opus sic incipit : In primo libro, *Præbete silentium fratres.* Alter vero liber sic incipit : *Superiori quidem libello perstrinximus.*

Γ „ Sermo August. de corpore & anima, & misera vita : & sic incipit : *O vita, quæ tantos desp.* . . . . . . Sermo sancti Joannis Constantinopolitani, de compunctione cordis ; & sic incipit . . . . Liber sancti Augustini ad Paulinum episcopum, de consolatione mortuorum. Hic liber sic incipit : *Diu sanctitati tuæ, venerande Pauline.* Sermo sancti Augustini ad Martinum, de muliere forte *(sic)* quis inveniet; & sic incipit: *Præstabit nobis quod diem istum it.* . . . . . . Item sermo sancti Augustini in dedicatione Ecclesiæ ; & sic incipit : *Celebritas hujus congregationis.* Item alius de eadem re ; & sic incipit : *Admoneo vos, fratres dilectissimi.* Libellus de quatuor virtutibus, prudentia, fortitudine, temperantia, & justitia, & partitularis formula honestæ vitæ edita *(sic)* à quodam Martyrio episcopo ad * Mi-

tonem *(sic)* Regem. Hic liber sic incipit : *Gloriosissimo ac tran-* «
quillissimo. Epistola Paulini & Therasiæ ad Augustinum, quæ «
sic incipit : *Domino fratri unanimo & venerabili Aug.* Item Epist. «
S. Augustini ad Paulinum, quæ sic incipit : *Domino verè sancto* «
& venerabili. Epistola August. ad Maximinum, quæ sic incipit : «
Domino dilectissimo & honorabili fratri Maximino Augustinus. «
Gregorii Papæ epistola Secundino servo Dei incluso, quæ sic «
incipit : *Dilectionis tuæ litteras.* Epistola sancti Isidori episcopi «
ad * Mastonem episcopum, de sacerdote lapso per pœnitentiam «
posse resurgere in gratiarum statum pristinum : hæc ita incipit : «
Veniente ad nos famulo vestro. Liber retractionis librorum Aug. «
in quibus qui libri & epistolæ contineantur infra scribemus. «
Contra Academicos & de Academicis primum scripsi libros ** «
Hoc autem opus sic incipit : *O utinam, Romane, hominem sibi* «
aptum. De beata vita liber unus : Hic liber sic incipit : *Si ad* «
philosophiæ portum. De Ordine lib. II. Hoc opus sic incipit : *De* «
ordine rerum Zenobi. De Soliloquiis lib. II. Hoc opus sic inci- «
pit. Vol. . . . . . De Immortalitate liber I. Hic liber sic inci- «
pit. *Si alicubi est disciplina.* De moribus ecclesiæ catholicæ, & «
de moribus Manichæorum libri II. Hoc opus sic incipit : *In* «
aliis libris satis opinor egisse nos. De quantitate animæ lib. I. Hic «
liber sic incipit : *Quoniam video te abundare otio.* De Libero Ar- «
bitrio libri III. Hoc opus sic incipit : *Dic mihi, quæso te, utrum* «
Deus non sit author mali. De Genesi adversus Manichæos lib. II. «
Hoc opus sic incipit : *Si eligerent Manichæi quos deciperent.* De «
Magistro lib. I. Hic liber sic incipit : *Quid tibi videmur efficere* «
cum loquimur. «

De vera Religione lib. I. Hic liber sic incipit : *Cum omnis vi-* «
tæ bonæ ac beatæ viam. De utilitate credendi liber I. Hic liber «
sic incipit : *Si mihi Honorate, unum atque idem videtur esse.* De «
duabus animabus liber I. Hic liber sic incipit : *Opitulante Dei* «
misericordia. Acta contra Fortunatum Manichæum liber I. Hic «
liber sic incipit : *Quoniam scriptum est.* De Genesi ad litteram «
liber I. imperfectus. Hic igitur sic incipit : *De obscuris naturalium* «
rerum quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando, «
sed quærendo tractandum est. De sermone Domini in monte li- «
bri II. Hoc opus sic incipit : *Sermonem quem locutus est Dominus.* «

Psalmus . . . . partem Donati lib. I. Iste psalmus sic «
incipit : *Omnes qui gaudetis de pace, modum veri judicate, quod* «

* *al.* Massonem, Massanum, Massenum

„ *ei*hypopſalma eſt.* Contra epiſtolam Donati hæretici lib. II. Hic „ liber ſic incipit: *Abs te ipſo præſente audieram.* Contra Adimantum Manichæi diſcipulum lib. I. Hic liber ſic incipit: *De eo quod ſcriptum eſt. In principio Deus fecit cælum & terram.* Ex Epiſtola quarumdam propoſitionum * * * Ex Epiſtola Pauli ad Romanos lib. I. Hic liber ſic incipit: *Senſus hi ſunt in epiſtola ad Romanos Pauli Apoſtoli.* Expoſitio Epiſtolæ ad Galatas lib. I. Hic liber ſic incipit: *Cauſa propter quam ſcribit Apoſtolus ad Galatas: hæc eſt.* Epiſtolæ ad Romanos inchoata expoſitio liber I. Hic liber ſic incipit: *In Epiſtola quam Paulus Apoſtolus ſcripſit ad Romanos.* De diverſis quæſtionibus octoginta-tribus lib. I. Hic liber ſic incipit: *Utrum anima à ſe ipſa ſit.* Item, de Mendacio ſcripſit librum unum. Hic liber ſic incipit: *Magna quæſtio eſt de mendacio.* Contra epiſtolam Manichæi, quam vocant fundamentum liber I. Hic liber ſic incipit: *Unum Verbum Deum.* De agone Chriſtiano liber I. Hic liber ſic incipit: *Corona Victoriæ.* De doctrina Chriſtiana libri IIII. Hoc opus ſic incipit: *Sunt præcepta quædam.* Contra partem Donati libri II. Hoc opus ſic incipit: *Quoniam Donatiſtæ nobis.* Confeſſionum lib. XIII. Hoc opus ſic incipit: *Magnus es Domine.* Contra Fauſtum Manichæum libri XXXIII. Hoc opus ſic incipit: *Fauſtus quidam fuit.* Contra Felicem Manichæum libri II. Hoc opus ſic incipit: *Opus noſtrum ita ſcriptum eſt.* Annotationes in Job lib. I. Hic liber ſic incipit: *Opera magna erant.* De Cathechizandis rudibus lib. I. Hic lib. ſic incipit . . . . De Trinitate lib. XV. Hoc opus excepta epiſtola, quæ poſtmodum ad ejus caput adjuncta eſt, ſic incipit: *Lecturis hæc quæ de Trinitate.* De conſenſu Evangeliſtarum libri IIII. Hoc opus ſic incipit: *Multa quidem aliàs adverſus Donatiſtas.* De Baptiſmo libri VII. Hoc opus ſic incipit: *In eis lib. quos adverſus epiſtolam Parmeniani.* Contra quod attulit Centurius à Donatiſtis libri III. Hoc opus ſic incipit: *Dicis eo quod ſcriptum eſt in Salomone: Ab aqua aliena abſtine te.* Ad inquiſitiones Januarii libri II. Hoc opus ſic incipit: *Ad ea quæ me interrogaſti.* De opere Monachorum lib. I. Hic liber ſic incipit: *Juſſioni tuæ ſanctæ, frater Aureli.* De bono Conjugali liber I. Hoc opus ſic incipit: *Quoniam unuſquiſque homo humano generi par eſt.* De ſancta Virginitate, lib. I. Hoc opus ſic incipit: *De bono conjugali nuper edidimus librum.* De Geneſi ad litteram libri XII. Hoc opus ſic incipit: *Omnis divina Scriptura.* Contra litteras

Petiliani

Petiliani libri III. Hoc opus in libro I. ſic incipit : *Noſtis nos* «
prævaluiſſe. In ſecundo autem ſic incipit : *Primis partibus epi-* «
ſtolæ Petiliani. In tertio autem ſic : *Lege Petiliane litteras tuas.* «
Ad Creſconium grammaticum partis Donati libri IIII. Hoc «
opus ſic incipit : *Quoniam ad te Creſconi mea ſcripta pervenire* «
poſſent. Probationum & teſtimoniorum contra Donatiſtas li- «
ber I. Hic liber ſic incipit : *Quoniam timetis conſentire Eccleſiæ* «
Catholicæ. Contra neſcio quem Donatiſtarum liber I. Hic liber «
ſic incipit : *Probationes rerum neceſſariarum quodam breviario col-* «
lectas permiſimus. «

Admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis lib. I. Hic liber «
ſic incipit : *Quicumque calumniis hominum & criminationibus mo-* «
vemini. De divinatione dæmonum lib. I. Hic liber ſic incipit: «
Quodam die in diebus ſanctis octavarum. Quæſtiones expoſitæ «
contra Paganos, numero ſex. Hic liber poſt epiſtolam, quæ «
poſtmodum à capite addita eſt, ſic incipit : *Movit quoſdam &* «
requiritur. Expoſitio epiſtolæ Jacobi ad XII. tribus. Hic liber «
ſic incipit : *Quæ ſunt in diſperſione ſalutem.* De peccatorum me- «
ritis, & remiſſione, & de baptiſmo parvulorum ad Marcellinum. «
libri II. Hoc opus ſic incipit : *Quamvis in mediis & magnis cu-* «
rarum æſtibus. De unico baptiſmo contra Petilianum ad Con- «
ſtantinum, liber unus. Hic liber ſic incipit : *Reſpondere adverſa* «
ſentientibus. De Maximianiſtis, & Donatiſtis, liber unus. Hic «
liber ſic incipit : *Multa jam diximus, multa jam ſcripſimus.* De «
gratia novi Teſtamenti ad Honoratum, liber unus. Hic liber «
ſic incipit : *Quinque mihi propoſuiſti tractandas quæſtiones.* De «
ſpiritu & littera ad Marcellinum, liber unus. Hic liber ſic in- «
cipit : *Lectis opuſculis quæ ad te nuper elaboravi, fili.* De fide & «
operibus, liber unus. Hic liber ſic incipit. *Quibuſdam videtur.* «
Breviculus collationis cum Donatiſtis, libri III. Hoc opus ſic «
incipit : *Cum Catholici epiſcopi & partis Donati.* Poſt collationes «
contra Donatiſtas, liber unus. Hic liber ſic incipit : *Quid adhuc* «
Donatiſtæ ſeducimini. De videndo Deum liber unus. Hic liber «
ſic incipit : *Memor debiti, illud autem ſic rogavi, & nunc commo-* «
neo. De natura & gratia, liber unus. Hic liber ſic incipit : «
Librum quem miſiſtis. De civitate Dei, libri XXII. Hoc opus ſic «
incipit : *Glorioſiſſimam civitatem Dei.* Ad Oroſium preſbyterum «
contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas liber I. Hic liber ſic inci- «
pit : *Reſpondit quærenti dilectiſſime fili.* Oroſii ad Hieronymum «

„ presbyterum, libri II. unus de origine animæ; & alius de sen-
„ tentia Jacobi. Hoc opus sic incipit: *Deum nostrum qui nos voca-*
„ *vit.* Ad Emeritum episcopum Donatistarum post collationem,
„ liber I. Hic liber sic incipit: *Si nunc fili Emerite.* De gestis Pe-
„ lagia liber. Hic liber sic incipit: *Postea quam in manus nostras.*
„ De correctione Donatistarum, liber I. Hic liber sic incipit: *Lau-*
„ *do & gratulor, & admiror.* De præsentia Dei ad Dardanum, li-
„ ber I. Hic liber sic incipit: *Frater, frater dilectissime Dardane.*
„ Contra Pelagium & Cælestium, de gratia Christi, & de pec-
„ cato originali ad Albinum, Pinianum & Melaniam, lib. II. Hoc
„ opus sic incipit: *Quantum de vestra & corporali, & maxime spi-*
„ *rituali salute gaudeamus.* Gesta cum Emerito Donatista, liber I.
„ Hic liber sic incipit: *Gloriosissimo Honorio Augusto XII. & Con-*
„ *stantio.* Contra sermonem Arrianorum. Hic liber sic incipit: *Eo-*
„ *rum præcedenti disputationi hâc disputatione respondeo.* De nuptiis
„ & concupiscentia ad Valerium, libri 2. Primus sic incipit: *Hæ-*
„ *retici novi, dilectissime fili Valeri.* Secundus vero sic incipit: *Sunt*
„ *militiæ tuæ cura.* Locutionum libri VII. Hoc opus sic incipit:
„ *Cum Scripturas sanctas quas appellant canonicas.* De anima & ejus
„ origine libri II. Hoc opus sic incipit, id est, liber ad Renatum:
„ *Sinceritatem tuam erga nos.* Secundus vero ad Petrum sic inci-
„ pit: *Domino dilectissimo fratri & compresbytero Petro.* Duorum
„ vero novissimorum, ad Vincentium, Victorem. Primus sic inci-
„ pit: *Quod mihi ad te scribendum putavi.*
„ Ad Pullentium *(sic)* de adulterinis conjugiis, libri II. Pri-
„ mus horum sic incipit: *Prima quæstio est, frater dilectissime Pul-*
„ *lenti.* Secundus autem sic incipit: *Ad ea quæ mihi scripseras.* Con-
„ tra adversarium Legis & Prophetarum, libri duo. Hoc opus sic
„ incipit: *Libro quem misistis, fratres dilectissimi.* Contra gauden-
„ tium Donatistarum episcopum, libri II. Hoc opus sic incipit:
„ *Gaudentius Donatistarum* * *Tamugaudensis episcopus.* Contra men-
„ dacium liber I. Hic liber sic incipit: *Multa mihi legenda misisti.*
„ Contra duas epistolas Pelagianorum, libri IIII. Hoc opus sic
„ incipit: *Noveram te quidem fama celeberrima prædicante.* Contra
„ Julianum, libri VI. Hoc opus sic incipit: *Contumelias tuas &*
„ *verba maledicta Juliane.* Ad Laurentium, de fide, spe, & cha-
„ ritate, liber I. Hic liber sic incipit: *Dici non potest, dilectissime*
„ *fili Laurenti, quantum tua eruditione delecter.* De cura pro mor-
„ tuis gerenda ad Paulinum Episcopum, liber I. Hic liber sic in-

* Sic, in editis, *Thamugadensis.*

cipit : *Diu sanctitati tuæ coepiscope venerande Pauline.* «

De octo Dulcitii quæstionibus, liber I. Hic liber sic incipit : « *Quantum mihi videtur dilectissime fili Dulciti.* Ad Valentinum « & ad eos qui cum illo sunt Monachos, de gratia & libero arbi- « trio, lib. I. Hic liber sic incipit : *Propter eos qui hominis liberum ar-* « *bitrium.* Ad quos super de correctione & gratia, lib. I. Hic liber « sic incipit : *Lectis litteris vestris, Valentine frater dilectissime.* «

Clementis urbis Romæ episcopi recognitionum libri x. ex- « T cepta epistola & prologo ad caput junctis : quorum primus sic « incipit : *Ego Clemens in urbe Roma natus ex prima ætate pudicitiæ* « *studium gessi.* Secundus autem sic incipit : *Cum autem dies quæ* « *ad disputandum sermone statuta fuerat.* Tertius vero sic incipit : « *Interea Petrus gallorum cantibus surgens.* Quartus sic incipit : *Pro-* « *fecti Cæsarea ut Tripolim pergeremus.* Quintus sic incipit : *Sequenti* « *autem die paulo citius quam solebat.* Sextus sic incipit : *Ubi vero* « *rarescentibus tenebris.* Septimus sic incipit : *Egressi tandem etiam* « *Tripoli Phœnices urbem primam.* Octavus sic incipit : *Postera autem* « *die Petrus.* Nonus autem sic incipit : *Sequenti die Petrus una nobis-* « *cum.* Decimus autem sic incipit : *Mane autem exorto, Clemens.* «

Expositio in Apocalypsin Joannis Apostoli sancti Ambrosii epis- « copi, quæ decem & octo libris continetur. Quorum primus sic « incipit : *In lectione revelationis Joannis Apostoli, fratres charissimi.* « Secundus sic incipit : *Fratres charissimi in candelabro, de quo, cum* « *Apocalypsis legeretur, audistis.* Tertius sic incipit : *Modo, fratres* « *charissimi, audimus beatum Joannem.* Quartus sic incipit : *Et vidi* « *supra dexteram sedentis in throno librum.* Quintus sic incipit : *Si-* « *cut modo cum lectio divina legeretur audistis.* Sextus sic incipit : « *Et vidi alium Angelum ascendentem ab ortu Solis.* Septimus sic in- « cipit : *Modo, fratres charissimi, cum Apocalypsis legeretur audivimus.* « Octavus sic incipit : *Vox de cælo imperium est Dei qui cor tangit.* « Nonus sic incipit : *Quod audivimus, fratres charissimi, in lectio-* « *ne quæ recitata est.* Decimus sic incipit : *Modo autem audivimus,* « *fratres charissimi.* Undecimus sic incipit : *In lectione quæ modo* « *recitata est, fratres charissimi.* Duodecimus sic incipit : *In lectione* « *Domini quæ recitata est, fratres charissimi, dixit S. Joannes.* Tertius- « decimus sic incipit : *Sanctus Joannes, fratres charissimi, dum de* « *VII. Angelorum phialis & plagis.* Decimus quartus sic incipit : « *Modo cum divina lectio legeretur, fratres charissimi, audivimus bea-* « *tum Joannem.* Decimus quintus sic incipit : *In lectione quæ reci-* «

„ *tata est, fratres charissimi, reges illos.* Decimus sextus sic incipit: „ *Quotiens Babyloniam nominavi, audistis fratres charissimi, nolite* „ *civitatem de lapidibus factam intelligere.* Decimus septimus sic in- „ cipit: *In lectione quæ recitata est, fratres charissimi, beatus Joannes* „ *Evangelista sic ait.* Octodecimus sic incipit: *Sicut modo audivi-* „ *mus, fratres charissimi, Angelus Domini locutus est ad beatum Joan-* „ *nem dicens.*

Γ „ Incipit commentarium sancti Hieronymi de Apocalypsi Joan- „ nis Apostoli: hic liber sic incipit: *Joannes, qui gratia Dei inter-* „ *pretatur, figuram Christi tenuit.*

Γ „ Incipit expositio Bedæ Christi famuli super Apocalypsi Joan- „ nis Apostoli, libri 3. excepto prologo ad caput juncto; quorum „ primus sic incipit: *Apocalypsis Joannis Christi discipuli quam dedit* „ *illi Deus palam facere servis suis, fundata per Apostolos Ecclesia.* „ Secundus sic incipit: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu* „ *Dei.* Tertius sic incipit: *Et vidi aliud signum in cælo magnum &* „ *mirabile.*

„ Incipit tractatus de psalmo centesimo octavo decimo Am- „ brosii Mediolanensis episcopi, cujus prologus sic incipit: *Licet* „ *mystica quoque velut tubæ increpuerit sono.* Liber vero sic incipit: „ *Beati, inquit, immaculati, &c. Beati qui scrutantur, &c. quam* „ *pulcher ordo, quam plenus doctrinæ.* Incipit tractatus sancti Am- „ brosii Mediolanensis episcopi in Cantica canticorum, libri 5. „ excepto prologo ad caput juncto, quorum primus sic incipit: „ *Osculetur me osculo oris sui, quoniam optima ubera.* Secundus autem „ sic incipit: *Vox consobrini mei, ecce hic advenit.* Tertius sic inci- „ pit: *En lectulum Salomonis luxuria fortes ambiunt.* Quartus sic „ incipit: *Exurge aquilo, & veni auster.* Quintus sic incipit: *Pul-* „ *chra es amica mea, suavis & decora.* Incipit tractatus sancti Am- „ brosii de psalmo LXI. in quo infidelitatem & impietatem Ma- „ ximi tyranni graviter redarguit, qui ausus est dominum suum „ Gratianum Imperatorem fraude & dolo perimere, quem Impe- „ ratorem in Domini tabernaculo habitare, & in monte ejus re- „ quiescere dicit: hic liber sic incipit: *Omnium nostrum indubia* „ *consuetudo est.* Episcopus Ambrosius Mediolanensis sorori suæ „ Marcellinæ de baculo, liber 1. hic liber sic incipit: *Sollicitam* „ *sanctitatem tuam.* Legatio Aquileiensis concilii ad Imperatores, „ Gratianum, Valentinianum, & Theodosium: hic liber sic inci- „ pit: *Imperatoribus clementissimis & christianissimis.* Item Am-

broſii ad eoſdem : *Imperatoribus clementiſſimis & principibus chriſtianis.* Item alia ejuſdem concilii : *Imperatoribus clementiſſimis.* Item alia ad eoſdem : *Et hoc gloriæ veſtræ clementiſſimus princeps.*

Legatio Ambroſii epiſcopi ad Valentinianum Imperatorem. *Ambroſius Valentiniano Imperatori.* Item alia ad eumdem, de contemnendo ſimulacrorum culturam : *Cum omnes homines qui ſub ditione Romana reguntur.* Item ad eumdem Imperatorem, relatio Symmachi præfecti Urbis, ut aram ſimulacris permittat reſtitui. *Ubi primus Senatus ampliſſimus.* Item Ambroſii ad Valentinianum Imperatorem, & Symmachum præfectum Urbis. *Beatiſſimo principi & chriſtianiſſimo Imperatori Valentiniano Auguſto, Ambroſius epiſcopus.* Epiſtola Ambroſii & aliorum epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Imperatorem. *Beatiſſimo Impetatori & clementiſſimo principi Ambroſius, &c.* Item alia ab eiſdem epiſcopis ad eumdem Imperatorem. *Beatiſſimo Imperatori & clementiſſimo principi Theodoſio Ambroſius, & cæteri epiſcopi Italiæ.* De humanitate & religione Valentiniani Junioris. Ambroſius Theodoſio Imperatori. *Silentium meum rupit.* Ubi ſe excuſat jure Maximi tyranni declinaſſe præſentiam. *Ambroſius Theodoſio Imperatori.* Item Ambroſii epiſcopi ad Theodoſium. *Ambroſius Theodoſio Imperatori.* Epiſtola Ambroſii ad Eugenium Imperatorem. *Clementiſſimo Imperatori Eugenio, Ambroſius epiſcopus.* Incipit liber ſancti Ambroſii, de obitu Theodoſii Imperatoris : *Hoc nobis motus gravis.* Incipit ſancti Ambroſii Epiſcopi, de exceſſu fratris, libri 2. quorum primus ſic incipit : *Deduximus fratres dilectiſſimi hoſtiam meam.* Incipit ſecundus de eadem re : *In die octavo ſuperiore libello aliquid indulſimus deſiderio.* Ambroſius epiſcopus clericis. *Plerumque humanis obrepſit mentibus.* Ambroſius epiſcopus Irenæo. *Quæris à me, cur Dominus Deus manna pluerit.*

Sex libri Auguſtini epiſcopi catholici in libros Juliani hæretici Pelagianæ hæreſis, excepta epiſtola ad caput adjuncta. Hoc opus ſic incipit : *Contumelias tuas & verba maledica Juliane.*

Auguſtini adverſus libros Parmeniani Donatiſtæ, libri 3. Hoc opus ſic incipit : *Multa quidem & aliàs adverſus Donatiſtas.* Item Auguſtinus, de bono conjugali. Hic liber ſic incipit : *In conjugali quippe vinculo, hoc de libro retractationum.* De ſpiritu & littera ad Marcellinum ſancti Auguſtini prologus, ad quem ſcri-

„ pſerat tres libros. Liber ſancti Auguſtini ad Marcellinum, de
„ ſpiritu & littera : hic liber ſic incipit : *Lectis opuſculis quæ nu-*
„ *per elaboravi.* Sermo ſancti Auguſtini, de præſentia Dei ad Dar-
„ danum : hic liber ſic incipit : *Fateor me fili Dardane.* Item ſermo
„ ſancti Auguſtini, de virginitate : hic liber ſic incipit : *Quantam*
„ *in cæleſtibus beatitudinem virginitas ſancta poſſideat.* Incipit liber
„ Auguſtini, de vera religione : hic liber ſic incipit : *Cum omnis*
„ *vitæ bonæ ac beatæ.*

Γ „ Libri 3. ſancti Auguſtini, de verbo Domini in Evangeliſtas,
„ tres, id eſt, Matthæus, Lucas, & Joannes : quod opus in duobus
„ voluminibus ſcriptum habemus. Non dico, quod de uno libro
„ diviſio facta fuit in duo volumina; ſed quia eumdem bis ſcriptum
„ habemus. Scripſeramus quidem eum pridem, ſed non tam lu-
„ culenter ut poſtea : quorum primus ſic incipit : *Evangeliſtam au-*
„ *divimus, & in eo Dominum eos arguentem.*

Γ „ De Conſenſu Evangeliſtarum, libri IIII. hoc opus ſic incipit :
„ *Inter omnes divinas authoritates quæ ſacris litteris continentur.*

T „ Liber etymologiarum Iſidori Spalenſis *(ſic)* epiſcopi.

Γ „ Libri 10. Livii *(ſic)* ab Urbe condita ; ſed capita XL. adhuc
„ deſunt Pompoſiano Abbati, quæ reperire avide anhelat.

Γ „ Liber proëmiorum de libris novi & veteris Teſtamenti. Item
„ liber ſancti Iſidori, de vita, ortu & obitu ſanctorum Patrum,
„ qui in ſcripturarum laudibus referuntur : hic liber ſic incipit :
„ *Incipiunt nomina* . . . . Sanctorum Patrum veteris
„ Teſtamenti myſticè expoſita à ſancto Iſidoro Spalenſi epiſcopo.
„ Hic liber ſic incipit : *Adam figuram Chriſti geſtavit.* Item nomina
„ ſanctorum de novo Teſtamento : hoc opus ſic incipit : *Quatuor.*
„ Chronica ſancti Iſidori Spalenſis epiſcopi, deſcribens hiſtoriarum
„ breviarium ab exordio mundi, uſque ad Heraclii tempus, liber.
„ Liber differentiarum Iſidori Spalenſis epiſcopi : hic liber ſic in-
„ cipit . . . . Item de diſtinctionibus quatuor vitiorum : hic
„ liber ſic incipit : *Contra hæc tam 4. virtutum genera.* Item ſe-
„ cundus, de differentiis verborum : hic liber ſic incipit : *Iſidorus*
„ *lectori ſalutem. Plerique veterum ſermonum differentias diſtinguere*
„ *ſtuduerunt.* Sermo Iſidori contra Arrianos : qui ſic incipit : *Veni*
„ *Domine Jeſu Chriſte redemptor noſter.*

„ Sermo ſancti Joannis Os aurei, de pſalmo L. & pœnitentia
„ David, qui ſic incipit : *Ad cœnæ vos reliquias vocamus.* Epiſtola
„ ejuſdem ad eos qui dicunt, quare non de medio ſublatus eſt

diabolus: hic liber ſic incipit: *Rurſum vobis menſam quam pridem promiſi.* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, incipiunt acta ſancti Methodii epiſcopi Paterenſis, de regnis regum gentium, & de noviſſimis temporibus certa demonſtratio chriſtiana.

Duo libri Aug. de Geneſi contra Manichæos: hoc opus ſic incipit: *Si eligerent Manichæi quos deciperent.* Item duo libri ſancti Auguſtini ad Simplicianum: hoc opus ſic incipit: *Gratioſiſſimam plane atque ſuaviſſimam interrogationum tuarum dignationem.* Item Auguſtinus ad Dulcitium, de octo quæſtionibus: hoc opus ſic incipit: *Quantum mihi videtur, fili dilectiſſime Dulciti.*

Incipit expoſitio ſuper Cantica canticorum Apponii: hic liber ſic incipit: *Admirantibus vocem Spiritus ſancti.*

Decreta Pontificum . . . . primi Clementis Papæ ad Damaſum.

Item Auguſtini libri 15. de Civitate Dei, x. in volumine uno, & v. in alio.

Hiſtoriarum antiquarum XLIV. lib. Trogi Pompeii.

Expoſitio in Evangelium Matthæi edita neſcio à quo authore, cum prologo ad caput juncto: hic liber ſic incipit: *Cum diligenti ſtudio, ac cum ſollicita diverſis teſtimoniis Prophetarum, Evangeliſtarum numerum volumus approbare.* Hoc autem opus tendit uſque ad Evangelium, quo ait: *Tunc oblati ſunt ei parvuli ut manus eis imponeret & oraret:* & dividitur expoſitio libri in LXXVI. capitula.

Memento, prudens Lector, quia ſolerti cura (*ſic*) ſtrenuiſſimi Abbatis Hieronymi ſuperius dicti, omnes pene ſupra commemoratos libros diligenti ſibi exercitio jam ſcribere fecit. Ideo enim dixi, pene, quia quoſdam quos ſanctus Auguſtinus in libro Retractationum commemorat, ejus avidæ manus nundum (*ſic*) attingere valuerunt. Unde ſagax ingenium illius numquam quieſcit ſedulo rogitando & percunctando ubi habiles ſanctorum libri latitent, quatenus ad eorum indaginem pervenire, & ſuo armario addere valeat; ut inter Italicas Pompoſiana mire fulgeat eccleſia. Omnia Dei clementia circa ſuos, quæ ſic fidem flagrare facit, ut quaſi eſuriens comedat nec ſatietur, ſitiens ebibat ampliuſque ſitiat. Quippe deſiderium illius, modum in requirendo non reperit ullum, ſed anhelanter, operoſeque annititur, quo, ſe vivo, eximia librorum copia propriam ditet Eccleſiam. Sed quia

** sic legendum puto, nonnisi vox una deest.*

» livor & iniquæ * *(linguæ)* contagium sæpe inter felicia secure
» ac bene gesta rodere solent; non ignoramus futurum fore quosdam
» superstitiosos & malivolos, qui ut sancto loco detrahant,
» ut optimo Abbati calumniæ . . . . ingerant procaci
» cura indagare; cur idem venerabilis Abbas Hieronymus voluit
» gentilium codices, fabulasque erroris, exactosque tyrannos
» divinæ inserere veritati, paginæque librorum sanctorum.
» Quibus respondendum apostolicis verbis, quia in domo potentis
» non solum vasa aurea & argentea, sed & fictilia sunt . . .
» . . . . . . .Hoc egit ut pro studio & merito suo habeat unusquisque
» in quibus oblectetur & proprie exerceat ingenium. Hinc
» & ipsa veritas ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Credo
» ut quantò quis hic erit sanctior, tantò illic beatior. Idem quoque
» gentilium commentum librorum, si ad puram intentionem,
» intelligantur *(*utile est.)* Quid enim aliud sonant quam sæcularem
» pompam nihil esse? unde Apostolus: *Scimus quoniam diligentibus
» Deum omnia cooperantur in bonum.* Quiescant itaque; argumentosus
» vero Abbas in sancto opere, ut qui bene cœperit,
» usque in finem perseveret: ut libri posteris profuturi scribantur,
» & pro futuris temporibus ad memoriam retinendum itidem
» subnotentur.

** sic suppleo*

Ex iis quæ de Tito Livio notat Henricus pag. 94. jam ævo suo amissas & deploratas tanti scriptoris decades bene multas indicat, tametsi non sic accurate rem teneat. Ignorat quippe nemo ex decadibus 14. sive ex libris, 140. aut, ut alii, 142. solos superesse 35. ac proinde amissos totos 107.

De Trogo Pompeio cùm agit, cave sis putes ipsum Trogum integrum hac in Bibliotheca exstitisse, qui jam à multis retro sæculis exstinctus erat. Verum de Justino intelligas epitomes auctore: qua epitome Justinus Trogum nobilissimum scriptorem confodit ac de medio sustulit; perinde atque Livius magna sui parte periit Floro & Argumentorum auctore perniciem inferentibus. Editis quippe compendiis auctores primi, valere jussi, paulatim incuriâ vel funditus interierunt, vel mutilati magna sui parte sunt.



CAPUT


CAPUT VII.

Eccleſia S. Vitalis Ravennenſis. Monogrammata Titi Cornelii Nepotis. Epitaphium Iſaaci Exarchi. Aliud epitaphium. Inſcriptiones quædam. Pyrgus Agnelli in eccleſia Cathedrali. Eccleſia canonicorum Regularium. De Monaſteriis Claſſenſi & beatæ Mariæ Portuenſis. Receſſus maris Hadriatici. De cataracte Velini. Adventus Romam.

SEPTEMBRIS die ſecunda Ravennam venimus, & in Monaſterium S. Vitalis poſtridie quam obierat Abbas divertimus. Eccleſia in antiquiſſimis Europæ fertur, ſpectabilis formâ, ornata marmore vario opereque muſivo. Ibi videre eſt Juſtiniani effigiem imperatorio cultu, cum Epiſcopo, Diaconis & adminiſtris, veſtitu, ut tulit ætas, ſacro & ſolemni. Ab altera chori parte Theodora conjux cum famulatu, quorum omnium hîc typum atque formam exprimere juberet animus, niſi nos in libro de operibus muſivis prævertiſſet ὁ μακαρίτης Ciampinius.

Eccleſia columnis fulta eſt, labentis artis notam præferentibus. In capitellis monogramma viſitur, quo perperam lecto, non pauci Narſetem inde fundatorem Eccleſiæ pronuntiarunt, nec dubia, ut putabant, conjectura. At *Nepos*, non vero *Narſes* legitur, ut vel primo conſpectu quivis ex oblata modo figura intelligat. Huic adjicimus aliud monogramma, quod pariter in capitello ſanctæ Agathæ majoris Ravennenſis ſcalptum viſitur, mihique tranſmiſſum Romam fuit à viro docto & amico Columbano Boſio Mantuano Cœnobii doctore: conſpiciturque in ſecundo capitello ad lævam, è regione oſtii. Monogramma alterum alteri facem præfert, eumdemque, ni fallor, notat artificem. In eo quod S. Vitalis eſt, ut nemo non videt, *Nepos* legatur neceſſe eſt: in alio ſanctæ Agathæ littera E, detritâ lineâ inferiore in F converſa quid negotii faceſſere potuit. Verùm rogante laudato viro Columbano Boſio, ut quid ferret expromerem, nihil morante littera F, legi ſubito *T. C. NEPOS, Titus Cornelius Nepos*, detritam infernè lineam ſuſpicatus: & rogavi ut rem explorarent diligentius: renuntiarunt autem ad eum locum la-

pidis frustum excidisse cum linea. Aderit fortasse nonnullis scrupulus, architectusne fuerit memoratus ille Nepos, an is qui



proprio peculio Ecclesiam excitaverit; architectis namque olim vetitum fuit ædificiis nomen adscribere. Sed non est quod hæreamus: remotiorem antiquitatem spectat negata illa artificibus nomen sculpendi facultas; neque nomen hic consequenter, sed in monogrammate legitur: ad hæc, ut ex inscriptione antiqua Rubeus comprobat, Julianus quidam argentarius jussu Ecclesii episcopi ecclesiam S. Vitalis excitavit. Quid si dicamus columnarum dumtaxat, non ecclesiæ artificem fuisse Nepotem: in columnis enim tantùm, neque usquam alias comparet ejus monogramma.

Proximè ostium Monasterii in urna marmorea exstat bellissima inscriptio Græca quæ apud Rubeum legitur, sed erroribus conspersa. Hic sanam proferimus Græcé.

Ενταῦθα κεῖται ὁ στρατηγήσας καλῶς,
Ρώμην τε φυλάξας ἀβλαβῆ καὶ τὴν δύσιν
Τεις ἐξ ἐνιαυτοῖς τοῖς γαληνοῖς δεσπόταις
Ισαάκιος τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος,
Ο῾ τῆς ἁπάσης Αρμενίας κόσμος μέγας
Αρμένιος ἦν γὰρ οὗτος ἐκ λαμπροῦ γένους.
Τουτου θανόντος εὐκλεῶς ἡ σύμβιος
Σωσαννα σώφρων τρυγόνος σεμνῆς τρόπῳ
Πικρῶς στενάζει ἀνδρὸς ἐστερημένη,

Ανδρὸς λαχόντος ἐκ καμάτων εὐδοξίαν
Εν ταῖς ἀνατολαῖς ἡλίου καὶ τῇ δύσῃ,
Στρατοῦ γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως καὶ τῆς ἕω.

Quæ ſic verto:

Hic jacet qui Ducis munere ſtrenuè perfunctus eſt,
Romamque ſervavit illæſam & Occidentem,
Ter ſenis annis, ſereniſsimis Principibus,
Iſaacius Imperatorum belli ſocius,
Totius Armeniæ ornamentum magnum,
Armenus erat enim ex præclara ſtirpe.
Illo glorioſe defuncto ejus conjux
Suſanna pudica, inſtar caſtæ turturis
Aſsidue gemit viro privata,
Viro ſcilicet tot laboribus gloriam nacto
In Oriente atque in Occidente,
Exercitum enim duxit Orientis & Occidentis.

Obiit autem anno Chriſti 641. Heraclio Imperatore. Is ipſe Iſaacius, cum confirmandi Severini Papæ cauſâ Romam petiiſſet, eccleſiam S. Joannis Lateranenſis expilavit.

Ejuſdem Iſaacii cum Ravennæ degeret, obiit fratris filius undecim annorum, cujus epitaphium hinc & inde mancum exſcripſi in domo viri clar. Daneſii.

. . . .
. . . . ἐν σώματι κρύπτεται κατ . . . . .
. . . . . ος τὸ θεῖον ἡ ψυχὴ με . . . .
. . . . ας ἄφθαρτον ὁ τρανῶς β . . . .
. . . τος φυγοῦσα τῆς ἁμαρτίας . . . .
. . . ουτος ἰῶ ἐτῶν ὡς ἕνδεκα . . . .
. . ος ἁπλοῦς εὐγενὴς γλυκὺς . . . .
Ον Ισαάκιος ὅστις ἔξαρχος μέγας
Εργοις ἐδείχθη τῶν Ιτάλων στρατευμάτων
Εκλαυσε πικρῶς ἐκ βάθους τῆς καρδίας
Ως πρὸς πατρὸς μὲν θεῖος ὢν τυγχάνων
Εχων δὲ πρὸς αὐτὸν σπλάγχνα πατρικοῦ πόθου.

Id eſt, expuncto adoleſcentis nomine.

. . . .


in corpore tumulatur ſeorſum

cujus anima quæ Dei sunt meditabatur
quæ incorruptionem consequuta est
quia fugit imperium peccati.
Hic erat annorum circiter undecim,
simplex, liberalis, mansuetus.
Quem Isaacius ille qui magnus Exarchus
Rebus gestis comprobatus est Italicorum exercituum
Flevit amare ex intimo cordis,
Qui patruus quidem ejus erat,
Sed viscera paterni affectûs erga ipsum gerebat.

Primus autem versus epitaphii excidit, in quo videtur fuisse pueri nomen. In eadem D. Danesii domo visuntur inscriptiones aliæ elegantes, quarum nonnullas exscripsi. Singularis est Marci Aurelii Theodoti infantis, in qua descriptis de more litteris D. M. subtus ponitur pueri caput & hic & inde manus, post sequitur inscriptio, quam hîc exhibemus, typo addito rotundæ ejusdem cl. Danesii urnæ ex marmore Græco, altitudine pedali cum operculo ejusdem materiæ, ubi luctus singularis exprimitur, cujus mihi rogatu viri clar. Danesii, copiam fecit laudatus vir amicissimus mihi Columbanus.

Die Septembris tertia D. Franciscum Negrium Ravennensis cujusdam ecclesiæ *curatum*, ut vocant, invisimus: erat ille senex vir bonus & candidus, sine fuco & fallaciis more majorum: qui diu peregrinatus maximeque in Septentrionalibus plagis, itinerarium ac descriptionem paraverat illarum regionum, quam cum typis dare cœpisset exstinctus morbo est. Is in horto suo rosam arborem ostendebat in cujus ramorum umbra homines plus quadraginta consistere possunt: strobilos item servabat seu pinea poma, ex quorum meditullio emergebat surculus cui alii strobili adnati.

Hinc ad Domum seu cathedralem pergimus, ubi quædam observatu digna. Apsis musivo opere, quod ornamenti genus à Græcis ad Latinos emanavit. Pavimentum ex marmore varii generis & coloris, atque ex porphyretico. Nihil istic singularius ambone, qui turris instar concinnatus est, ex albo marmore totus, hinc & inde scalæ, quarum alia versus altare, altera è regione ostii sita est. E suprema ambonis parte legitur sculptum, *Servus tuus Agnellus episcopus hunc pyrgum fecit.* Sex ordinibus



2

D M

M·AVR·THEO·
DOT·FIL·Q·V·AN·
IIII·M·AVR·THEO·
DOT·N·ATTIAN·
COP·E T POPPEI
SECVNDIN·MAT
PARENT·FIL·POS



anaglyphorum ab imo ad ſummum ornatur * pyrgus, in primo ordine ſex oves ſculptæ ſunt, in ſecundo ſex pavones, in tertio cervi totidem, in quarto columbæ eodem numero, in quinto ſex anates, in ſexto tantumdem piſcium. Hæc arcana quadam ratione ſic compoſita ſunt, quam nec libet nec vacat exquirere.

* πύργος

Ipſa die baptiſterium Catholicorum adiimus, ſic dictum, πρὸς ἀντιδιαστολὴν baptiſterii Arrianorum. Eſt autem figurâ octangulum, intus ornatum marmore vario. In medio exſtat piſcina item octangula, ubi opinio eſt baptiſmum olim per immerſionem collatum fuiſſe.

Quarta Septembris in archivum eccleſiæ Cathedralis deducimur, ubi quædam excerpſimus ſuo loco publicanda. Pauciſſima ſunt archiva tot diplomatibus varii generis ætatiſque inſtructa: quorum catalogum peramplum, addito cujuſque chartæ compendio, nactus ſum. Iſthinc deſcendimus in capellam à S. P. Chryſologo exædificatam, ut fidem facit monogramma in fornice poſitum, muſivo & teſſellato opere. Viſitur ibidem eburnea cathedra antiqua anaglyphis ornata, quam ferunt uſui olim fuiſſe Archiepiſcopis Ravennenſibus.

Adiimus item eccleſiam Canonicorum Regularium, omnium per Urbem elegantiſſimam, monſtrant iſtic tabernaculum lapidibus pretioſis in tabellas ſectis veſtitum. In Cimeliarchio exhibent vas ingens porphyreticum, in quo aiunt nuptiis in Cana Galilææ celebratis, aquam in vinum mutatam fuiſſe. Verum admodum robuſti pocillatores fuere qui vaſa hujuſmodi vertere poſſent: nam etſi vacuum nonniſi magno conatu moveri loco poteſt vel à nervoſis, ſublimem autem hydriam hujuſmodi vel vacuam ducere gigantis eſt. Porro ab ima parte perforatum vas fuit; metu, aiebat Cimeliarchus, Gallorum incurſantium, ne violarent tam pretioſum pignus; in illoſque fracti cimelii invidiam derivabat.

Septimâ ejuſdem menſis rhedâ vehimur ad Monaſterium Claſſenſe, cujus videndi appetentior eram, olim celeberrimum jam vero deſertum quia inſalubre admodum. Eccleſia viginti quatuor columnis ex marmore Græco fulta. Apſis opere muſivo, ita eleganti colorum nativa pulchritudine ut nihil ſupra. Inde pergimus ad eccleſiam S. Mariæ Portuenſis Canonicorum Regularium, ſecundo item ab urbe milliario, quæ deſerta eſt ob intemperiem cæli. Eccleſia nullo alio ſpectabilis quam quod à

Jotto Florentino, pictoriæ artis in Italia restauratore, depicta sit. Erat autem Jottus Dantis Aligherii poëtæ familiaris. In sepulcro quodam legitur annus fundationis cum epitaphio hujusmodi,

Hic situs est Petrus peccans cognomine dictus
Cui dedit hanc aulam meritorum condere Christus.
Anno milleno centeno debita solvit,
In decimoque nono defunctus corpore dormit.
Quarto Kalendas Aprilis.

Jotto Florentinus restituit pictoriam artem
Depinxit hanc Ecclesiam.

Postrema quæ Jottum spectant recentiora sunt. Hæc olim loca mari contermina, & Ravennæ portus celebris fuit, ubi statio perpetua navium in præsidium maris superi sive Hadriatici; dum alia item classis in Misenæo portu proxime Neapolim staret ad tutelam maris inferi sive Tyrrheni. Claudiano teste, Honorii Augusti ævo portus Ravennæ adhuc, tumente maris æstu, frequentabatur, & ad urbem appelli poterat, ut eleganter ille:

Jamque ora Padi portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, & pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte vehit, nudataque littora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis.

Elapso dehinc sæculo, Padi illuvie portum in amœnissimos hortos commutatum testificatur Jornandes. Et Procopius ejus suppar ait, ævo suo mare duobus jam stadiis Ravenna recessisse, & à triginta stadiis brevium frequentiâ arceri naves appulsu. Sub hæc paulatim prominente solo, tota illa triginta stadia in campos, vineas, pinetaque versa sunt. Recedentibus aquis recessit antiquus Urbis splendor : quamquam non una isthæc jacturæ causa; rerum enim Italicarum tumor, ferventesque proximis sæculis in Italia factiones, plerisque urbibus perniciem intulere.

Septimâ Septembris Ravenna deceditur, & postridie Anconam divertimus, ubi musæum viri clar. Camilli Pighii visimus numismatibus antiquis, aliisque id genus cimeliis instructum probé. Insequenti Lauretam venitur : ibi fusis ad B. Virginem precibus, conspectaque nec sine stupore Ecclesiæ supellectile atque thesauro, pergimus Romam. In transcursu, Velini cataracten pro-

xime Interamnam viſimus de quo Tullius ad Atticum lib. 4. Epiſt. 14. *Reatini me ad ſua τέμπη duxerunt , ut agerem cauſam contra Interamnates apud Conſulem & decem legatos, quod lacus Velinus à M. Curio emiſſus, interciſo monte in Nar defluit.* In monte itaque rapidiſſimo alveo Velinus labitur, donec in abruptum deveniat in quo lapſus ingens : iſtic præceps fluvius deſilit in rupes deorſum , ac in ſpumam & nimbum pene totus abit , hinc perpetua nubes atque in nube irides circumquaque. Cataracten pedum plus minus centum eſſe arbitrantur mecum bene multi ; neque enim audiendi qui trecentos adſcribunt. Delapſus in profundum fluvius per anfractus & ſaxa in Nar influit atque nomen amittit, etſi Nare multo major, puta quia cum non nativo ſed manu facto alveo in hunc ſeſe fluvium immittat, ceu hoſpes & advena priſcum ejus nomen non mutavit. Narrabant autem nobis, canalem quo Velinus in abruptum fertur , cujuſque ima pars rupes eſt, lapideſcente in fundo aqua, ſenſim augeri & altiorem evadere ; quam rem , aiebant, repetitis experimentis exploraram nihilque ambiguam eſſe.

Decimâ-ſextâ Septembris anno 1698. Romam adventamus, ubi à viro clar. Claudio Stephanotio Congregationis noſtræ Procuratore Generali veteris amicitiæ nomine fraternè excipimur, necnon à D. Guillelmo Laparre ejus tunc ſocio. Inſperatis negotiis interceptus duobus cum dimidio annis Romæ verſatus ſum : otiumque tantum evolvendis maximè Bibliothecarum codicibus, luſtrandis etiam Urbis monumentis, contrivi.

Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ παθὼν φρεσὶ, πολλὰ δὲ λυγρά.

Inter adverſa quæ acciderunt , domeſtica præſertim funera nec opinantem , uti ſolet intercepere. Etenim D. CLAUDIUS STEPHANOTIUS anno 1699. 20. Junii è vita migravit. Vir præclarus , cujus à pietate , prudentia , ſtudio litterarum aliquod erat Romæ & in Galliis nomen. Paucis item poſt deceſſum ejus menſibus in ætatis flore ſublatus eſt itineris ſocius D. PAULUS BRIOYS, acri juvenis ingenio , Græcè doctus. Obiit is anno 1700. 10. Februarii.



CAPUT VIII.

Nova Diarii ratio. De ſchedis Flaminii Vaccæ. Epiſtola ejuſdem. DIES PRIMA *luſtrandæ Urbi deputata. Baſilica S. Mariæ Majoris, de arcu Sixti III. ibidem. De templo Dianæ. Ædificium nobile in hortis Mecœnatianis. Arcus Gallieni. Tropæa Cimbrica. Tabernæ in villa Alteriana. Thermæ Helenæ in villa Urſinia : Anaglyphum Neptuni ibidem. Eccleſia S. Crucis. Vetus alia Eccleſia Chriſtianorum. Porta Eſquilina. Mauſoleum Helenæ. Cancellari campi Boarii epitaphium, itemque equitis Norici. Equitum ſingularium ſepulcrum. Eccleſia S. Laurentii & Cœmeterium. Capita Cæſarum effoſſa aliaque monumenta. Urnæ Gotthorum. Pantheum Minervæ Medicæ. Nymphæum. Eccleſia ſancti Euſebii, columna Maxentii.*

HIc diarii novam inimus viam : quia enim tantum temporis Romæ verſati ſumus, ſingula quo ordine viſa ſunt diebus adſcribere ſuis neque libet, neque alicujus operæ pretii eſſet. Toto illo duorum & dimidii annorum ſpatio, ſi quid vacabat à Bibliothecarum & codicum curis, explorandis Urbis monumentis dabam operam. Et cum aliquandiu nullo ordine, utque fors ferebat, modo id modo aliud viſiſſem; quamdam denique mihi præſcripſi luſtrandi normam, ut viginti dierum intervallo Urbem totam percurrerem, accurate ſingula circumſpiciendo. Morem autem repetii quoties vel amicorum rogatu, vel meopte nutu ac voluntate Urbem reviſi, ut vicenorum ſemper dierum curriculo totum complecterer. Eodem itaque ritu diarium Romanum noſtrum parabimus. Nec fortaſſe deerunt queis plures veſtigandæ Romæ dies inſumere & ſingula curioſiùs indagare cordi erit; at iis integrum pedetentim ac moroſius omnia luſtrare, & binis terniſve diebus ea diſpicere quæ uno complexus ſum.

Præter ea quæ meis ipſe oculis obſervavi, quæ ſcilicet ut plurimum vel intacta, vel ſecus aut non pro merito rei nec examuſſim deſcripta

descripta sunt, pristinum quippe institutum persequor; non pauca neque spernenda ex scriptoribus anecdotis, in quos incidi, mutuatus sum: quibus longè præstat Flaminius Vacca sculptor Romanus. Is de monumentis Romanis suo & majorum ævo deprehensis, observationes bene multas cùm suo tùm notorum experimento collegit: atque Anastasio Simonettæ Perusino, qui Romanarum antiquitatum librum accuratione multa parabat, dono obtulit. Observationes Flaminii, ut nullo ordine inter se cohærebant, sed intermixtæ erant, ut quæque forte fortunâ sese obtulit, nulla habita argumenti ceu rei descriptæ ratione; ita liberum fuit eas ad institutum aptare meum, cum maximè hoc pacto ad germanam seriem propriamque sedem reponantur. Schedas autem ejus Italico vulgari idiomate conscriptas, Latinè reddere visum, quò eruditis forent opportuniores. Eas sane, ut nova & intacta multa complectuntur, antiquitatis studiosis non displicituras confido. Erat Flaminius nobilis sculptor Romanus, cujus peritiam produnt opera fabrilia non pauca variis in templis ædibusque Romanis. Is decimo-sexto sæculo floruit, videtur ad decimum-septimum produxisse vitam. Visitur ejus sepulcrum, sed sine anni significatione, in ecclesia S. Mariæ Rotundæ, ubi iconi ejusdem marmoreæ subjicitur epitaphium sequens:

D. O. M.

Flaminio Vaccæ sculptori Romano, qui in operibus quæ fecit, nunquam sibi satisfecit.

Epistolam ejusdem ad Anastasium Simonettam hic præmittimus.

Clarissimo Viro Simonettæ Anastasio, Flaminius Vacca
S. P. D.

Cum rumore nuntio acceperim te, Vir Clarissime, Romanarum antiquitatum librum accuratione multa & labore adornare; in grati animi signum pro innumeris abs te mihi collatis beneficiis, hasce quantulascumque schedulas meas tibi transmitto, ratus cordi tibi fore observationes hasce meas penes te habere, quas à pueritia ad annum usque vitæ 56. tum meis ipse oculis, tum narratu multorum accepi, de iis quæ Romæ nostra ætate variis in locis effossa ac deprehensa sunt. Accipe quæso, Vir

„ Clarissime, saltem animi adfectum: nec indigne habeas, si li-
„ gnum, ut aiunt, in sylvam congeram. Vale, Vir Clarissime,
„ Romæ primâ Novembris 1594.

A Basilica S. Mariæ Majoris Urbem lustrare semper orsi sumus, in Esquilino monte sita: quo loco, ut vulgo creditur, consedit olim Junonis Lucinæ templum; ac, quod nihil controversiæ admittit, proximè macellum Livianum. Secundas ipsa tenet inter basilicas Romanas, sunt nempe Romæ basilicæ quinque, S. Joannis Lateranensis, S. Mariæ Majoris, S. Petri Vaticani, S. Laurentii extra muros, S. Pauli via Ostiensi. Spectabilis in ea arcus est, opere musivo exornatus, auctore Sixto Tertio Pontifice, quâ formâ primùm eodem curante excitatus est. Id asseritur inscriptione eodem in musivo concinnata, XYSTUS EPISCOPUS PLEBI DEI. Paucissima Romæ supersunt ædificia tantæ vetustatis à Christianis excitata. Figuræ porro musivo opere expressæ non imperitam manum olent.

In apside chori musiva item pictura exstat Nicolai IV. tempore concinnata, ubi depingitur Pontificia veste Nicolaus ipse IV. cum Tiara oblonga conica non triplici, quod postremum genus invexit Bonifacius VIII. ejus successor. Sanctus item Franciscus ibidem delineatur, eadem qua Capucini veste, sed sine barba, sine pallio, togatus.

De cæteris hujusce basilicæ, capellis scilicet reliquiis, &c. infinitæ penè descriptiones prodiere prodeuntque in dies. Ibi visitur famosa illa B. Virginis cum puero Jesu imago, pictore, aiunt, S. Luca. Septem, ni fallor, hujusmodi tabellæ, in variis Urbis ecclesiis, eodem artifice comparent, omnes ex Græcia comportatæ. In Calendariis & Menæis Græcorum haud infrequens imaginum B. Virginis S. Luca pictore mentio. In Bibliotheca verò RR. PP. S. Basilii, martyrologium exstat decimo circiter sæculo exaratum, ubi celebrantur imagines hujuscemodi.

A sinistris ostii majoris habetur sepulcrum Philippi de Levis Cardinalis titulo SS. Petri & Marcellini, & Eustachii fratris ejus, qui sæculo XV. floruere, ambo Galli & Archiepiscopi Arelatenses.

„ FLAMINIUS VACCA. Proximè ecclesiam S. Ma-
„ riæ Majoris, quâ Urbem respicit, deprehensa fuit statua vulgari
„ proceritate, sedens; vestitu tali ut fasciis circumvoluta videre-

tur, cubito in genu poſito nixa : qua conſpecta Petrus Leo Ca- «
ſtellus, iis in rebus peritiſſimus, ait eſſe Victorinam matrem «
Caſtrorum. «

At res dubio non vacat : Victorina quippe virilis audaciæ femina, penes quam in Galliis aliquantum temporis ſumma rerum fuit, adeo ut Mater caſtrorum à militibus renuntiaretur; multos quidem Gallieni tempore ad imperium ſuſcipiendum induxit atque fovit; verum Romæ ut hoſtis habita eſt, ejuſque nummi qui hactenus exſtant, Treviris cuſi ſunt : neque ſimile veri eſt ſtatuas ipſi Romæ erectas fuiſſe. Ad hæc, ſumma fuit iſto ævo Romæ ſtatuariæ artis imperitia, ut mirum ſi quis nativam mulieris effigiem, tam accurate expreſſerit, quando maximè ex nummis ejus qui rariſſimi ſunt & ſæculi inelegantiam olent vix poteſt vera illius forma deprehendi. Denique numiſmata Victorinam galeato capite exprimunt, longe diverſo ſcilicet à memorata ſtatua cultu.

In Monaſterio S. Antonii Gallorum huic baſilicæ vicino, rudera viſuntur antiqui Dianæ Templi, quæ in horreum verſa ſunt. In horrei muro muſivi operis ſparſa hinc & inde veſtigia obſervantur, quæ venatus feraſque ſylvaticas referebant, germana Dianæ ſymbola. Ex hiſce ruderibus eruta gemina muſivi operis fruſta in capellam ſancti Antonii tranſlata ſunt, &, vario marmore, in utroque latere capellæ leonem qui vaccam ſuffocat exprimunt. Nec moveat quempiam quod nulla templi hujuſce in Rufo, Victore aliiſque ſcriptoribus exſtet memoria. Nam infinita pene hujuſmodi eruuntur in dies hactenus inobſervata, intacta : quale eſt templum Mithræ in valle Viminalis, de quo ne γρῦ quidem apud ſcriptores : cujuſque ſitum & formam ſuo loco reperies.

Hortos Mæcenatianos, hac in parte fuiſſe regionis Eſquilinæ ſitos, omnium pene calculis eruditorum aſſeritur, ita ſcilicet ut à templo circiter S. Martini in montibus ad aggeres Tarquinii, qui pone S. Antonium hactenus videntur, pertigerint, complexi hodiernas SS. Viti & Modeſti atque S. Antonii ſedes, quod ex Tacito maximè & ex Martiali eruimus. Prior enim ait lib. 15. *Nero Antii agens non ante in Urbem regreſſus eſt, quam domui ejus, qua Palatium & Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret.* Quo pacto autem continuaverit aperit Martialis.

Hic ubi miramur velocia munera Thermas
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

A Palatio nempe Augusti ad Thermas usque Titi domus illa Neronis protendebatur: inde vero per acclive montis Esquilini, sublatis domibus atque tectis, superbum agrum sive hortos paravit, qui Mæcenatianis hortis contermini erant, ibidemque turris Mæcenatis in Esquiliarum vertice, unde ludibundus Nero late grassans incendium spectabat. Quibus Mæcenatianis hortis finitima Virgilii Poëtæ domus. Esquiliarum porro verticis pars illa quæ Thermis Titi & campo intermedio opposita est, in sanctum Vitum & adjacentia loca cadat oportet. Hoc situ, teste oculato Flaminio Vacca, ædificium nobile repertum, quod si conjectare liceat, hortorum Mæcenatianorum ornamentum fuerit: eam suspicionem forte augeant icones philosophorum mox memorandæ.

» FLAMINIUS VACCA. E regione sancti Antonii ver-
» sus hospitium sancti Viti, memoria mea erutæ fuerunt columnæ
» multæ partim ex marmore fusco, partim ex marmore statuali,
» subjacebatque elegans pavimentum ex marmoribus. Ibidem de-
» prehenderunt vas grande septem palmorum longitudine, toti-
» demque latitudine, cum ansis singulari more confectis. Inscul-
» ptæ istic erant aliquot larvæ, probè delineatæ, necnon philoso-
» phorum icones, in queis effigiem Socratis agnovi. Puto jam esse
» penes Cardinalem Farnesium.

Ecclesiæ sancti Viti accumbit ad lævam arcus Gallieni ex Tiburtino lapide, cujus inscriptio plerumque tradita fuit. Eodem loco, videlicet in summo Esquiliarum, statuam erigi sibi jusserat Gallienus colosso duplo majorem, ut narrat Trebellius Pollio, ita ut hastam teneret per cujus scapum infans ad verticem conscenderet. At nece præoccupatus, informem colossum reliquit. Atque ut probabile est per arcum sive portam hujusmodi ad colossum aditus futurus erat.

Eodem itinere visitur castellum aquæ Martiæ semirutum; à cujus fronte tropæa Marii olim sita, ut ex ipsis tropæis, quæ ibidem erecta proximis sæculis erant, atque ex remotissima traditione discimus. Qua de re tamen haud leves exortæ controversiæ & ad hos pene dies productæ. At rem probe tenentibus nihil loci controversiis ac quæstionibus. Tropæa istic fuisse nemo inficias eat. Ea autem ipsa fuisse quæ Caio Mario de

Cimbris & Teutonibus erecta sunt, haud minus certum; nam à multis jam sæculis locus *Cimbrum* vocatur. Rem aperte testificatur Anonymus XIII. sæculi, quem ad calcem Romani hujusce Diarii edituri sumus, sic habet: *In Esquilino monte fuit templum Marii, quod nunc vocatur Cimbrum, eo quod vicit Cimbros.* Licet enim imperitè templum Marii istic constituat; quia fortasse, ut nugax erat, Castrum aquæ Martiæ pro templo habuit, nihilo minoris est momenti ad tropæa Cimbrica ibidem reponenda: quod item Petrarcha confirmat, longe melioris notæ scriptor. Hinc est quod à multis retro sæculis ecclesia sancti Eusebii proxime sita, *ad Cimbrum* vocetur, à tropæis nempe Cimbricis.

E regione Castri aquæ Martiæ est villa Palumbara, quo spatiatum frequenter per Romanum otium concessimus. Est ibidem lapis sepulcralis ubi Lictoris forma cum fascibus, & epitaphium ejusdem, quod editum quidem fuit, at prætermissâ figurâ, quam ego vel præcipuam æstimo, estque hujusmodi.



Hinc itur ad Alterianam villam, ubi statuæ frequentes, labyrinthus, inscriptiones bene multæ, &, quod singularius, novem fornices una serie, ita ut qui medius est editior cæteris, alii ultro citroque sensim minuantur, postremi omnium minimi sint. Cui usui fuerit ædificium hujusmodi haud facile est augurari: sunt qui putent fuisse receptacula animalium & ferarum varii generis ad ludos spectaculave; alii aliud æstimant. Cum diu mecum & formam eorum & frequentiam reputassem; in hac demum conjectura substiti, quam lubens eruditorum judicio permitto. Ejusdem formæ occurrunt per Urbem identidem inter antiqua ejus rudera, videlicet proximè S. Joannem Lateranensem bene multa hujusmodi vestigia comparent; ad sanctum Joannem & Paulum magno numero; ad Thermas Antoninianas longa serie, nam plus viginti fornices consequenter positi supersunt; è regione viculi S. Vitalis non pauca, inter villam Chiggiam & Thermas Diocletianæas non minore numero: proximè Circum Maximum ad radices

Palatini totum intermedii vici latus alterum occupabant. Ne multa, nihil in Urbe vulgarius fuit hoc ædificii genere: quia vero in frequentioribus Urbis partibus magno numero sunt, non video quid aliud quam apothecæ sive tabernæ fuerint: quæ opinio sicubi tradita scripto fuerit, non occurrit uspiam mihi, (sed quis possit præsertim his in rebus legisse omnia) ideoque majori perquisitione opus.

Eadem via ad lævam occurrit villa Ursinia in qua spectabilia quædam, & primo Thermæ Helenæ, integræ pene: ad ostium sequens inscriptio legitur:

D. N. HELENA VEN. AUG. MAT. . . .
AVIA BEATISS. . . . .
THERMA . . . . . ISTR. . . . .

quam ideo exaravimus quia à quibusdam secus edita fuit. Eadem pene forma sunt Thermæ qua Piscina Mirabilis proximè Baias, at multo angustiores. Duodecim *camerellis* constant: ex singulis ad vicinas aditus est, olimque munitæ fornicibus erant, qui temporum injuria lapsi sunt, duobus exceptis: ii vero tam firmo cæmenti genere structi sunt, ut ferro vix particulæ excutiantur. Ex aquæ Claudiæ ductu, cujus arcus aliquot istic visuntur, Thermis aqua subministrabatur. Exstant ibidem inscriptiones bene multæ, urnæque sepulcrales anaglyphis ornatæ. Quod monumentorum genus ita frequens Romæ est, ut vix ullo possint in loco terram effodere, quin simile quidpiam vel imprudentes eruant. Dum his cudendis vacarem, inscriptionem sequentem Romæ nuper erutam accepi, à D. Guillelmo Laparre mihi transmissam.

D. M.
ARRECINAE
GNOMES
ARRECINA
TERTULIA
DELICIO SUO
FECIT.

Urnam observavi, ubi Nympha rhedâ ducitur à duobus centauris, quorum alius Cupidinem dorso gestat; alius leonem ducit

laqueo ligatum. Singulare item eſt anaglyphum Neptuni qui undis inſidet capillatus ornatuſque diademate, barbâ promiſcuâ, à dextris erigitur tridens haſtæ oblongæ impoſitus, ad imum haſtæ draco alatus conuerſo ad ſimulacrum capite. Figuram totam ſubjicimus.



Ex villa Urſinia egreſſis mox occurrit eccleſia ſanctæ Crucis in Jeruſalem, ad Palatium Seſſorianum ſita, teſte Beda in Martyrologio. Aiunt vulgo ſtructam quo loco Iſidis templum, at non alia quam famæ traditione: reliqua omnia ad illam ſpectantia vel uſu plebeio trita. In Monaſterio ſequentem inſcriptionem erui non inelegantem.

ANIA L. INGRATIUS HOMINE
NULLUM EST. Lege, *Annia liberta.*

Contiguum Monaſterio eſt amphitheatrum Caſtrenſe, quod magna ſui parte conſiſtit; lateritio opere, triplici paraſtatarum or-

dine; qua respicit agrum, Urbis mœniis utrinque jungitur, atque muri loco est. E regione Hippodromus erat, cujus vix vestigium, Aureliano, ut quidam, Helagabalo, ut alii, fundatore. Ex hujus ruderibus ad plateam ædium Barberinarum advectus est obeliscus ex marmore granito Ægyptio, hieroglyphis plenus, qui ibidem jacet extensus atque fractus.

„ FLAMINIUS VACCA. Propter sanctam Crucem „ in Jerusalem perantiquum exstat ædificium subterraneum, ubi „ multi Sancti depicti, quo ecclesiæ vice Christiani quondam usi „ sunt, sed jam dirutum est atque in vineam commutatum. E „ vicino detecta fuit antiqua via lapidibus strata, latissimaque, „ quam animadverti à porta Majore ad sanctum Joannem Late- „ ranensem tendere. Ibi jacebat grandis columna ex granito fusco, „ socia earum quæ in ecclesia S. Joannis Lateranensis in navi Apo- „ stolorum erectæ sunt. Arbitror autem Constantinum Magnum, „ cum Lateranense fabricaretur, aliquod ædificium extra portam „ Majorem ornamentis suis spoliasse, & memoratam columnam „ casu ibidem remansisse, ubi etiamnum videtur.

Jamdiu nihil eorum comparet, sublata enim columna fuit: ædificii vero à Flaminio memorati vestigia, aut congesta humo obruta, aut prorsus diruta fuerunt.

Istis in locis, teste Procopio, Vivarium erat, sive receptaculum animalium, ad Urbis mœnia, proxime portam Esquilinam, non autem propter castra Prætoriana, ut Ligorio visum, refragante apertissime Procopio. Ligorium sequuti sunt plerique omnes qui Romæ ichnographiam ediderunt; & quod mirum, nullo alio quam Procopii testimonio, qui tamen diserte ad portam Esquilinam Vivarium locat.

Ex ecclesia sanctæ Crucis rectà petimus portam Majorem. Sunt qui eamdem putent esse quæ Nævia olim dicebatur. Verùm res non vacat difficultate. Æstimat Nardinus Gabiusam esse. Sed cum, Victore teste, Gabiusa eadem fuerit quæ Tiburtina, nec ulla ratione possit Tiburtina eadem quæ porta Major esse, cadit Nardini sententia. Si stemus Frontini verbis, Esquilinam eamdem quam portam Majorem esse deprehendemus. *Partem sui*, sic ille lib. 1. *aqua Claudia priùs in arcus qui Neroniani vocantur, ad Spem Veterem transfert.* Et alio loco de Aniene novo: *Rectus verò dictus secundùm Spem Veterem veniens, intra portam Esquilinam, in alios rivos per urbem ducitur.* Quo sane liquidius nihil,


nihil : nam hodieque arcus veteres aquæductûs Anienis ad portam Majorem visuntur, quæ proinde Esquilina fuerit, cum maxime illa in Esquilina regione sita feratur. Ex iis item constat Spem veterem prope portam quæ hodie Major vocatur fuisse ; proindeque eodem circiter loco siti erant horti Heliogabali, iidem enim horti Spei veteris nuncupabantur, quod proxime templum Spei veteris essent. Constat Esquilina porta duobus ostiis, quorum hodie alterum occlusum, præfertque inscriptionem pulcherrimam, qua narratur Imp. Claudium aquam Claudiam deduxisse, Vespasianum & Titum restaurasse.


Ad lævam exeuntibus offertur via quæ dicitur Prænestina ; ad dexteram vero Labicana, quâ itur ad sepulcrum Helenæ Augustæ. Locus jam *turris Pignatara* vocatur, estque altero à porta Majore milliari. Istic erectæ hactenus videntur reliquiæ magni ædificii rotundâ formâ, quod Helenæ Augustæ mausoleum dicitur, non hodierna voce & fama ; sed à mille annis sic dictum occurrit, cui hæret sacellum recèns structum. Cœmeterium SS. Petri & Marcellini istic visitur, quod peramplum est ; olim *inter duas Lauros* dictum. Eò non semel commigravi, sed accuratius id lustravimus 13. Januarii anni 1701. cum D D. Abbatibus de Louvois, Renaudotio neque parvo comitatu : qua die imperito usi duce in exitu reperiundo non parum operæ fuit.

Ejus aditus atque meatus sublimiores sunt quam in reliquis cœmeteriis. Longiùs progressi incidimus in ædificia quadra, quæ Christianos sacrorum usui olim deputasse fertur. In quibusdam picturarum reliquiæ supersunt olim à Christianis concinnatæ, quales depinguntur in Româ subterranea, earum nonnullæ ætate humiditateque loci labefactatæ : aliæ ab nescio quo erasæ de industria expunctæque fuere. Eodem loco, egesta effossaque humo inscriptiones identidem eruuntur : singularitatis ergo quasdam hic proferimus, prior nonnihil barbara est, & sic habet :

PISS. BNIA
TERENTIA FECIT
MARITO SUO N
ONIO MANRY
LIO QUI VIX A
NN. LXXIII. FECIT
CUM CONJUGEM
SUAM ANN. XL
III. QUI FUIT
..ANCELLA
RUS PRIMI IOCI C
AMPI BOARI A
NN. XXVI. IN P

De prima linea nihil ſuccurrit, cætera ſic lego, *Terentia fecit marito ſuo Nonio Manrylio qui vixit annis LXXIII. fecit cum conjugem ſuam* (ſic) *annos XLIII. qui fuit Cancellarus primi joci campi Boari annis XXVI. in pace.* Cancellarus hîc intelligitur, ut credere eſt, is qui locum joco deſtinatum cancellis muniebat, quam vocem illa ſententia non memini me legiſſe uſpiam. Aliud epitaphium elegantioris ævi, eſt equitis cujuſdam Norici, cum anaglypho ſingulari: inſcriptio ſola prodiit in lucem, anaglypho nuſquam expreſſo. Vir decumbens videtur inferiis libans, atque in imo lapidis qui quatuor pedum longitudine, unius cum dimidio latitudine eſt, equus repræſentatur ephippio, ut illa ætate, ornatus. Non infrequentes ſunt equitum Noricorum inſcriptiones, qui in pretio erant, perinde atque illius regionis equi: In lapillo D. Antonii Capelli Patritii Veneti equus ſculptus habetur ad palmam currens, cum inſcriptione *Noricus*, quia ſcilicet dominus atque ſeſſor, illo vectus, palmam retuliſſet; cujus ectypum pariter damus.


D M
TAVREL SVMMVSEQ
SING·AVG·CLAVDIO
VIRVNONAT·NORIC
VIXITANN·XXVIIMIL
ANN·VIIII·P·AELIVS
SEVERVS HERES
AMICO OPTIMO F.
V·L·S


NORICVS

Erant equites Singulares qui à sinistris Imperatoris in acie stabant, Prætoriani autem à dextris; atque adeo ordine ac dignitate proximi Prætorianis erant. Eorum sepulcrum istic situm fuisse, ex inscriptionibus non paucis sepulcralibus ad Equites singulares spectantibus ibidemque erutis, non infeliciter auguratur Raphaël Fabretus de Inscript. pag. 360. cujus sententia probè asseritur ex duabus aliis, quæ in Mausoleo Helenæ erutæ, exportatæ sunt in officinam *marmorarii* ad curiam Innocentianam, mihique ab amiciss. viro Philippo à Turre transmissæ sunt, hic collocandæ:

D. M
T. AURELIO. TITI. FILIO
AELIO. MURSA. MAXIMO
SIGNIFERO. EQ. SING
IMP. N. TUR. AUREL. BITFI
NATIONE PANNONIO
MIL. ANN. XXII. VIX. AN. XL
T. FIRMUS. EVOCATUS AUG
HERES. AMICO. OPTIMO
F. C

Alia.

D. M
AURELIO. PROBO. EQ. SING
EX. TUR. MARINI. NAT
..A...V. A. XXXIIX. MIL. A. XIIX
AUR. VERAX. ET. T. AUR. TACI
H. A. O. F. C

Prima inscriptio, sic legitur: *Dis Manibus. Tito Aurelio Titi filio. Ælio Mursa maximo signifero equiti singulari Imperatoris nostri, Turmæ Aurelii Bitfi* (sic) *natione Pannonio, militavit annis*

XXII. vixit annis XL. Titus Firmus Evocatus Augusti hæres amico optimo fieri curavit. Evocatus Augusti quid fuerit aperit Suetonius in Galba. *Delegit*, inquit, *& equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.* Evocatorum alias mentio infrequens.

Alteram inscriptionem, ita lego: *Dis manibus. Aurelio Probo equiti singulari ex turma Marini natione* (forte) *Pannonio, vixit annis XXXIIX. Militavit annis XIIX. Aurelius Verax, & Titus Aurelius Tacitus hæredes, amico optimo fieri curarunt. Pannonio* subodoratur legendum laudatus Philippus à Turre. Sculptus visitur in parte inferiori equus stratus cum puero, in superiori vir jacens in lecto, anaglyphum scilicet superiori simile. Erat quippe, ut locus sepulturæ ita anaglyphi ratio equitibus singularibus una. Eadem via Labicana, memorantur coemeteria S. Castuli & SS. quatuor coronatorum, quæ vel cum jamjam descripto cœmeterio, continuatâ ab alio in aliud cœmeterium subterraneorum meatuum serie, juncta & confusa sunt; vel penitus obruta, nullo superstite vestigio.

Hinc S. Laurentium extra muros adimus, via Tiburtina in agro Verano situm. Ab ingressu porticus depicta agone ac miraculis sancti Laurentii exornatur, baptismus ibi sancti Romani exprimitur, qui nudus stat, nec immersus in aqua ut narrant quidam. In Ecclesia quoque à parte ostii paris ætatis picturæ videntur cum hac inscriptione: *Hoc opus fecit fieri Dominus Matthæus S. Alberti pro anima sua*, charactere ut æstimatur XIV. circiter sæculi. Eriguntur in Ecclesia ambones duo; qui à dextris conspicitur ad imum ornatur instrumentis veterum sacrificiorum, videlicet albogalero, secespita, acerra, vase aspersionis, aspergillo, doctè sculptis, ex Zophoro, ut videtur, cujusdam templi erutis; solebant enim epistylia templorum hujusmodi supellectile sacra nonnumquam exornare, ut quisque videt in templi, ad acclive Capitolinum versus Severianum arcum siti, ruderibus. A sinistris angusto aditu descenditur in cœmeterium olim S. Cyriacæ dictum. Etsi porro trita res est & vulgaris amplissimisque descripta voluminibus, de cœmeteriorum forma, quædam observata nobis sine nausea lectoris huc adferri posse speramus. Sunt igitur illa labyrinthi subterranei, productis, reductis, diductis, decussatis meatibus, è quibus sine perito duce expedire sese difficile. A lateri-

bus ab imo ad ſummum perpetuæ cadaverum ſedes, foramina ſcilicet ad veſtigium humani corporis, quorum pleraque vacua jam ſunt, maxime propter oſtium; nam progreſſis ulterius integra intactaque occurrunt ſepulcra. Hoc ſitu autem poſita corpora ſunt: in foraminibus ad menſuram inſerendi cadaveris excavatis, oſſa jacent: à latere, quà ſubterraneam ſemitam reſpiciunt, urnula quædam habetur vitrea plerumque, nonnumquam figlina, cæmento aſſerta, urnam lacrymatoriam vulgo dicunt: ſi forte rubore quodam in imo tincta vitrea ampulla fuerit, pro argumento martyrii habetur: lucernæ item ſepulcrales diverſo ſitu ibidem occurrunt. Interdum inciditur in cameras quadras amplitudine inter ſe diſpares, ſimili cadaverum ordine inſtructas; quæ forſitan inſigniorum oſſa complectantur, dimiſſis ad plebeia corpora ſemitis. Foraminibus porro poſt recondita cadavera, ſeriem lateritiarum tabularum obducebant, cæmento firmatam. In hiſce tabulis nonnumquam legitur defunctorum nomen, frequentius ſculpta quædam ſymbola ſunt, ut flos, ramus, aut quid ſimile. Eſt cum marmorea tabula obtenditur, in qua nomen, & interdum ætas, dies obitûs annotantur, at illud infrequentius. Duas hujuſmodi inſcriptiones erui quas hic reponam.


ΕΠΑΥϹΑΤΟ ΖΩΣΙΜΟϹ ΧΡΥ

.....ΩΝ ΙΘ. ΤΗ ΠΡΟ Δ ΚΑΛ.

.....ΤΕΝΒΡΙΩΝ ΗΜΕΡΑ ΔΙΟϹ.

quam ſic facile reſtituo: ἐπαύσατο Ζώσιμος Χριστοῦ δοῦλος ἐτῶν ιθ. τῇ πρὸ Δ̄ Καλ. Σεπτενβρίων ἡμέρᾳ Διός. Hoc eſt, *Requievit Zoſimus Chriſti famulus annorum novemdecim, quarto Kal. Septembris, die Jovis.*

Latina vero altera quam penes nos habuimus Romæ in hoſpitio noſtro, ſic habet,



Certis in locis urnas vidi marmoreas, queis de more D. M. præfigitur epitaphio, id eſt ut quidam putant, *Dis Manibus*; nec

deſunt qui *Deo Maximo*, legant, rati nefas prophanam inſcriptionem ſacris in locis deprehendi. At renuntiatum mihi fuit dum Romæ verſarer, recens erutam in cœmeteriis inſcriptionem, *Dis manibus* diſerte præferre.

Circumpoſitis extra Eccleſiam S. Laurentii locis bene multa educta effoſſaque memorat Flaminius Vacca : cujus hæc verba ſunt :

Flaminius Vacca. Ante S. Laurentium extra muros «
via Prænestina, (*ſic*) erat * fabrica ſequioris ævi, quæ ad plateam «
ante porticum Eccleſiæ conficiendam diruta eſt. In muro autem «
& in fundamentis reperta ſunt octodecim aut viginti capita, «
quæ omnia Imperatorum erant. Horum partem tute, vir clar. «
vidiſti in Xyſto Farneſiano & multis aliis in locis : memini vi- «
diſſe me iſtas antiquitatum ſtrages. «

* *legitur, antica moderna fabrica*

Iſtæc capita caſu non conſilio in opus admota fuerant, quando ſparſa in muro & in fundamentis erant : & eadem ut videtur ſunt quæ hodieque in Xyſto Farneſiano viſuntur. Et cum olim, ut conjectare eſt, decorandæ verſus agrum Veranum cuidam villæ uſu veniſſent, diruta demum villa, in iſtam fabricam admota ſunt.

Memini audiviſſe me, repertum fuiſſe, via Præneſtina ex- «
tra portam ſancti Laurentii, marmoreum tumulum, cum pulcher- «
rima inſcriptione in laudem mulæ cujuſdam, eodem in tumulo «
olim ſepultæ : & inter alia ejus encomia narrabatur, ipſam, ubi «
dominum ſenem & gravem ætate vidit, genua flexiſſe, ut faci- «
liùs ſe conſcenderet. Cujus rei mentionem æſtimo facturum «
V. clar. Petrum Leonem de Caſtello in opere ſuo de Epitaphiis «
antiquis, quod brevi lucem viſurum puto. «

Haud procul iſto loco eſt vinea & caſa nomine *Marmora-* «
ta, ubi bene multa antiquitatis ſigna : & haud dubie ortum no- «
men eſt à multitudine marmorum, quæ iſtic olim erant. Lo- «
cum obtinet capitulum S. Joannis Lateranenſis. Cum vellent «
porro Canonici clathra caſæ parare, lithurgos evocarunt, qui Ti- «
burtinos lapides duos ingentes, adhuc terræ prominentes, alte- «
rum alteri impoſitos perrumperent. Cum porro lithurgi ſuper- «
num lapidem confregiſſent, & fragmenta excuterent, viderunt «
intus vas ex alabaſtrite flavo, cum operculo. Qui in caſa dege- «
bant auxiliatum venerant : ii lithurgis edixerunt ne vas continge- «
rent ; unuſque rem ſubitò capitulo renuntiavit. Verùm lithurgi «

„ temperare non potuerunt à cupidine explorandæ rei : ſed amoto „ operculo cineres invenerunt, atque viginti circiter globulos ex „ cryſtallo nativa, annulum aureum cum gemma, diſcriminale „ eburneum aureis acuminibus, pectinem eburneum, & cineribus ad- „ mixta quædam ramenta aurea. Cum acceſſiſſet capitulum, omnia „ abſtulit, nihil lithurgis ceſſit. Res mira quo pacto antiqui in Ti- „ burtino lapide vas tale incluſerint, aperto foramine ad vas inſe- „ rendum, & exinde Tiburtino lapide in opus deducto, in quo vas „ latebat. Quis tale inventum divinaſſet ? niſi ſeſe obtuliſſet oc- „ caſio ſimilis, æternùm res latuiſſet, cum nihil ſigni foris depre- henderetur.

Exquiſita ſunt quæ nos docet hic Flaminius Vacca, qui à porta ſancti Laurentii viam ſemper Præneſtinam ducit. Et ſane iſthac Præneſte olim itum fuiſſe non abſimile vero, quando Publius Victor portam Tiburtinam, Gabinam item nuncupat, à Gabiis, qui via Præneſtina erant. Hæc conjectando dicimus, quæ cum à vulgari opinione recedant, ulteriori ſunt examini permittenda. Præneſtinam item in ſequentibus eam ipſam viam vocat idem.

„ Flaminius Vacca. In agro proximè portam ſancti „ Laurentii extra muros, cum excavarent, erutas vidi bene mul- „ tas urnas ſepulcrales ex marmore & ex granito, nec multa in- „ tercapedine alia ab alia diſtabat quo loco primùm collocatæ „ fuerant, reque vera ſepulcra erant : paucæ inſcriptæ, à latere „ apertæ, aut ruptis operculis ; theſauri ſcilicet perquirendi cauſa „ excuſſæ fuerant ; quare nihil reliquiarum intus ſupererat : & quia „ imperitè elaboratæ, Gothicoque more, in mentem venit tum „ factas quum miſera Italia ſub ditione Gothorum eſſet : & me „ legiſſe memini ipſos magnam ſtragem in ipſa porta edidiſſe. For- „ taſſe pertinebant ad Duces qui in memorata oppugnatione ce- „ ciderant, quos eodem ſepelire loco viſum fuit quo peremti „ ſunt : unoque fuiſſe tempore confectas vero ſimile eſt. Ex „ memoratis autem urnis duæ in Quirinali monte ſunt proximè „ Capucinos, marmoreæ & prægrandes, alia ex granito ad fontem „ plateæ ſancti Marci, alia in impluvio Cardinalis Farneſii, reſi- „ duæ circumquaque per Urbem diſperſæ ſunt.

R R. P P. Capucini jamdiu ex Quirinali tranſlati ſunt, ubi tempore Flaminii Vaccæ degebant. In platea ſancti Marci comparet hodieque ad fontem urna à Flaminio memorata, cujus item ſunt quæ ſequuntur.

75. Memini

Memini audivisse me, Magnificum D. Metellum Vari cùm esset "
viarum curator, advexisse leonem illum antiquum, qui jam "
in horto alias memorato Magni Ducis est in monte Pincio, & in "
porticu considet. Stabatque olim in via Prænestina extra portam "
S. Laurentii, qui leo primùm in opere media solùm parte promi- "
nebat: sed Joannes sceranus Sculptor Fesulanus, aliam marmo- "
ris partem insculpens, solidum & integrum leonem effecit. Exin- "
deque jubente Magno Duce similem ego integrumque sculpsi, "
stantque ambo in ejus horto S. Trinitatis in monte Pincio. "

In reditu per Tiburtinam sive sancti Laurentii portam, itur in villam Coltellam. Ibi superest hodieque ædificium decagonum. Ab alio in alium internum ædificii angulum rectâ lineâ viginti duo pedes regii cum dimidio numerantur; ut totus gyrus interior, missis apsidulis, sit 225. pedum. Decem itaque lateribus constabat totum, in quorum uno ostium; in novem aliis totidem apsidulæ erant, quarum pars maxima superest; recipiendis, æstimo, totidem numinum simulacris. Sunt qui basilicam Caii & Lucii Cæsarum fuisse existiment, ducti nomine *Galluzzo*, istis locis indito & ad nostram usque ætatem perseverante, quasi diceres, *Caio & Lucio*: qui pariter in eadem vicinia thermas, nemus, & naumachiam eorumdem fuisse ferunt. Me quoque movet vel ipsum nomen ut existimem quædam opera publica, jam penitus diruta, nomine Caii & Lucii hoc in tractu insignita, cum præsertim Anonymus de Mirabilibus Romæ, quingentis hinc circiter annis scripserit, palatium Sessorianum prope *Ceme de Caluce* situm fuisse, quo, vitiatis nominibus indicari videntur thermæ Caii & Lucii. Ædes quippe Sessorianæ proximè villam Coltellam fuerint necesse est. Nam ut in eodem scriptore videre est, proclivis est τοῦ Θ in C latinum commutatio: At vero peritum neminem arbitror, pro Basilica, aut thermis delubrum hujusmodi habiturum, multoque minus adstipuler Famiano Nardino qui æstimat esse partem palatii Liciniani: Nam quid cum palatio talis structuræ forma? Totus ergo ac pedibus, ut aiunt, in antiquiorem feror opinionem, esse videlicet Pantheum Minervæ Medicæ à Rufo & Victore in Esquilina regione memoratum; nam regio ea ipsa est, Pantheonis formam haud obscure produnt apsides statuis numinum excitatæ: ad hæc, post vicum Ursi pileati in Esquilina regione, consequen-

ter vicum Minervæ Rufus enumerat ; vicus autem Urſi pileati, ab Urſo pileato qui hodieque è vicino viſitur nomen mutuatus eſt, ut vicus Minervæ à templo ejuſdem nominis. Unum autem Minervæ Templum in Eſquilina regione memoratur, videlicet Minervæ Medicæ, quod Pantheum à Rufo vocatur, & proximum eſt Urſo pileato. Fornix adhuc ſupereſt, ſed in ruinam vergens, & niſi inſtauretur, brevi ſine adverſario periturus eſt. Opus eſt lateritium, ſed olim marmoribus veſtitum ornatumque columnis. In codice Anonymi cujuſdam architecti qui penes me eſt, dicitur in Eccleſia olim Vaticana S. Petri, capellam Imperatoris, quæ cum veteri toto templi Vaticani ædificio ad hodiernam excitandam Baſilicam exciſa fuit, ad hujuſce templi ſimilitudinem fuiſſe conſtructam, quod itidem alii tradidere. Minervæ porro Medicæ figuram habemus in opere viri Cl. de la Chauſſe, de gemmis antiquis, etſi non Minervam Medicam ille, ſed Hygiam ſive ſalutarem appellet. Hîc veſtigium templi Minervæ Medicæ ejuſque ſimulacrum delineata conſpicis.



Proximè templum istuc eadem in vinea, visuntur cameræ oblongæ veteres, una serie compositæ, quæ congesta humo pene oppletæ sunt. Accedunt autem ad formam ædificii, quod vulgo vocant *le Sette Sale*, & nymphæum esse creditur. Quare ædificium item quo de agimus non abs re forte existimetur esse nymphæum. Certe in collectione antiqua V. Cl. Joannis Mabillon IV. Analectorum tomo, non semel Nymphæum proximè S. Bibianam locatur. Vinea autem Coltella in qua maceries visitur, S. Bibianæ contermina est. E vicino XVI. sæculo eruta bene multa fuere quæ ita recenset.

FLAMINIUS VACCA: In vico à Trophæis Marii ad portam Majorem ad lævam, in vinea familiæ Aspræ; reperta via fuit silice strata & proxime istam multæ statuæ marmoreæ, & icones æneæ Imperatorum; copia grandis vasorum æneorum, cum numismatibus combustis, & incrustationibus ex vario marmore. Eruta hæc omnia quo tempore vineam tenebat Franciscus de Aspra, qui cum Julii Papæ III. Thesaurarius esset, isthæc in manus ejus detulit. Ac summus deinde Potifex hæc variis Principibus dono misit. Recordor ego facti & effossionis.

Propter vineam istam est templum antiquissimum Caii & Lucii, corrupto vocabulo jam *Galluzzi* dictum: è vicino igitur multis post annis repertæ novæ statuæ sunt, vulgari proceritate majores; in iis Pomona ex nigro marmore: quibus statuis manus & capita, utpote ænea, ademta fuerant. Aderant Æsculapius, Adonis, duæ lupæ more Bacchanalium, Venus, & bellissimus ille Faunus jam in Xysto Farnesiano, qui meus fuit antehac, Hercules item atque Antinous; quodque mihi plus voluptati fuit, duæ secures istic erant, quæ ex alia parte ictu caput exprimebant, ex alia vero aciem & cuspidem habebant instar hodiernæ hastæ. Caput autem istud expressum videbatur vestigio ictûs in iisdem figuris. Utraque in mea potestate fuit, verum aliam V. Cl. Garimberto dono dedi, altera mihi domo sublata furto. Æstimo fuisse Gothorum arma, & ipsâ cuspide in aggressu usos, diffindendis clypeis; capite autem, destruendis antiquis monumentis. Hujusmodi imagines sed duplo majore impressione, vidi in ruderibus arcûs Claudii, cum supradictis figuris.

S. Bibianæ Ecclesia à Simplicio Papa ad Palatium Licinianum fundata, haud levibus splendet ornamentis, sed quæ ore vulgi feruntur; & passim in chorographiis Romanis inque

diariis occurrunt. Ibidem ad casæ cujusdam latus, Ursus ille pileatus sublimis visitur, statura corporeque, naturali multo minore ; plus lupi quam Ursi formam referens, qui tamen quantus quantus est vico & tractui Urbis nomen indiderat : nam ut hodierno more, peræquè olim modico signo nobiles Urbis partes vocitabantur, ut ex capite Africæ sive mulieris quæ ornatûs loco proboscidem gestabat, totus ad S. Clementem tractus caput Africæ dictus est.

Haud procul est Cœlestinorum Cœnobium S. Eusebii dictum, cujus ecclesia antiquissima & titulus Cardinalitius est. Qui primi à restitutis artibus Urbis ichnographiam edidere, Gordianorum villam & palatium, nescio quo ducti indicio, istic locarunt, cujus villæ ac palatii, magnificam habet descriptionem Julius Capitolinus. *Domus Gordianorum*, ait ille, *etiam nunc exstat, quam iste Gordianus pulcherrimè exornavit : & villa eorum via Prænestina ducentas columnas in tetrastylo habens, quarum quinquaginta Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicæ pari mensura sunt. In qua basilicæ centenariæ tres, cætera huic operi convenientia, & thermæ quales præter Urbem ut tunc, nusquam in orbe terrarum.* Ecclesia item & Monasterium S. Eusebii viâ Prænestinâ sunt. At importunè villæ nomen occurrit, quod ædibus intra Urbem sitis aptari nequit. Cum R. P. Abbate hujus Cœnobii Cœlestino Guicciardinio, viro antiquitatum maximè Romanarum peritissimo, ingestum ea de re dubium non semel communicavi. Aiebat ille non alia quam famæ traditione, villam Gordiani memoratam istis circumscribi locis. Putare se tamen locum ubi jam S. Eusebii ecclesia sita est, extra muros ante Aurelianum Imperatorem fuisse, nam ibidem sepulchra erant, quæ non liceret intra Urbis mœnia parare. Ad hæc videtur non temere ac sine cujuspiam monumenti auctoritate, hîc ædes Gordiani locasse Pyrrhum Ligorium cæterosque Urbis ichnographos. Qua de re nihil immature decernendum : nec nisi accedant signa vestigiaque nova, aliquid in utramvis partem pronuntiandum est.

Ad porticum Ecclesiæ legitur sequens inscriptio. *Anno Domini M. CCXXXVIII. indictione XI. mense Martio, quarta feria majoris edomadæ* (sic) *quadragesimæ, Dominus Gregorius Papa nonus consecravit hanc Ecclesiam in honore beatorum Eu-*

sebii & Vincentii cum tribus altaribus, quorum majus altare Confessoris ipsius, manibus propriis consecravit, statuens ut in omni anno à quartà ferià majoris edomadæ Quadragesimæ usque ad octavam Dominicæ resurrectionis, hanc Ecclesiam visitantes, mille annis (sic) *& centum viginti dierum de injuncta sibi pœnitentia indulgentiam consequantur.* In Ecclesia duo marmorea sepulchra Gallorum sunt, qui Romam ad Jubilæi annum tempore Bonifacii VIII. profecti, ibidem mortem obiere; alterum *Johannis de Abbatis-villa Canonici Monasterii* (sic) *sancti Victoris Parisiensis anno* 1301. Alterum vero, *Simonis Boëti Curati sancti Martini de sancto Valarico* 1300. Nos in subterraneos meatus duxit insignis ille vir Guicciardinius, & cœmeteria olim fuisse significabat; interclusos muris aditus complures indicavit; quæ adiri possunt in cellam vinariam versa sunt. Duobus tribusve hinc annis in Monasterii septis deprehensa fuit columna milliaria septimum milliare notans. Quæ olim Anniæ Regillæ, Herodis Attici conjugis, prædiis metæ aut signi loco fuerat, ut inscriptione sequente, quæ in ipsa columna Græcè Latinéque sculpta est, significatur.

ANNIA ΡΗΓΙΛΛΑ
ΗΡωΔΟΥ ΓΥΝΗ ΤΟΦωC
ΤΗC ΟΙΚΙΑC ΤΙΝΟC ΤΑΥ·
ΤΑ ΤΑ ΧωΡΙΑ ΓΕΓΟΝΑΝ

ANNIA REGILLA
HERODIS UXOR
LUMEN DOMUS
CUJUS HAEC
PRAEDIA
FUERUNT.

Fuit Herodes Atticus, genere, facultatibus & arte Sophistica nobilissimus; subque Trajano & subsequentibus Augustis diu floruit. Is ut habet inscriptio, apud Sponium in Miscell. sect. x. num. xii. in villa sua Triopæa conjugi Regillæ ædem exstruxit; & ut veri quidem simile est, eadem in villa via Appia erecta fuit columna istæc ad prædia ipsi attributa. Pòstea vero Maxentii tempore, inversâ columnâ ac quâ parte erat inscriptio Anniæ Regillæ defixâ in terram, ad vii. milliarium

ſignificandum deputata fuit, cum inſcriptione ſequenti.

DONINO (*ſic*)
NOSTRO
MAXENTIO
PIO. FELICI
INVICTO
AUGUSTO
VII.

Columna autem longa eſt ſex plus minus pedibus.

CAPUT IX.

DIES SECUNDA. Eccleſia S. Martini in montibus. Thermæ Trajani. Nymphæum Claudii. De Eccleſia S. Luciæ in Silice. Thermæ Titi cum picturis earumdem. Eccleſia S. Petri ad vincula. Extremum Domus aureæ. Porticus Claudia. De Subura. Eccleſia S. Clementis. Caput Africæ. Eccleſia 4. Coronatorum. Noſocomium Lateranenſe. Eccleſia Lateranenſis. De quibuſdam in illa effoſſis. M. Aurelius eques. Caſtrum aquarum pro Coliſæo. Officina figlina cum ſigillis. Thermæ Philippi.

SECUNDA die ab Eccleſia S. Praxedis curſus ineatur, quæ titulus eſt Cardinalitius & fertur in antiquiſſimis, commendaturque à reliquiis Martyrum, & aliis omnium ſermone vulgatis Eam obtinent Vallumbroſani noſtri. Huic vicina Eccleſia S. Martini in montibus, ad Thermas Trajanas ſita eſt, quam occupant Carmelitæ. Non deſunt qui æſtiment, Thermas Titi & Thermas Trajani idipſum fuiſſe, & à S. Petro in vinculis ad S. Martinum in montibus productas; at vix cum talibus calculum feramus, nec ſolum arcemur ab hujuſmodi opinione Rufi atque Victoris teſtimoniis, qui Thermas Titi & Thermas Tra-

jani ſejunctas efferunt : verùm etiam mirari ſubit, quî tam immane ſpatium uno Thermarum ambitu complecti vel cogitarint. Eccleſiam porro S. Martini ad Thermas Trajanas ſtructam à Symmacho Papa fuiſſe narrant acta & hiſtoriæ ejuſdem: quod ipſum aſſeritur inſcriptione ibibem eruta.

IVLIVS FELIX CAMPANIANVS
V. C. PRAEFECTVS. VRB. AD AV
GENDAM THERMARVM TRAIANA
RVM GRATIAM CONLOCAVIT.

Nec eſt quod moveamur inſcriptione illa, quæ in Eccleſiæ muro intus legitur, Domitianum ſive Trajanum (ſic diſjunctivè) Thermarum auctorem ferente. Nam ea rem profert quaſi dubiam, & alioquin utpote ſequioris ævi, non tanti momenti eſt. Hîc præter Eccleſiam novam quæ mire fulget marmoribus, vetus alia ſubterranea inſpectanda, lateritiis pilis fulta, quæ etſi inculta quid horridum præferat, eſt tamen ſitu & antiquitate venerabilis: muſivi operis antiquiſſimi reliquiæ hinc inde ſparſæ vetuſtate labuntur in dies: Imago B. Virginis pene eraſa effluit tam humidi loci intemperie quam ætate victa. Narrant hîc S. Sylveſtrum ſacrum celebraſſe; viſitur ejuſdem lapidea Cathedra, ac cæmento obſtructum in ea ſedile, ne quis imprudens caſu eadem quâ ſanctus ille pontifex utatur ſede. In Sacriſtia monſtrant S. Sylveſtri ſtolam atque mithram.

Ex S. Martini Eccleſia, ſpectaculi cauſa, in conterminam itur vineam: ubi ſolo vicino demiſſiores exſtant novem cameræ ingentes, longitudine non prorſus æquali, quæ longior 137. pedum eſt; latæ vero ſingulæ ſeptemdecim cum dimidio. Italicos pedes intelligo noſtris breviores. Hæ vulgo vocantur, *le ſette ſale di Veſpaſiano*, ſeptem aulæ ſive atria Veſpaſiani. Vel ex aquæ veſtigiis in muro undequaque conſpicuis, propalam eſt fuiſſe receptaculum aquarum; lubenſque crediderim eſſe Lymphæum, ſive Nymphæum Claudii, à Rufo poſt Thermas Titi & Trajani conſequenter recenſitum; nam & locus quadrat, ac vix putarit quiſpiam tam nobile ædificium in enumeratione prætermiſſum, neque poteſt ſuſpicio cadere in quidpiam aliorum quæ memorantur à Rufo. In ſingulis porro aulis ſeptem portæ ſunt, à quibus ad vicinas fit tranſitus; ita concinnè poſitæ, ut ab ultima aula, qui in porta conſiſtit ſeptem una ſerie

portas à prima ad postremam aulam linea transversa videat. A constanti septem portarum numero impetratum est à consuetudine, ut aulæ quæ novem sunt, *septem aulæ* sive *le Sette sale* plebeio usu vocitentur.

In declivi Esquilini ad dexteram visitur Ecclesia S. Luciæ in Silice jam, olim in Ortheo aut in Orthea dicta. Quam plerique Urbis Ichnographi recentiores, uno lapsu, eamdem esse pronuntiant, quæ S. Lucia in Septizonio aut in Septem viis vocatur. quod sane omnium testimonio veterum repudiatur. Nam S. Lucia in Septizonio & in Septem viis prope Septizonium Severi sub clivo Scauri sita fuit ad Septem vias. Quod suo loco luce clarius evasurum spero. Jam quæ causa lapsûs tot emunctæ naris hominibus fuerit paucis aperiendum. Leonis X. tempore, inter Ecclesiam S. Luciæ in Silice & Septem aulas jamjam memoratas, eruta est nobilis illa Laocoontis statua cum filiis & circumvolutis serpentibus, quæ jam visitur in quodam impluvio Palatii Vaticani *Belvedere* dicti. Eam ipsam esse quæ à Plinio l. XXVI. cap. V. memoratur, statim pronuntiarunt ferme omnes. Hæc vero Plinii verba sunt: *Sicut in Laocoonte, qui est in Titi domo, opus omnibus & picturæ & statuariæ artis anteferendum, ex uno lapide eum & liberos, draconum mirabiles nexus, de consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus & Athenodorus Rhodii.* Hinc vero Titi domum eodem quo deprehensus Laocoon est situ fuisse decernunt. Pòst, ex Suetonii verbis in Tito c. 2. *Natus est Kal. januariis insigni anno Caiana nece prope Septizonium, sordidis ædibus, cubiculo verò perparvo & obscuro: nam manet adhuc & ostenditur*, memoratas hîc ædes sordidas, esse domum illam Titi, quam Laocoontea statua exornatam narrat Plinius, incunctanter asseverant. Quæ cum prope Septizonium sita, eodem auctore Suetonio, dicatur, statim nec minimo hærente scrupulo, Septizonium illud antiquius Severiano prope S. Luciam fuisse rati, felici, ut æstimabant, indiciorum serie eo devenerunt, ut S. Luciam in Septizonio plerumque memoratam in Ecclesiasticis sequioris ævi scriptoribus, eamdem esse adfirmarent quæ *in Silice* & *in Orthea* vocitatur. Verùm ut totam argumenti seriem à principio repetamus; Laocoontis statua quæ hodieque superest, an eadem fuerit quam Plinius memorat non vacat dubio. Qua de re audiendus Fulvius Ursinus in notis ad Bartholomæum Marlianum recèns editis.

editis. *Hæc ſimulacra*, ſic ille, *ſi vera Plinius narrat de domo Titi ex uno lapide facta, non ſunt ea quæ erant in Titi domo. Hæc enim ſunt è duobus lapidibus, ut à perito artifice, quin & ab aliis, facile dignoſci poſſit. Ad hæc Antoniolus antiquarius fragmenta quædam domi habet draconum Laocoontiorum reperta alibi in eo monte, ubi verior eſt Thermarum Titi locus: inde conjiciendum, Laocoontem, qui nunc eſt in Vaticani hortis, alium eſſe ab eo quem in Titi ædificiis fuiſſe Plinius meminit.* En ſummi Viri Fulvii opinio ac teſtimonium, quo certe ſi non penitus labitur adverſa ſententia, nutat ſane; & jam internoſcere eſt periculum, ne luxetur omnino tam firma ut putabant fabricæ moles: nam ſi Laocoon effoſſus propter S. Luciam, non is ipſe fuerit quem meminit Plinius extitiſſe in domo Titi prope Septizonium ſita; nihil indicii habent quo iſtic Septizonium reponant. Ad hæc, cum domus illa Titi penitus diruta ſit, omniaque illius ornamenta huc illuc exportata, etiamſi Laocoon ille ad Titi domum pertinuiſſet, quis adfirmare audeat non loco motum fuiſſe, atque diruta domo excuſſiſque aliis omnibus, priſtinis illum ſemper in ſedibus conſtitiſſe?

Neque tamen hic gradum ſiſtimus, nam etiamſi exploratum fateremur domum Titi Imperatoris eodem fuiſſe loco ſitam quo effoſſa ſtatua fuit, nihilo plus conſiſteret adverſa ſententia. De ſitu namque domûs illius Titi, ſtatuis ornatæ & Imperatoriæ, nihil occurrit: ſed de illa ſolum in qua privati hominis ſorte natus eſt, obſcura & ſordida. *Natus eſt*, inquit Suetonius, *prope Septizonium ſordidis ædibus, cubiculo verò perparvo & obſcuro: nam manet adhuc & oſtenditur.* Quis non videat ædes iſtas prope Septizonium, ſordidas & obſcuras, ubi natus eſt Titus, longè diverſas à domo illa Titi ornata, ut videtur, ſtatuis, & ut Plinius diſerte ait, Laocontéa marmorea hiſtoria. Ne quidem pater ejus Veſpaſianus in qua domo natus eſt Titus fixas ſemper ſedes habuit, quando filius ejus minor *Domitianus*, ait Suetonius, *natus eſt* IX. *Kal. Novembris patre Coſſ. deſignato, inituroque menſe inſequenti honorem, regione Urbis ſexta ad Malum Punicum, domo, quam poſtea in templum gentis Flaviæ convertit.* Ædes itaque in queis Titus natus eſt, ac proinde Septizonium illud antiquius, alio loco quærendæ ſunt, ac temere iſtic conſtitutæ ne minimum quidem momenti adferunt, ut S. Lucia in Silice, eadem dicatur eſſe quæ *in Septizonio* vocata olim

R

fuit, jamdiu enim diruta eſt. Verum S. Luciæ in Septizonio ſitum, capite ſequenti, non conjecturis, ſed nitidis apertiſque teſtimoniis aſſignabimus.

Proximè Eccleſiam S. Petri ad vincula viſuntur rudera thermarum Titi conſpicuis veſtigiis, ex quibus tamen veram formam & ichnographiam expiſcari non licet: aſſertus Thermarum proprius ſitus fuit ex inſcriptionibus ibidem erutis. Qua parte vallem Cœlium inter & Eſquilinum ſpectant, ſubterranea ædificia late regnant, atriaque magna & conclavia quæ permeare certis in locis arduum. In iis bene multæ viſuntur veterum picturarum reliquiæ, quæ ſæculi elegantiam olent. Earum exemplum ſubjicimus, quale à Petro ſancto Bartolo delineatum atque inciſum in ære, mihique tranſmiſſum à ſæpius laudato Julio Fontanino meo. Nec in promtu eſt explicare quid exhibeatur. Rem mittimus erudito lectori, cui non ingratum ſchema fore arbitramur.



Ibidem templum visitur S. Petri ad vincula; catenis maximè S. Petri, sepulchro Julii II. aliisque bene multis, sed usu vulgari tritis, famosum. Pavimentum frustis inscriptionum hinc & inde conspersum; unam quæ mutila est erui. Estque Cardinalis cujusdam Galli, titulo S. Petri in vincula, ab sæculis aliquot defuncti.

Francia me docuit, tellus Aquitana creavit,
Roma Catenarum præposuit titulo.
Relligione fui tenuis terrena sequendo.

FLAMINIUS VACCA. Frequenter vidi cum excavarent in thermis Titi, ubi jam situm est Monasterium S. Petri in vinculis, effossas figuras complures marmoreas, & infinita ornamenta ex quadro marmore, quæ si quis vellet enumerare in pelagus demergeretur. Sed facta nunc est profundissima fovea, ex qua commonstratur, ante exstructas Titi thermas majus istic ædificium fuisse: & hoc tempore pulcherrima epistylia erecta sunt, ad Ecclesiam Jesûs, ornandæ capellæ deducta. Æstimo tale ædificium pertinuisse ad domum auream Neronis.

Haud infeliciter auguratur Flaminius: hæc enim ad Auream domum pertinuisse vix est quod dubitemus. Qua de re pluribus in sequentibus.

Anonymus noster *Palatium Claudii* memorat *inter Colisæum & sanctum Petrum in vincula.* Porticum Claudiam eodem circiter loco sitam indicat Martialis his versibus.

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Et verò proximè S. Petri ecclesiam qua itur ad Colisæum reliquiæ murorum non spernendæ sunt, quæ fortassis ad porticum Claudiam pertinuerint, sive ad Palatium Claudii, ut vocat Anonymus, solitus palatii nomen ædificiis quibuslibet indere; & in spatio Colisæum inter & Thermas sitæ sunt: omnia enim quadrant. Nomen igitur Claudii ad tertium usque decimum sæculum, quo circiter scripsit Anonymus, hæc rudera insignivit.

Hinc itur in vallem quæ Subura olim dicebatur, sitam in-


ter Esquilinum & Cœlium montes, ita ut etiam clivos complecteretur. De Suburæ situ latitudineque controversiam moverunt Donatus & Nardinus. Donatus quidem ait Suburam, quæ à Rufo, Victore aliisque auctoribus in regione secunda sive Cœlimontana constituitur, complexam fuisse Colisæum, partem clivi Esquilini versus S. Luciam in Silice, forum Cæsaris foro Nervæ vicinum, & partem clivi Viminalis, necnon Quirinalis usque ad S. Agatham in Subura. Atque ita Suburam longè ultra limites ab antiquis haud obscurè assignatos extendit; hoc maximè fultus indicio, quòd scilicet S. Agatha in Subura memoretur à D. Gregorio Lib. 3. Ep. 10. Quo planè confici videtur Suburam illam quæ in Cœlimontana regione memoratur pertigisse usque ad S. Agatham in Subura quæ in clivo Quirinalis sita est. Omissis aliis quæ ad tutandas partes profert ille, utpote perplexis & quæ in utramvis partem quadrare possunt; aliud ex Notitia Imperii mutuatur Donatus, ubi post forum Transitorium Subura consequenter inter quartæ regionis partes enumeratur. Indicatur autem Subura quæ ad clivum Quirinalis pertingit, in quo clivo S. Agatha in Subura & forum Transitorium proximè sita sunt.

Nardinus contra pugnat inter clivum Esquiliarum & Cœlii montis circumscriptam Suburam, totamque vallem ab ecclesia S. Petri & Marcellini occupasse, atque repugnare omnino Suburam, quæ ante divisam ab Augusto Urbem in quatuordecim regiones, ex quatuor Romanis antiquis regionibus Suburana, Esquilina, Collina, Palatina, una erat; ad cæteras regiones Esquilinam & Collinam item pertinuisse. Hæc enim non divisio fuisset, sed confusio. Ad hæc constanter Victor & Rufus Suburam in secundâ regione Cœlimontanâ enumerant, & nusquam alias. Quod dicitur autem S. Gregorium memorare S. Agatham in Subura, quæ Subura proinde ad clivum Quirinalis pertigerit, & Suburam in Notitia Imperii reponi inter quartæ regionis partes; confutat Nardinus, quod Notitia Imperii non multum auctoritate valeat utpote à Constantinopolitano facta. S. porro Agatham à D. Gregorio memoratam non eam esse quæ hodie in clivo Quirinalis habetur, sed aliam quæ in antiqua Subura erat, quæque populatâ per Barbaros regione Cœlimontana & dirutâ Ecclesia, ad Quirinalem deinde translata, nomen pristinum retinuerit. Et populi si-

militer mutatis ſedibus à Subura illa antiqua in eam Urbis partem quæ hodie Subura dicitur, nomen Suburæ iſti item indiderint.. Illa Donatus, hæc Nardinus; ſed uterque partim bene, partim male ediſſerunt. Nam quod ait Nardinus, antiquam Suburam in ſecunda ſolùm Urbis regione fuiſſe, nec pertigiſſe ad alias, Victoris atque Rufi teſtimoniis firmatur, qui in Cœlimontana ſolùm ſive ſecunda regione Suburam locant, nec memorant in aliis. Quod autem pugnat S. Agatham in Subura hodiernam, non eamdem eſſe quæ à D. Gregorio memoratur, gratis omnino dicitur, cùm maximè iſthæc Eccleſia antiquiſſima ſit, & Notitia Imperii, quæ quinto circiter ſæculo conſcripta fuit, Suburam proximè forum Tranſitorium, cui viciniſſima eſt iſthæc Eccleſia, ſitam ferat: nullo quippe fundamento iſtius Notitiæ teſtimonium reſpuit. Cujus auctor V. ſæculi tametſi Conſtantinopolitanus, cùm Suburam verſùs clivum Quirinalis locat, ubi hodieque Subura viſitur, non id temere ſuoque marte in medium adduxit. Donatus ergo optimè infert S. Agatham in Subura eamdem eſſe quam ipſiſſimo nomine memorat S. Gregorius, iſtamque Urbis partem proximam Eccleſiæ S. Agathæ, Suburæ nomen D. Gregorii tempore obtinuiſſe. Verum in eo errare videtur, quod antiquam Suburam, quam ille ex parte Cœlii montis anguſtioribus limitibus circumſcribit, uſque ad Quirinalem per Eſquilinum & Viminalem montes diſtendat: contra fidem auctorum. Putarim ego iſtam Urbis partem quæ Subura hodieque vocatur, hoc nomen ſortitam, ſive quia aliqua antiquæ Suburæ via in hodiernam deducta nomen hujuſmodi augmento attribuerit, ſive alia ignota de cauſa.

Poſt itur in Eccleſiam S. Clementis quæ titulus Cardinalitius eſt: hanc ferunt fuiſſe ipſas S. Clementis Papæ ædes. Sane antiquitus à priſcis Chriſtianæ fidei ſæculis in eccleſiæ formam acta eſt. Nam initio V. ſæculi, ſe Concilium in ea celebraſſe teſtatur in epiſtola ſua Zoſimus Papa. Ibi Cœleſtius Pelagianus palinodiam cecinit; ſub hæc autem priſtina repetens, relapſusque in errorem, damnatus eſt. Eccleſia & presbyterium forma ſpectabili, veterem Chriſtianorum in ſtruendis templis morem præfert. Nam chorus, quod Græci περίϐολον vocant, marmoreo ſepto, ad humanam ferme ſtaturam ſublimi, clauditur & circumquaque obiri poteſt, quale deſcribit Alexan-

drinum ut ævo ſuo Athanaſius in Apologia de fuga. Ex utraque chori parte ambo marmoreus erigitur, ut pari facilitate circumfuſus choro populus & clerici intus audirent legentem. Qui ex parte Evangelii ſublimis ambo viſitur, duplici ſcala aditur, ut ſupra narravimus de Ravennenſi. Ex parte Epiſtolæ unus eſt ad ambonem aditus, eodemque latere pulpitum Lectori deſtinatum viſitur; ſi quis ambonem dicere malit per me licebit, dum liceat item mihi quæ tam diſparatâ formâ ſunt non eodem appellare vocabulo. Simili item formâ ambones ſunt in eccleſia S. Mariæ in Coſmedin. Intra ſeptum ſedilia clericis marmorea, ſtratum muſivo opere. Altare eſt item formæ ſingularis, inſulæ more, ut à presbyteris circumſiſti poſſit. Sub quo quieſcunt corpora Ss. Clementis & Ignatii martyrum & S. Servuli, de quo Gregorius M. in Dialogis. Hujus typum accuratè delineatum Lectori offerimus.



Neque æstimatur tamen sic à tempore usque fundationis permansisse: nam plerumque Ecclesia isthæc instaurata fuit; sed qui restaurarunt primam semper formam sequuti sunt. Apsis autem chori musivo opere exornata annorum circiter 400. nec vestutior esse queat, in ea namque Dominicani, qui Ecclesiam tenent, depicti visuntur.

Propter ecclesiam S. Clementis erat Caput Africæ, tractus secundæ Regionis sic vocatus. Æstimo nomen inditum à capite Africæ, icone scilicet capitis à cujus fronte erigebatur elephanti proboscis. Norunt quippe qui rem nummariam vel primoribus labris attigerunt, nihil frequentius in numismatibus atque in lapillis hujusmodi symbolo esse. Errorem hîc suspicatur Nardinus & *caput Africi*, id est *caput vici Africi* legendum putat. Eratque vicus Africi in Esquiliis ex Varrone. At nihil suspicioni loci, quando Caput Africæ disertè à Rufo & Victore memoratur in secunda regione, ac præterea Anonymus à D. Joan. Mabillon in IV. Analect. tomo editus, Caput Africæ memorat ista serie. *Arcus Constantini. Meta Sudante. Caput Affricæ. Quatuor Coronati. S. Johannis Lateranensis.* Quibus ordine positis indicat, Caput Africæ inter quatuor Coronatos & Metam sudantem haberi, ac proinde aliud esse à vico Africi in Esquiliis. De Quatuor Coronatorum templo nihil succurrit præter trita & vulgata dicendum, sed scitu digna sunt quæ Flaminius memorat è vicino eruta.

FLAMINIUS VACCA. Cum proximè ecclesiam SS. Quatuor Coronatorum solum excavarent, eruta sunt epitaphia multa; renuntiatumque mihi est, unum ex iis Pontii Pilati fuisse; atque è vicino vinea est plena fragmentis figurarum, & lapidibus quadris pro catastatis, (id est ad pilas exstruendas.) Is verò cujus erat locus, dum effoderet, invenit multos calcarios furnos, sequiore ævo confectos. Puto autem fragmenta hujusmodi conficiendæ calci parata fuisse. Adornata forsan istæc sunt tempore summorum Pontificum, qui exstinguendæ idololatriæ advigilabant.

Non procul hinc est Lateranensis platea, à cujus ingressu visitur Nosocomium peramplum, quod olim è viginti quatuor Urbis Abbatiarum numero fuit, nomine S. Andreæ. Parem ibi veterum monumentorum stragem Flaminius recenset.

FLAMINIUS VACCA. Sub nosocomio S. Johan-

„ nis Lateranenſis tranſverſum exſtat fundamentum ſpiſſiſſimum „ ex fragmentis optimarum iconum marmorearum. Vidi ego „ iſtic genua cubitoſque Græco more ſculptos, referebantque om- „ nino, quoad ſtatuariæ modum, Laocoontem illum, qui jam in „ *Belvedere (ſive in palatio belli proſpectûs*) viſitur. Iſtæc fra- „ gmenta hodieque luſtrari poſſent. Quorſum abeunt ſculptorum „ ſudores? quàm miſere pereunt?

Baptiſterium Conſtantini octangulum, in quo putant baptizatum fuiſſe Conſtantinum magnum, refragantibus licet Euſebio, Athanaſio &c. ex ſpoliis veterum ædificiorum confectum narrant achitectonices periti, cujus ornamenta ſcitè & variè cælata ſunt. Columnæ porphyreticæ, ordine compoſito; baſis ex Attica & Ionica conficitur, baſibus folia inſident quibus columna fulcitur, fuitque ſingulare Architecti artificium, quia columnæ altitudine non congruenti fuiſſent, ac eo pacto nihil gratiæ & elegantiæ ædificio hinc demitur.

Baſilica Lateranenſis, quæ item Baſilica Conſtantini & Baſilica Aurea dicta fuit; infinita pene ſcitu digna complectitur, multis conſignata libris. Nos in tranſcurſu quædam obſervamus de more. Apſis Nicolai I V. tempore adornata prorſus ſimilis ei quam in Baſilica Liberiana deſcripſimus. Pars tranſverſa quæ Crucis formam conſtituit ornatiſſima eſt. In altari S. Sacramenti ſtatuæ elegantes viſuntur, ac quæ Moyſen refert, Flaminii Vaccæ eſt, cujus obſervationes ſparſim in hoc opere. Nobilitatur Eccleſia Reliquiarum bene multarum præſtantia, tumuliſque ſummorum Pontificum & Cardinalium. Ibi nuperrimè conditus eſt Eminentiſſimus Cardinalis Caſanata, ſacri Collegii decus, doctrina vir ac pietate præclarus, quo patrono dum viveret uſi ſumus. Eccleſia plerumque renovata & inſtaurata fuit.

„ FLAMINIUS VACCA. Cum vellet ſummus Pon- „ tifex S. Joannem Lateranenſem meliorem in formam aptare & „ ſtructuram aggeratam ante chorum & altare Apoſtolorum de- „ primere, detectæ fuerunt tres thecæ grandiores ſive apſidulæ „ ordine poſitæ cum quibuſdam muris gnomonicè cum Eccleſia „ procedentibus. Ideóque dici poſſet Conſtantinum cum S. Joan- „ nem fabricaretur uſum fuiſſe fundamentis iſtius ædificii antiqui. „ Ante memoratas apſides ſtratum erat totum ex ſerpentino & „ porphyretico, cum aliis variis marmoribus, & ſub iſto pavi-

mento

mento aliud ſex palmis demiſſius deprehenderunt. Fuit ſanè «
ædificium antiquiſſimum nobiliſſimumque. «

Cum ait Flaminius conjectare ſe Conſtantinum iſtius ædificii fundamentis uſum, quia qui ſupereſt murus gnomonice cum muro Eccleſiæ procedit; id eſt, angulum cum eo rectum conficit; intelligit ædificium illud antiquius parem angulum effeciſſe, unumque latus anguli cum muro Eccleſiæ continuatum eſſe, ac conſequenter aliud latus intra Eccleſiam tranſverſum agi.

Baſilicam eamdem anno 1361. pene totam incendio periiſſe narrat ſcriptor quidam qui penes me eſt, anecdotus, ut quidem æſtimo, æqualis Sixto IV. ſummo Pontifici. Sic ille.

Anno 1361 *menſe Auguſto* 21. *die Jovis horà nonà Præfecti conſcenderunt in tectum S. Joan. Lateran. ut quaſdam plumbeas tabulas adaptarent, & veſpertinis horis, quando Canonici cantabant Magnificat, quidam Canonicus ardentem tabulam vidit, ſubitoque exclamavit. Præfecti autem nihil adverterant, & quum res in notitiam Canonicorum venit, violentiam ignis ſuperare non potuerunt, ſed aufugerunt. Tunc trabes omnes abſumtæ, tres columnæ lapſæ ſunt, cæteræ omnes igne confectæ, altare & quatuor columnæ ex jaſpide labefactatæ ſunt.*

In clauſtro viſuntur famoſæ illæ duæ ſedes, ſtercorariæ dictæ, perforatæ, quæ non porphyreticæ ſunt, ut vulgo fertur; ſed ex rubro lapide vividiore quam porphyrites colore, nullis diſtincto maculis, ad hæc longe mollioris materiæ. Has Pontificibus recens promotis narrant ritu ſingulari uſurpatas: non explorando ſexui, ut ridiculè dicitur, vix enim poſſet in ſedilibus hujuſmodi tam turpis functio peragi: ſed in Thermis olim uſui fuiſſe peritorum opinio eſt. Narrat certè Olympiodorus in thermis Antoninianis mille ſexcentas hujuſmodi marmoreas cathedras ad balneorum uſum fuiſſe. Alia ibidem ex marmore albo cathedra non perforata conſpicitur. In eadem Lateranenſi tetraſtylo, viſuntur plurimæ Ebræorum ſepulchrales inſcriptiones, quæ columnarum capitellis inciſæ ſunt.

De Scala ſancta & imagine illa quæ cum ab Angelis confecta fuerit ἀχειρότυπος, id eſt, non manufacta vocatur, nil niſi tritum ſuccurrit. E vicino eruta fuit equeſtris M. Aurelii ſtatua.

F L A M I N I U S V A C C A. Equus Capitolii æneus in «
vinea quadam prope Scalam ſanctam & S. Joannem Lateranen- «

» ſem repertus eſt : multiſque annis humi neglectus jacuit ; do-
» nec Sixtus IV. creatus Papa fuit, qui illum in platea Latera-
» nenſi cum elegante marmorea baſi erexit, inſignibus propriis
» & epitaphio, (*ſic*) nomineque ſuo inſculpta. Ibique ad Pau-
» lum uſque III. ſtetit. Is enim equum in Capitolium advehi
» juſſit, & baſin ipſi Michaëlis Angeli manu adornari curavit.
» qua de cauſa non occurrente uſpiam tam grandi marmore, ex
» Trajani foro epiſtylium & zophorus huic rei advecta ſunt. Sed
» quia in fundo Collegii Lateranenſis effoſſus fuerat, ad ſe pertinere
» Lateranenſes contendebant, & hactenus cum populo Romano
» litigant, ſinguliſque annis reſcripto publico jus ſuum renovant.
» hæc aliis narrantibus accepi.

In opuſculo de mirabilibus Romæ inferius edendo, quod ab annis ferme quingentis exaratum fuit, de equeſtri ſtatua prope S. Joannem Lateranenſem ſita mentio eſt ; ſed admixtis fabellis, ibi vide.

Haud procul eſt porta Urbis, S. Joannis hodie, Cœlimontana olim à monte Cœlio in quo ſita erat, nuncupata. Inter Cœlimontanam & Latinam, porta Aſinaria erat, ad viam cui pariter Aſinaria nomen. Obſtructa deinde porta Aſinaria, id nomen portæ S. Joannis inditum fuit. Sicque vocatur apud Anonymos ſupra memoratos, quorum prior octo hinc ſæculis, alter quatuor aut quinque, ſcripſit.

» Flaminius Vacca. Memini uno milliari à porta S. Joannis,
» ultra aquæductus, in loco *Monte del Grano* vocato, fuiſſe ingentem
» maceriem ſolidam antiquam ex impolitis petris atque ſilicibus,
» quam viriliter aggreſſus quidam operarius dirupit, ſeque intro-
» mittens interiora pervaſit, uſque dum urnam grandem reperit
» marmoream, quæ in anaglypho exhibet hiſtoriam raptûs Sabi-
» narum; & operculo impoſitæ erant humanæ duæ figuræ jacentes,
» quarum altera Alexandrum Severum, altera Juliam Mammæam
» ejus matrem refert. Cineres reconditi erant in urna quæ jam
» in Palatio Capitolii eſt, ubi conſidunt conſervatores.

Iſthæc urna quæ in impluvio quodam hodierni Capitolii viſitur, anaglyphis ſuis plus ludos funereos quàm raptum Sabinarum præfert ; quod eſt etiam ſepulchro magis conſonum.

» Flaminius Vacca. Memini extra portam S.
» Joannis in vinea Domini Annibalis Cari, cùm ingens moles ab
» antiquis ſtructa iſtic eſſet & vineæ noxam adferret, Anniba-

Jem ipſum maſſam complanare adgreſſum, reperiſſe in muro «
compactas multas Imperatorum icones, ubi non duodecim ſo- «
lum illi, ſed alii quoque Imperatores erant. Ad hæc marmo- «
ream urnam, in qua ſculpti erant omnes Herculis labores, «
multaque alia fragmenta ſtatuarum more Græco, à do- «
ctiſſimis artificibus elaborata. Quorſum abierint icones ignoro. «
Urnæ vero facies antica ſecta, & Murolarum ad Dominum «
Viſconti tranſmiſſa fuit. «

Non longè à porta S. Joannis, extra Urbem, memoria mea «
repertæ ſunt multæ marmoreæ ſtatuæ, quæ nihil aliud erant «
quam Niobes fabula; ipſas emit Ferdinandus magnus Hetru- «
riæ Dux, & jam exſtant in ejus horto ad Trinitatem. Erant «
item iſtic luctatores duo affabrè cælati & periti artificis. «

In via ad S. Mariam Majorem à ſiniſtris ſita eſt Eccleſia SS. Petri & Marcellini, antiquitate ſolum commendabilis. Ibidem ſingularia eruta Flaminius recenſet.

F L A M I N I U S V A C C A. Sub eccleſia SS. Petri & «
Marcellini compertæ ſunt pilæ multæ cum fornicibus ſubterra- «
neis, nullâ feneſtrâ nulloque lucis meatu, quæ ab antiquis ita «
ſtructæ fuerant. Æſtimo fuiſſe caſtrũ aquæ, quia eodem loco Six- «
tus V. ſpiſſũ murum deprehendit, in quadris Tiburtinis lapidi- «
bus fundatum, qui exinde in uſum ædificiorum ſuorum expor- «
tati ſunt. Haud dubie ductus erat aquæ ex caſtro verſus Coli- «
ſæum. Ibidem inventum eſt idolum marmoreum, ſtatura vulga- «
ri paulo minus, erectum, pedibus manibuſque junctis, à pe- «
dibus ad buccam ſerpente circumvolutum, velo ſubtiliſſimo «
indutum, ſertum in collo geſtans ex floribus malogranati: & «
non procul illo Venus naturali proceritate, quaſi è balneo ſur- «
gens, cum Cupidine vicino. Ipſam coëmit Cardinalis Mon- «
taltius. «

Non longè hinc in vinea Franciſci Fabriani, inventæ ſunt ſe- «
ptem ſtatuæ nudæ periti artificis. Sed ſequiori ævo, variis in lo- «
cis ſcalpro fœdatæ fuerant; ſic antiquas icones labefactarunt «
homines imperiti. Itaque ſcitam jucundamque veterum ſcul- «
pendi rationem ſuſtulerant. Deprehenſi quoque ſunt iſtic mul- «
ti canales antiqui plumbei atque lateritii, qui à ſupra memo- «
rato Caſtro aquam accipiebant. Caſtrum aquæ ad Coliſeum «
deductæ neſcio an uſpiam memoratum occurrat: ſic bene multa ignota intactaque, antiquitatum Romanarum ſtudioſis aperit Flaminius.

Eodem itinere verſus S. Mariam Majorem occurrit ad læ-vam villa D. Voiret Conſulis Gallicæ gentis ; in qua non diu eruta ſunt teſtacea dolia ingenti numero : plus centum hujuſmodi ſe eduxiſſe narrabat ille, cujus ſupellectilis partem dono obtulit, partem longâ ſerie in villa concinnatam inſpeximus frequenter. Erantque vaſa teſtacea ſervandis liquoribus atque vino etiam, unde Martialis.

Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis.

Pleraque hujuſmodi dolia ſextariorum plus triginta capacia : in Alteriana villa etiam grandiora projecta neglectaque, ad ædium angulum viſuntur. Immania ejuſdem materiæ exſtant dolia in villa Ludoviſiana, quæ ſextarios plus quam trecentos capiant. Ut ad propoſitum redeamus, in mentem ſubit locum hunc tanta vaſorum figlinorum congerie inſtructum, Officinam fuiſſe figlinam, quam in monte Eſquilino meminit Varro de Eſquiliis agens. *Oppius mons*, inquit, *quarticepſos lucum Eſquilinum via dexterior in figlineis eſt.* quod alii item teſtificantur. Lucus autem Eſquilinus, quem figlineis ſive officinæ figulorum vicinum indicat Varro, verſus S. Matthæum in Merulana à peritioribus locatur, quæ Eccleſia vico ſolum intermedio à Voëretiana vinea diſterminatur. Et vero ſuſpicionem auget, quod in doliis quibuſdam diverſorum nomina ſigillis impreſſa compareant, neque ex iis quæ domini ſui nomen præferunt (non enim ſignata omnia) vel duo reperiuntur eodem nomine inſignita. Quod ſane indicium, non unius atque ejuſdem domini vaſa iſthæc eſſe, ſed multorum, qui in officina hujuſmodi, mollibus adhuc necdum coctis doliis, ſigilla imprimerent. Duorum nomina impreſſa erui, alia labefactata ſunt. Alterum ſigillum ſic exprimebat.

| C. CALER | alterum vero ſic | L. SAL. . . . . |

Ruptoque poſtremi vaſis fruſtulo litteræ ſequentes exciderant. Duo ſigilla ſignandis item figlinis vaſibus mecum Româ detuli, quæ annulum à tergo habent inſerendo digito, aliud Græcum, Latinum aliud, & ſic habent.

T. ΙΟΥΛΙΟΥ ΦΟΙΒΙωΝΟC	Q. SABINI SECUNDINI

Scilicet *Titi Julii Phœbionis*, & *Quincti Sabini Secundini*. Alia bene multa ſimilia in Muſæis vidi frequenter.

Thermas Philippi iſtis in partibus fuiſſe putant, propterque Eccleſiam S. Matthæi in Merulana; quod cùm teſtimonio Rufi atque Victoris, tùm inſcriptione ibidem eruta confirmant: qua de re nihil novi narrandum ſuccurrit. Prius vero quam diem iſtam ſecundam claudamus, audiendus Flaminius Vacca de quibuſdam prope S. Matthæum in Merulana erutis.

FLAMINIUS VACCA. Recordor audiviſſe me, Ado- «
nem illum Epiſcopi olim Nurſiæ, jam vero Picchinorum, re- «
pertum fuiſſe in eorum villa, ſita inter S. Matthæum & S. Ju- «
lianum, proximè tropæa Marii, ubi anno proximo detectæ ſunt «
aliç ſtatuæ. Quænam porro illæ ſint, quia non inſpexi, dicere «
non valeo, ſed palam eſt fuiſſe olim locum elegantem. «

Haud ita peritus internoſcendarum ſtatuarum eſt Flaminius. Quare æſtimo, quem vocat ille Adonem, eſſe Meleagrum, qui hodieque in Picchinis ædibus peregrinorum aditu frequentatur. Meleager hîc pro Adone habetur à Flaminio, quia venatoris uterque cultu occurrit.

In vinea iſti vicina è regione effoſſus fuit Seneca ex nigro «
marmore, cum aliis ſtatuarum fragmentis, atque etiam Ter- «
minorum fruſtis mihi haud ita cognitis. «

Iſte Seneca jam in villa Burgheſiana ſuſpicitur.



CAPUT X.

DIES TERTIA. Coliſeum, & Meta Sudans. Caput Coloſſi erutum. De Domo Aurea Neronis. Templum pellucidum. Arcus Conſtantini ex ſpoliis fori Trajani. De Septizonio. S. Lucia in Septizonio ubi. Septem viæ. Anaglyphum Sileni. Eccleſia SS. Joannis & Pauli. De curia Hoſtilia & Caſtris peregrinis. Forma Antoniana. Villa Mattheia. De Coloſſorum per Urbem reliquiis. S. Stephanus Rotundus. Thermæ publicæ antiquæ.

TERTIAM à Coliſeo inimus diem, quo ædificio ſive artificis doctam manum, ſive ſublimitatem, porticuum elegantiam, columnarum ac paraſtatarum concinnitatem ſpectaveris, nihil in orbe magnificentius: at ne multis in notiſſima reteramus otium; priſcus amphitheatri gyrus cum Pauli III. tempore totus conſiſteret, erat pedum Regiorum mille ſexcentorum duodecim, cujus menſuræ ratio ex arcuum ac pilarum latitudine hodieque aſſeritur. Arcus porro octoginta erant, ex iis quatuor queis in arenas aditus paulo aliis latiores, pedum videlicet 14. & octo pollicum. Dirutum magna parte opus tam ſingulare deplorant hodieque periti, & ruinam lugent florentiſſimo architectonices ævo importatam. Quod etiam ſi non ſuopte merito atque pulchritudine dignum fuiſſet quod improbas arceret manus; indigna res utique, in locum tot Martyrum cruore ſacrum tantopere ſęvitum eſſe. Ad hæc Coliſeum ſplendebat olim ornamentis variis, ſtatuis æneis marmoribuſque, quæ partim ab Imperatoribus Conſtantinopolin advecta, partim à Barbaris qui ter quaterve Romam vaſtarunt abſtracta & diſſipata ſunt, qui etiam ænea ligamina è commiſſuris lapidum, ut foramina ubique impreſſa teſtificantur, evulſere.

In platea quà frequentior aditus, exſtant Metę ſudantis reliquiæ, quæ largas olim ſuperne evomebat aquas.

» FLAMINIUS VACCA. Memini audiviſſe me, caput illud
» æneum Auguſti & manum globum tenentem, quæ jam in Ca-

pitolio consistunt, eruta fuisse ante Coliseum prope Metam su- "
dantem, & ab isto Colosso Amphitheatrum Colisei nomen mu- "
tuatum. "

Hodieque visitur in Capitolio caput illud æneum Colossale quod alii pro Commodi capite habent : mihi qui vultum plerumque diligentius exploravi, nondum planè perspectum cujus sit. Nequaquam hujus Colossi causa, ut habet Flaminius, Amphitheatrum Vespasiani Coliseum vocatur, verum alterius longe immaniore statura, centum scilicet ac viginti circiter pedum, alii 110. alii minus adscribunt. Æneus autem iste si totus pedibus consisteret ne triginta quidem pedum esset. Ex Martiali Colossus ille major versus sacram viam erectus erat, sic ille,

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus
Et crescunt media pegmata celsa via
Invidiosa feri radiabant atria Regis.

Queis Martialis verbis prorsus levatur, ut mea quidem fert opinio, injecta de situ atriorum aureæ domus Neronis, (nam de illa Martialis agit,) difficultas. Colossus nimirum, ille inquam immanis pedum plus centenorum, ante Coliseum stabat, cui & nomen indidit ; pegmata quoque sive theatrales machinæ eadem item parte erigebantur. Domus autem Neronis aurea uti diximus à Palatio Augustorum rectà ad S. Petrum in Vinculis protendebatur : atria igitur ex Martiali, adversa stagno erant ; in cujus loco deinde Coliseum excitatum, ex hisce item Martialis verbis :

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Domus aureæ Neronis ornamenta miramque supellectilem fuse narrat Suetonius ; in ea, teste Plinio, templum Fortunæ Seiæ, quo loco primum à Servio Tullio sacratum fuerat, construxit Nero ex lapide pellucido in Cappadocia reperto, cujus tanta perspicuitas, ut interdiu clausis foribus qui intus essent clara luce fruerentur, etsi nullus luci meatus relictus esset : quare phengites à splendore lapis dicebatur. Vidi qui fidem Plinio negarent, & commentitium esse templum hujusmodi dicerent, nec sine fastidio narrantis. At nihil ea in re fidem superat ; imo vero quotidianis experimentis paria comprobantur. Florentiæ

namque in Ecclesia S. Miniatis fenestræ sunt, in quibus vitri loco tabulæ ex alabastrite, quarum singulæ singulas fenestras occupant, etsi ad quindecim circiter pedes altæ fenestræ sint: et Ecclesia tamen luce perfunditur. Sane si in tabulas secta esset Columna ex alabastrite quæ in Vaticana Bibliotheca erigitur, ea vitri pene instar pellucida esset.

Ad alteram Colisei partem, qua SS. Joannem & Paulum spectat, eruta quædam memorat Flaminius his verbis.

" FLAMINIUS VACCA. E latere Colisei versus SS Joannem & Paulum, vinea est in qua memini repertam grandem plateam stratam spississimis Tiburtinis lapidibus, necnon capitella duo Corinthia. Cum Pius IV. Thermas Diocletianæas restauraret, dedicaretque B. Mariæ de Angelis, atque in principe navi Ecclesiæ capitellum aliquod vetustate collapsum esset, ex istis unum ejus loco reposuit. Ibidem reperta fuit marmorea cymba 40. palmorum longitudine, fonsque marmoribus ornatissimus; & credas velim plus igne quam aqua detritum fuisse. Inventi item fuere canales plumbei bene multi. Aiebant esse illud extremum domus aureæ Neronis, cujus in loco deinde Coliseum Vespasianus extruxit.

Ex dictis superius propalam est Domum auream Neronis brevioribus fuisse limitibus circumscriptam, neque ultra Coliseum versus Cœlium pertigisse.

Ex Coliseo in Ecclesiam S. Gregorii itur per arcum Constantini magni marmoreum, devicto Maxentio excitatum, in quo & lapsæ sculptoriæ artis & florentissimæ disparata signa visuntur. Anaglypha sublimiora, mira arte cælata, doctam manum produnt: opinioque vulgaris est ex arcu Trajani huc comportata, indeque ortam nuncupationem, *arco di Trasi*, qua insignitur arcus hodieque. Quæ Constantini ævo sculpta sunt sęculi ferrei ἀπειρίαν olent. Hac de re multa nova pręclaraque tradit Flaminius Vacca, ubi de foro Trajani, cujus latus unum huic conficiendo operi insumtum probat inferius suo loco.

Hinc rectà itur ad S. Gregorium, in cujus aditu platea est olim Septizonii Septimi Severi sedes. Ædificii tanti ne lapis quidem superest. Cum enim sub finem sæculi XVI. angulus ejusdem qui supererat ruinę proximus esset, jussu Sixti V. solo æquatus est. Ut autem narratu eorum qui operis partem & angulum viderant, atque architecti anonymi cujus schedæ penes me sunt, comperimus;

comperimus; à Septimio Severo eductis hinc & inde columnis, ex diverſorum ædificiorum ſpoliis excitatum fuerat: nam columnæ ſtriatę alię erant, aliæ non ſtriatæ, capitella diverſæ manus atque formę. Hic proprius Septizonii Septimii Severi locus, nec quęrendus prope ſepulchrum Helenę vel Formas illius tractûs, ut tentavere quidam. Proximè Septizonium ſita erat eccleſia & Diaconia S. Lucię, quę idcirco S. Lucia in Septizonio, & vitiato nomine in *ſeptiſolio*, & in *ſeptemſolia* dicta fuit. Palam illud eſt ex Anonymo noni ſęculi à V. Cl. Mabillonio edito in IV. Analectorum tomo p. 502. cujus locum integrum hic adferimus, quia in ſubſequentibus non infrequens nobis illius uſus erit. Deſcribit ille iter à S. Petro ad S. Paulum; poſt à S. Paulo ad S. Sebaſtianum; deindeque à S. Sebaſtiano ad S. Anaſtaſiam, his verbis.

In porta S. Petri uſque ad S. Paulum.

In ſiniſtra S. Laurentii & Theatrum Pompeii, & per porti- «
cum uſque ad S. Angelum & templum Jovis. In dextera Thea- «
trum: iterum per porticum uſque ad Elephantum. Inde per «
Scholam Gręcorum: ibi in ſiniſtra eccleſia Gręcorum. Ibi eſt «
aqua ſubtus montem Aventinum currens, ſcala uſque in mon- «
tem Aventinum, & balneum Mercurii. Inde ad portam Oſten- «
ſis. (*ſic*) Inde per poſticum uſque ad eccleſiam Mennę: & de «
Mennę uſque ad ſanctum Paulum Apoſtolum: inde ad ſanctum «
Felicem & Adauctum & Emeritam. Deinde ad ſanctam Petro- «
nellam & Nereum & Achilleum. Inde ad ſanctum Marcum & «
Marcellianum. Inde ad ſanctum Soterum: inde ad S. Sixtum: «
ibi & S. Favianus (*ſic*) & Antheros & Militiades. Inde ad S. Cor- «
nelium. Inde ad S. Sebaſtianum. Inde revertentes per viam «
Appiam ad eccleſiam, ubi S. Sixtus cum ſuis diaconibus decol- «
latus eſt. Inde ad portam Appiam. Ibi forma Jopia quę venit «
de Marſia, & currit uſque ad ripam. Inde ad Cochleam fra- «
ctam. Inde ad arcum Recordationis. In ſiniſtra Thermę An- «
tonianę; in dextera Xyſtus. In ſiniſtra, Nereus & Achilleus. «
Inde per porticum uſque ad Formam. Inde ad VII. vias. Ibi «
ſancta Lucia & Septizonium. In ſiniſtra Circus Maximus. In «
dextera Palatinus. Et ſic per porticum maximum (*ſic*) uſque ad «
Anaſtaſiam, & inde ſemper. «

Poſtremę lineę. *Inde ad ſeptem vias, &c.* Verum S. Lucię in Septizonio, quę item in ſeptem viis vocatur, ſitum produnt. Ibidem enim hodieque viarum divortia fiunt, & in parvo tractu ſeptem diductę vię numerantur; ſcilicet ad arcum Conſtantini, ad SS. Joannem & Paulum, ad portam Capenam, ad S. Balbinam, ad portam Oſtienſem, binę ad Circum maximum, ad S. Bonaventuram. Non quo velim, eaſdem omnes numero vias eodem loco & ſitu perſeveraſſe; nam quis ſcit an tot inductę hac Urbis parte mutationes, incendiis populationibuſque frequentibus mutata facie ſoli, non obſtructę quędam, alięque novę apertę vię fuerint. Sed tamen de ſitu ſeptem viarum nihil dubii ſuboriri poteſt, quando eæ propter Septizonium ſitę erant: & par numerus hodiernarum viarum eodem pene loco diductarum, cum eæ ad conſpicua & olim frequentata loca tendant, argumento ſane ſunt, aut eaſdem illas VII. memoratas prorſus eſſe, aut ſi quid verſum & immutatum hac in re fuerit, eumdem tamen viarum numerum tum temporis extitiſſe. Anonymus ibidem S. Luciam & Septizonium unà memorat, quia eodem ſitu fuerunt, atque ex ſerie ipſa narrandi ut eodem circiter quo Septizonium loco ponamus, evidenter inducimur: omnia quippe loca quę à porta Capena ad Septizonium occurrunt, ibidem uno curſu memorantur, uti ſunt hodie, paucis additis quæ diruta ac deleta ſunt; ubi vero ad Septizonium & S. Luciam devenit, ait in ſiniſtra Circum maximum, in dextera Palatinum exſtare, quo quid apertius? Martinellus in Roma ſacra S. Luciam in Septizonio diverſam quidem dicit à S. Lucia in Orthea; ſed verum illius ſitum non aſſerit.

De eccleſia ac Monaſterio S. Gregorii nihil niſi tritum & vulgare ſuccurrit. In Monaſterio antiqua olim diplomata erant bene multa, manuſcripti codices & archivum nobile. Sed aliò iſtęc exportata fuere à Commendatariis.

» FLAMINIUS VACCA. Memini Curtium Saccocciam
» notarium Capitolii in villa ſua prope S. Gregorium excavando
» reperiſſe multas Urnas marmoreas, hiſtoriis inſculptas, cum pu-
» gnis & certaminibus: & quod mihi voluptati fuit, in anagly-
» pho decrepitum ſenem vidi, in cunabulis poſitum cum mani-
» cis, quem pueri quidam geſtabant agitando cunabula; videba-
» turque ſenex pueris arridere, ſubtus inſculptum erat: IN SE-
» NECTVTE ME BAIVLANT, conjectabar eſſe Diogenem
» Cynicum.

At verosimilius est fuisse Silenum in quem isthæc plus quadrant quam in Diogenem Cynicum. Et verò Sileni cum pueris ludos graphicè describit Virgilius Ecloga 6. et si non prorsus eamdem, simillimam certè isti fabulam exprimit hisce:

Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam timidisque supervenit Ægle:
Ægle Naïadum pulcherrima, jamque videnti
Sanguineis frontem moris & tempora pingit.
Ille dolum ridens, quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri, satis est potuisse videri.

Hoc anaglyphum ad templum Bacchi in hac Cœlimontana regione positum pertinuisse potuit.

Prope S. Gregorium in acclivi Cœlii est Ecclesia SS. Joannis & Pauli à Pammachio Monacho, ut vulgata fert opinio, sæculo I V. in ipsa SS. Fratrum domo excitata. Estque titulus Cardinalitius, olim Collegialis Ecclesia. Verum deinde Jesuatis, post Dominicanis Anglis, demum Patribus Missionis neque ita pridem cessit. Porticus antiqua & elegans. Ecclesia satis ampla, columnis marmoreis atque porphyreticis hinc & inde fulta. Miræ stratum elegantiæ, nusquam tantùm porphyritæ variique marmoris: eam pulchritudinem pari soliditate conjunctam non attingunt hodierna pavimenta quælibet. Monstratur hîc lapis crate ferrea munitus, ad quem capite truncati duo isti fratres Martyres fuere. In sacello proximè ostium requiescit corpus S. Saturnini martyris in urna porphyretica. Ibidem sequentem inscriptionem erui, quæ nonum circiter sæculum præfert, & ævi barbariem olet.

Hocce puellæ jacet tumulo corpus Elisabet,
Quod manet in sancta aula nunc Battistæ Johannis:
Ildibrandus ejus genitor Theodoraque mamma.
Orta puella ideo fuit ardua stemmate Romæ.
Bis annos habuit senis & mensibus decem,

Ducta Johannes vestra Pauleque jure sub alma :
Pro qua vos Dominum deposcite Martyres almi,
Et sibi det requiem sanctam post funere semper.
Hoc si quis tumulum violaverit at reque parvum,
Subjaceat nexum dum vivit in orbem anathema.
Dep. v. Kal. sep. ind. v.

Quod hic dicitur jacere corpus Elizabetæ in aula Baptistæ Joannis, nescio an usquam traditum. Percontatus an aliquando isthæc ecclesia S. Joannis Baptistæ insignita nomine fuisset, nihilque expiscatus; tantumdem notitiæ ex variis Urbis descriptionibus mutuatus sum; nihil enim simile occurrit mihi uspiam.

Hortus Cœnobii S. Joannis & Pauli aggerata terra est, ingenti lateritio muro antiquissimo fulta. Qui murus qua Coliseum respicit, forma est ita singulari, ut cui usui fuerit vix quispiam augurari valeat. Totus à fronte distinctus est apsidibus quæ obiri circumquaque possunt. Iis proximæ lateritiæ pilæ rotundæ, quas item circumire quisque possit. Nonnisi præsentem licet rem ita singularem explorare capereque. Murus autem quà vergit ad SS. Joannem & Paulum desinit in arcus prægrandes. Aiunt vulgò totam hanc molem esse reliquias curiæ Hostiliæ quæ in Cœlio monte memoratur; nam alia quoque curia Hostilia erat in foro sita. Curias Romæ triginta-quinque ætate sua extitisse testificatur Augustinus T. I v. col. 1389. de quarum forma haud satis convenit inter Scriptores. Vix putarim immanem illam ædificii molem, castrorum more munitam, unicam fuisse curiam. Vidi qui castra Peregrina esse conjectarent, quia non longe hinc versus S. Mariam in Navicula duæ inscriptiones erutæ castrorum Peregrinorum mentionem haberent. Qua de re temere nihil statuendum.

Non procul hinc, proximè Ecclesiam S. Thomæ in navicula, occurrit arcus exiguus lapideusque, cui incisa sequens inscriptio.

Q. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA
C. IVNIVS C. F. SILANVS COS. FLA
MEN MARTIALIS
EX. SC
FACIVNDVM CVRAVERVNT
ITIDEMQVE PROBAVERVNT

Actum id anno Christi 12. Olympiadis 197. secundo. Istic

aquæ Claudiæ divortia erant. Qua de re audiendus Flaminius.

FLAMINIUS VACCA. Propter ecclesiam S. Mariæ in Navicula, reperti sunt Tiburtini multi, qui non in opere sunt, sed incompositi. Et quia aquæ ductus, qui ante S. Joannem Lateranensem videtur, istum in locum pergit; putarem istic fuisse angulum, ubi in ductus duos aquarum divortia fierent, quorum unus in Antonianam procederet, ut testificantur litteræ quædam magnis laterum tabulis è muro Aquæductus paulum eminentibus confectæ, quæ tales sunt, NIANA, nam litteræ T & O labefactatæ sunt; alius in palatium tendebat, ut palam est ex vestigiis aquæ ductûs interdum occurrentibus. At redeamus ad locum in quo Tiburtini reperiuntur; necessum erat istic Aquæductum transversum in via fuisse, & arcum amplum ædificatum esse: ut tamen ex vacuo tanto aquæductus fissuræ nihil peteretur, ex Tiburtinis istic ædificium construxere cum solidis erismatibus, qualia jam videmus ante nosocomium S. Joan. Lateranensis in eodem aquæ ductu. Idipsum observavi in ductibus qui tot sinuosis flexibus procedunt. An dicatur flexus hujusmodi procedere ex impedimento ædificiorum? Hæc sane ratio valere nequit, dum in agro parem sinuositatem videmus, ubi ædificia non erant: æstimarem id propterea factum antiquitus, ne impetus aquæ ductum læderet & parietes labefactaret: ad hæc, aquæ flexibus hujusmodi purgabantur.

Hæc optime observantur à Flaminio, hodieque visitur ductum aquarum in duos diverti canales, quorum alius in Palatium, alius in Antoninianas thermas aquam derivabat, inscriptio ANTONIANA adhuc exstat, & quidem integrior quam fert Nardinus; nam solum A primum desideratur; superestque pars arcuum ductûs aquæ Antonianæ, quæ ramus Claudiæ erat. Nono sæculo adhuc exstabant arcus formarum Antoninianarum, ut videre est in Anonymo supra, qui formas in via Appia prope Antoninianas thermas memorat.

Ecclesia S. Mariæ in Dominica nihil nisi vulgatum præfert. Huic hæret villa Matthæorum, in Cœlii vertice sita; ædesque habet amœnas prospectu suavi. Multæ istic statuæ iconesque mediæ marmoreæ sunt. Suspicitur Hadrianus eques, eo spectabilior quo rariores per Urbem equestres statuæ antiquæ; item Antonini Pii paludati & M. Aurelii statuæ, caput Ciceronis eleganter & affabrè sculptum, Crispinæ etiam uxoris Commo-

di, Lucii Veri, &c. Caput item Jovis Serapidis, non vero, ut æſtimatur vulgo, Jovis Hammonis, ex Ægyptio nigro lapide qui baſaltes dicitur, vulgo vocant, *pietra di paragone*. In areola erigitur obeliſcus ex marmore granito Ægyptiaco. Quod autem ſingularius eſt, caput Coloſſale ibidem viſitur, quo nullum in Urbe majus; aiunt vulgo eſſe Alexandri Magni, ſed ad quem revera pertineat incertum. A mento ad radicem capillorum menſura eſt ſex pedum regiorum: totum ergo caput octo regiorum pedum fuerit, ſtatua vero ipſa cum integra ſtaret, totis 64. regiis pedibus ſublimis erat. Caput marmoreum Domitiani in impluvio ædium Capitolinarum quinque pedum, ac proinde ſtatua integra quadraginta dumtaxat pedum erat: hujus item pes & alia membrorum fruſta ibidem exſtant. Æneum caput de quo ſupra ad Metam ſudantem multo minus eſt. In villa Ludoviſia ad Urbis mœnia, quæ villam ea parte terminant, eſt caput Coloſſale quatuor circiter pedum. In Juſtinianæa vero extra portam Flaminiam Coloſſus item eſt Juſtinianum Imperatorem, qua ſe ſtirpe progenitos glorientur Juſtiniani hodierni, referens. Is vero non talis eſt qui poſſit cum jam memoratis Coloſſis concertare, ſed in eo præſtat omnibus, quod totus conſiſtat, fractis tamen & utcumque reſtitutis corporis partibus. Mitto ſtatuas, proceritate vulgari duplo aut triplo majores, quæ bene multæ per Urbem comparent in villis, ædibus &c. Nuſquam tot urnæ ſepulcrales cineribus recipiendis occurrunt quot in villa Matthæia.

Propter naviculam eſt templum S. Stephani Rotundi, forma ſingulari, nam duplici columnarum ordine in circulum fulcitur: eratque olim ampliore gyro; verum à Nicolao V. in hodiernam formam actum eſt. Sunt qui Bacchi templum eſſe putent, memoratum à Rufo & Victore; alii templum Claudii; major pars templum Fauni. Cui ſententiæ libentiùs calculum addam, quia ex veterum uſu ac conſuetudine vocandi ad nos devenit. Certè Anonymus infra edendus qui ſæculo XIII. ſcripſit, templum Fauni idem dicit eſſe quod templum S. Stephani Rotundi. Iſtic olim erat Abbatia & Monaſterium S. Eraſmi, jam locus cuidam RR. PP. Jeſuitarum collegio attributus eſt.

» FLAMINIUS VACCA. Dum excavarent ad S. Stepha-
» num Rotundum verſus noſocomium S. Joannis Lateranenſis,

memini reperta fuiſſe vaporaria & thermas plebeias, muroſque "
multos cancellatos, necnon canales plumbeos. Nihil magno "
labore ſtructum. Inventæ ſunt item urnæ bene multæ cinere "
plenæ: nam poſtquam his thermis uſi ſunt, eas in ſepulchra ver- "
terunt, quo tempore comburi cadavera mos erat. "

Nihil dubium videtur thermas iſtas eſſe thermas publicas à Rufo & Victore in Cœlio monte memoratas, quando omnia quæ hîc à Flaminio narrantur ad plebeias thermas pertinent.

FLAMINIUS VACCA. Prope S. Stephanum Rotun- "
dum in villa Adriani Martyrei, proximè aquæductum, me- "
moria mea deprehenſa eſt ſtatua cum capite Hadriani veſte "
conſulari, peritæ manûs; aliæ item iſtic ſtatuæ inventæ, qua- "
rum nomen oblitus ſum, & tripus æneus pro Sacrificiis. Ha- "
drianum emit populus Romanus: & jam conſidet in ædificio "
Scalarum; quibus aſcenditur ad aulám conſilii publici, *ſcilicet* "
in Capitolio.

CAPUT XI.

DIES QUARTA. Cœliculus mons. Templum Dianæ. Sepulchra atque urnæ erutæ. Aqua ſancta. Fons Egeriæ Nymphæ. Ædificium ſingulare. De Catacumbis S. Sebaſtiani. De theſauro in Circo Caracallæ eruto. Hiſtoria detecti Innocentii VIII. tempore tumuli, integro cadavere. De arcu Recordationis. Thermæ Antoninianæ & vicus ipſis hærens. Templum Minervæ. Mutatorium Cæſaris &c.

DECURSO Cœlio monte, quartà die Cœliculum petimus ad Urbis mœnia qua itur ad portam Latinam. Quamquam non una omnium opinio; ita non de templorum modo, ædium atque thermarum; verum etiam de montium ſitu ambigitur. Ad portam Latinam eſt Sacellum rotundum in memoriam immiſſi in ferventis olei dolium S. Joannis Evang. excitatum, atque è proximo Eccleſia eodem nomine pene deſerta, jamque Patriarchio Lateranenſi attributa. Haud procul Eccleſiâ, ad-

huc ſublimia viſuntur cujuſdam delubri rudera, quæ, quia Cicerone teſte Sacellum maximum L. Piſo Dianæ in Cœliculo excitavit, templi Dianæ reliquias vulgo æſtimant: an ſat firmis indiciis, peritorum judicium exquiritur. De aliis ibidem erutis audiendus

» FLAMINIUS VACCA. Proximè portam Latinam intra
» muros memini Cardinalem ſanctæ Crucis excavando eruiſſe ma-
» gnificam ſepulturam ex marmore Campano magnis molibus:
» is ſingula eduxit. Structura non peritæ quidem manûs erat, ſed
» magni peculii.

» In villa proximè eamdem portam, repertæ ſunt urnæ duæ
» grandes quæ penes me habentur, cum multis zophororum at-
» que epiſtyliorum fragmentis, necnon columnarum, quæ ex
» marmore omnia *gentili* erant. Videntur iſta ſequiori ævo in ſe-
» pulturam uſui fuiſſe. Iſtic erat copia grandis urnarum cum in-
» ſcriptione DIIS MANIBVS, & fragmenta grandiorum ur-
» narum multa comparebant.

Monitum lectorem velim; quoties in hiſce Flaminii ſchedis Urnæ grandes vel grandiores memorantur, intelligi urnas oblongas inſerendis corporibus, quæ vernacula lingua *pili* dicuntur, cum Urnæ vox ſine addito profertur, cinerariæ urnæ indicantur, quæ plerumque non plus uno pede latæ, profundæque ſunt. Marmor *gentile*, id eſt marmor album elegans & pretioſius, quo ſolent ſtatuæ & anaglypha confici: marmor aliud album *ſalinum* vocant, quia ex rudiore materia compoſitum, ubi confringitur in fractura ceu grana ſalis comparent, eſtque ut plurimum friabile minoriſque firmitatis.

A porta Latina, cui olim Ferentina nomen, itur ad Aquam ſanctam quæ & potu & balneo medicinalis eſt. Aquam vero ipſam jam olim ſtagnantem, putant eam eſſe quam Rufus Lacum ſanctum vocat; alii eam æſtimant eſſe quam Rufus atque Victor lacum Salutarem dicunt. Nam Lacus ſanctus & Lacus ſalutaris vicini erant. Hæc ſcaturiginem proximè habet, rivuſque inde manans Almon olim dictus eſt, in quo Berecynthia Deûm mater, quotannis abluebatur, ut ait Auguſtinus T. VII. Col. 34.

» FLAMINIUS VACCA. Haud procul iſto loco adſcen-
» ditur in caſam quæ cùm ad Caſarellos pertineat, *la Caſarella*
» dicitur. Ibi ſub grandi fornice veteri fons viſitur, qui etiam
» hodie uſui eſt. Iſtuc multi Romanorum æſtivis menſibus con-

veniunt

veniunt animi causa, ibique diem agunt. Frequentius ego adi- «
vi locum, vidique epitaphium antiquum, quod sequiore sæcu- «
lo pavimenti loco ad memoratum fontem immissum fuerat: «
inscriptio autem ferebat fontem Egeriæ esse, nymphisque dedi- «
catum. Ut poëtæ fabulantur, Egeria fuit Dianæ nympha, quæ «
cùm fratrem proprium deperiret, qui tum procul versabatur, «
ac stylum, ut fratri rescriberet, accepisset, in tantam lacry- «
marum vim erupit, ut miserata Diana dolentem verterit in «
fontem. Epitaphium autem memoratum indicat, ipsum esse «
fontem in quem Egeria commutata est. «

In villa Justiniana exstat ingens lapis quadrus solidus, in quo sculpta hæc duo Ovidii carmina sunt.

AEGERIA(sic) EST QVAE PRAEBET AQVAS
DEA GRATA CAMOENIS. ILLA NVMAE
CONIVNX CONSILIVMQVE FVIT.

Qui lapis videtur ex eodem Egeriæ fonte, aut ejus vicinia, istuc comportatus. Hic itaque fons Egeriæ nymphæ, quæ famosa olim fuit vulgatâ illâ atque commentitiâ cum Numa Pompilio consuetudine. Istic item erat lucus Egeriæ & Camœnarum, itemque Camœnarum pagus; quo loco, ut æstimatur, sita jam est S. Urbani ecclesia, spoliis templi Martis ornata.

Flaminius Vacca. In vinea è regione S. Sebastia- «
ni sita, memini repertas fuisse statuas multas quodam in loco, «
cujus pavimentum ornatissimum erat marmoribus variis, tes- «
sellato atque eleganti opere. Ad hæc, numismata bene multa «
igne labefactata: musiva item opera, sed ex muro collapsa. «
Non puto magnum fuisse ædificium, sed pulchrum, atque or- «
namentis variis decoratum. «

Haud procul, secundo ab Urbe milliari, viâ Appiâ, est ecclesia S. Sebastiani, omnium sermone celebrata. Ibi cœmeterium Callixti celeberrimum & catacumbæ. Ibidem, ut ignorat nemo, multa SS. Martyrum millia sepulta, multi summi Pontifices. Cathedram istic lapideam S. Stephani Papæ & Martyris vidimus, quam haud ita pridem Innocentius XII. dono dedit Serenissimo Magno Hetruriæ Duci, qui pretiosissimi cimelii loco, tale munus habuit, Florentiamque vehi curavit. Quod cadaverum meatuumque ritum seriemque spectat, vi-

denda quæ diximus ſuperius de cœmeterio S. Laurentii. In ſemitis ſubterraneis haud procul aditus jam eſt, etſi cum apertæ erant latè permeari poſſent; nam circumquaque variis tranſverſis, adverſis, averſis meatibus protenduntur. Verum quia locorum imperitis haud ſine periculo in profundiora curricula penetrare licet, hæc cauſa fuit ut obſtructæ conſilio ſemitæ non procul pateant. Narrant enim quempiam nobilem, qui cum familia incautè in hæc ſeſe loca conjecerat, numquam poſtea comparuiſſe. Incidi haud ita pridem in ſchedas cujuſdam peregrini Galli, qui emunctæ naris homo videbatur: narrabatque ſe ſocioſque paucos cum in hos ſeſe obſcuros tramites immiſiſſent, horis plus quinque ultro citroque oberraſſe, nec ſine diſcrimine numquam evadendi, niſi in operas incidiſſent quæ corpora eruebant.

E vicino conſpicitur circus Caracallæ lateritius, cujus ex altera parte muri conſiſtunt integri. Ab ima Circi parte ſunt turres lateritiæ; cujuſmodi in aliis quoque Circis exſtabant. Eas olim viri primarii & optimates hæreditario jure obtinebant, & pariter tranſmittebant in filios atque nepotes. Eratque illud eximiæ dignitatis argumentum; ſi quis turrem Circi ſpectandis equeſtribus ludis, obtineret. Hinc eſt quod Theodoricus Rex apud Caſſiodorum epiſt. 42. libri 4. de Marciani & Maximi adoleſcentum patritii generis jactura graviſſime conqueratur, & calamitatis non modicæ loco habeat, quod ii cum ob paterni funeris luctum ac pueritiam, à turre Circi, quæ ſibi hæreditario jure obvenerat, & à loco Amphitheatri aliquandiù abfuiſſent; *hac crudeli*, ait Theodoricus, *ſurreptione captata, turrem Circi atque locum Amphitheatri illuſtris recordationis patris eorum, deteſtabili ambitu à veſtris ſuggerunt faſcibus expetitum.* Exindeque jubet orphanis & adultis patritii generis reſtitui turrem & Amphitheatri locum. Ex quibus palam eſt viros Senatorios aſſignata ſibi in Amphitheatro loca, & aliquando turres in Circis proprias habuiſſe. Erat in Circi metis, quarum veſtigia adhuc conſpicua, obeliſcus ex marmore granito Ægyptio, qui tempore Innocentii X. in Agonalem plateam advectus & fonti impoſitus eſt. Hæret pene Circo magnum ædificium quadrum, quod paris antiquitatis fuiſſe videtur, porticibus intus circumquaque exornatum: aiunt quidam fuiſſe forum venalium; alii carceres Circi; alii aliud arbitrantur. Circum au-

tem iſtum Caracallæ eſſe, cùm vulgaris nec recens opinio, tùm numiſmata ejuſdem in queis circus exprimitur teſtificantur.

FLAMINIUS VACCA. Jam anni multi ſunt, cùm an- «
tiquitatum obſervandarum cauſâ, huc illuc diſcurrerem, acci- «
dit, dum verſus S. Sebaſtianum ad capita bubula agebam, ut «
ingruente pluvia, in diverſorium vicinum me proriperem, & «
donec ſudum cœlum eſſet, fabulari cum caupone cœpi. Is nar- «
rabat mihi, paucos ante menſes iſtuc veniſſe hominem qui poſ- «
cebat ignem: & inſequenti nocte eumdem in diverſorium ſe «
recepiſſe cum tribus ſociis & diverſoribus, & cœnaſſe unà qua- «
tuor. At tres adventitios ne quidem verbum feciſſe: cœnatos «
diſceſſiſſe, ſex inde diebus continuis repetiiſſe morem, & noctu «
cœnatum veniſſe. Caupo qui non naris obeſæ homo erat, ſuſ- «
picatur errones iſtos interdiu in latebris & ruderibus degere, «
captando maleficii aut homicidii occaſionem. Ne vero ut conſ- «
cius in crimen vocaretur, explorare cœpit quo pertinerent itiones «
iſtæ: quare cum cœnati de more diſcederent, ſenſim caupo «
favente luna obſervat homines, ac deprehendit ipſos in ſub- «
terranea quædam ad circum Caracallæ ſe intromittere. Inſe- «
quenti bene mane rem ille defert ad judices, qui eò ſe unà «
conferunt. In crypta nemo unus reperitur; ſed multam terram «
emotam conſpexerunt, & foveam tantam ſex illis diebus con- «
fectam obſtupuere omnes. In imo foveæ teſtas complures figli- «
norum vaſorum recens fractorum deprehenderunt, & riman- «
do in terra ferramenta effoſſionis tantæ repererunt. Hæc cau- «
po: cum autem vicinus eſſet locus, libuit explorare rei verita- «
tem, & eò me contuli, vidique foveam cum teſtis figlinis gran- «
dibus quaſi ſeriarum. Putatur autem ipſos theſaurum repériſſe: «
atque tres illi homines qui ſilebant, Gothi erant haud dubie, «
& fortaſſe fratres. Hi alium ſocietati ſuæ adſciverunt qui calle- «
bat linguam, nihilque ultra hac de re compertum fuit. «

Gothos vulgari ac plebeio ſui temporis uſu, vocat Flaminius quotquot è Septentrionalibus plagis Romam adventabant. Inſidet autem hodieque Romanæ plebis animis opinio, theſauros in Urbe, in agro, reconditos ſuffoſſoſque latere, quibus eruendis pernecеſſaria ſit Tranſalpinorum opera: ineſſe ſcilicet gentibus hiſce remotiſſimis peritiam eorum & artem exquirendi; ſive quod ii, ut quidam æſtimant, dæmones plus quam indigenæ dicto audientes habeant, ita ſcilicet delirant; ſive,

ut aliqui ſomniant, quod Gothi illi qui Italiam ipſamque Urbem multis hinc ſæculis expilarunt; cum denique re improſpere geſtâ Italia excedere compulſi ſunt, theſauros ex ſpoliis urbium templorum, ac cum primis ipſius Romæ, corraſaſque hinc & inde pecunias, quia ſecum aſportare, repentinis oppreſſi cladibus, non valerent, adpoſitis ſignis recondiderint, variiſque in locis ſuffoderint. Hujuſmodique ſigna aiunt tradidiſſe filiis & nepotibus, quorum ope jam ii reperiendis theſauris maximè valeant. Hinc narrant hiſtorias eorum qui hujuſmodi ducibus auri argentique vim maximam eruerunt. Vidi ſane viros doctrinâ graves qui hac opinione eſſent, & exempla varia proferrent. Ego vero, etſi æſtimo theſauros multis in locis latere, educique in dies, ſicubi forte fortuna in depoſita hujuſmodi excavando foſſores incidant; ita quamlibet ejuſmodi artem perquirendi, aut vanam, aut ſuperſtitioſam & damnandam arbitror, nec illicitam modo, ſed infructuoſam; neminem quippe vidimus hactenus hoc pacto fortunis reque familiari auctum: nam quæ narrant fabulæ ſunt. Gothi ſuperius memorati à Flaminio, an theſauri aliquid eruerint incertum; nullo dato facti teſtimonio. Si quid vero repertum ab iis ablatumque fuit; id caſu, ut aliis bene multis accidit.

Haud procul hinc in edito loco eſt turris ingens, rotunda, quæ, ut fert inſcriptio, Cæciliæ Metellæ Quinti Cretici filiæ, Craſſi uxoris, ſepulchrum erat, cujus muri tam ſolidi, ut ſpatium perquam minimum intus vacuum ſuperſit: & *torre di bove* dicitur à boum capitibus muro inſculptis. Huic ſequiori ævo, tempore inteſtinorum bellorum, ceu urbecula adjuncta fuit, cujus mœnia & turres etiamnum viſuntur; ita ut ſepulchrum Metellæ quaſi arx oppiduli fuerit. Ferventibus in Urbe factionum partibus, cum Urſini atque Columnæ mutuis cladibus perniciem inferrent civitati; in utriuſvis partis ditionem caderet, magni momenti erat.

Cum pergitur eadem via Appia infinita pene hinc & inde ſepulchrorum rudera occurrunt, quorum non pauca memorat Cicero in Tuſculanis, nempe Calatinorum, Serviliorum, Metellorum. Hujus rei occaſione factum quoddam adferre juvat, quod ſedente Innocentio VIII. contigit. Alii male in Alexandri ſexti tempus conſignant. Quidam in alium Pontificatum, vitiatâ in multis narratione. Is cujus ſchedæ penes me ſunt tempore Sixti IV. Innocentii VIII. & Alexandri VI. floruit, ocu-

latusque testis fuit, ideo cæteris anteponendus. Descripta porro Innocentii VIII. ægritudine, quæ accidit anno 1485. mense Martio, non assignatâ die, ita subsequitur.

« Eodem die fratres & Conventus sanctæ Mariæ novæ fodere faciebant in quodam eorum casali, posito extra portam Appiam, in viâ Appiâ, distans ab Urbe per 5. aut circa milliaria; & cum prope viam, vel in viâ ipsa à fundamentis quoddam sepulchrum destruxissent, in ultimo loco fundamenti, capsam quamdam marmoream marmoreo lapide coopertam, & implumbatam invenerunt: quod cum aperuissent, unum corpus cujusdam mulieris integrum invenerunt, *(sic)* quam cum aperuissent, invenerunt dictum corpus involutum cum quadam odorifera mixtura, seu infulâ aureâ in capite & cum capillis aureis circum circa frontem, & cum rubore, & carne in maxillis, ac si etiam viveret. Habebat oculos parum apertos, & os similiter; & lingua capiebatur & extrahebatur ex ore, & redibat in continenti ad locum suum. Deïnde albi & firmi unguli manuum & pedum: & brachia levabantur, & redibant ad locum suum, ac si nunc mortua fuisset. Stetitque per multos dies in palatio Conservatoris, ubi propter aërem, colorem tamen faciei mutavit; factaque fuit nigra; non propterea pinguedo, vel caro destructa erat. Cumque Conservatores in eodem pilo in locum juxta cisternam in reclaustro ejusdem palatii posuissent, à dicto Innocentio jussi, in locum incognitum de nocte ex porta Pincianâ in quodam vico vicino ejus, in qua fovea projecta fuit, reportaverunt, ibique illam sepeliverunt. Et illis primis diebus quibus inventa est, & ad dictum palatium delata fuit, tantus erat concursus hominum eam videre cupientium, ut passim in plateâ Capitolii vendentes olera & alia, ad instar fori, reperirentur, & mixturam odoriferam, cum qua involuta erat, ferebatur confectam esse ex myrrha olibano; alii ferunt aloë terebentina, quæ acutissimum, & quodam modo stupefactivum, odorem habebat. Et multi æstimaverunt cum ea repertam fuisse quantitatem maximam auri & argenti, & lapidum pretiosorum: quod æstimatum fuit ex eo quod fodientes, & qui super eos erant, numquam reperti fuerunt ulterius. Et ætas sua erat ut videri potest 12. vel 13. annorum: & erat adeo pulchra vel formosa, quod vix scribi seu dici possit; etsi diceretur vel scriberetur, à legentibus, qui non eam viderunt, minimè crede-

» retur. Et multi de longinquis partibus venerunt causâ videndi
» eam, & depingendi ejus pulchritudinem, & non potuerunt
» eam videre, quia fuerat, ut supra dictum est, secretum in lo-
» cum projecta: & ita malè contenti recesserunt, & pileus *(sic)*
» marmoreus ubi fuerat reperta, dimissus est in reclaustro dicto-
» rum Conservatorum.

Alia bene multa extra portam Capenam in antiquis Urbis descriptionibus feruntur, nam istæc loca frequentissima erant, spectabantque ad primam Urbis regionem, templis numinum multis ornata, quorum aliquot ad usque sæculum XVI. constiterunt: nam à Palladio & Sebastiano Serlio describuntur.

Per S. Sebastiani portam, olim Capenam, ingredientibus, usque ad nonum sæculum, ut supra observatur in allato loco anonymi ejusdem ævi, occurrebat forma Jopia, scilicet arcus aquæ Appiæ quæ vitiato nomine Jopia dicebatur, ex Marsorum regione Romam deducta. Post intra Urbem eadem via erat Cochlea fracta, eodem anonymo testificante, quod quidnam fuerit ignoratur. Primus ibidem post Cochleam fractam memoratur arcus Recordationis, qui unus ex memoratis via Appia arcubus fuerit necesse est; nimirum istic erant arcus Drusi, Trajani, Luciique Veri. Neque potuit arcus Recordationis idipsum esse, ut quidam rebatur, qui arcus Titi sive Septem lucernarum: nam ut fert anonymus, arcus Recordationis ad dexteram, S. Sixti ecclesiam habuit; ad sinistram vero S. Nereum & Achilleum atque thermas Antoninianas. Occurritque euntibus à porta Appia ad Septizonium & Septem vias, quod qua ratione de arcu Titi dici possit? Fortasse is ipse fuerit qui arcus Syllæ dicitur ab Anonymo nostro infra, quem intra portam Capenam versus S. Nereum memorat ille, quasi tum, id est sæculo XIII. adhuc consisteret.

Istic sunt thermæ Antoninianæ ab Antonino scilicet Caracalla fundatore mutuato nomine, quarum hodie magna pars consistit. De iis Spartianus ait: *Opera Romæ reliquit Thermas nominis sui eximias, quarũ cellam solearem Architecti negant posse ulla imitatione qua facta est fieri. Nam ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium, ut id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici.* Olympiodorus autem ait: *Habebant in usum lavantium sellas mille sexcentas è polito marmore factas*: optimeque conjectat post Mar-

tinellum Nardinus, ſellas Lateranenſes perforatas, necnon aliam ſimilem in Monte Caſſino, & ſi quæ id genus ſunt, fuiſſe thermis & balneis deputatas. Vel in ipſis harumce thermarum ruinis ſpecimen præteritæ magnificentiæ comparet; ſunt enim peramplæ: ferunt ſpatium thermarum interius ſeptingentorum cubitorum longitudine fuiſſe. Sub thermis in declivi verſus viam Appiam, longa ſeries camerarum ſeu tabernarum viſitur, quas æſtimo eſſe latus viæ novæ à Caracalla munitæ: nam ſitus apprimè conſentit cum iſtis Spartiani verbis: *Idem viam novam munivit, quæ eſt ſub ejus Thermis*, (Antoninianis ſcilicet) *qua pulchrius inter Romanas plateas haud facile quidquam reperias.* Thermæ Seminario R R. P P. Jeſuitarum attributæ ſunt.

E vicino erat domus Cornificii, cujus veſtigium exſtat imperfectum in tabulis Farneſianis apud Bellorium in *fragmentis veſtigii veteris Romæ*. Eratque illa porticibus inſtructa, & gradibus forinſecus. Huic proximum eadem in tabula exſtat veſtigium ſive ichnographia integra templi Minervæ, *Minerbæ* legitur ibidem, eratque quadrangulum oblongum. Iſtæ Minervæ ædes illius generis ſunt quod peripteron vocant, quaſi dicas, *circum-alatum*: alæ autem vocabantur columnationes ædem ambientes. Eſtque item pſeudodipteron, id eſt, dipteron mentiens; nam primùm dipteron conſtruebant, id eſt, duplicem alam & columnationem in circuitu. Verum Hermogene auctore demum uſu venit, ut columnatio interior auferretur, & ſic laxaretur ambulatio, quod genus alarum pſeudodipteron vocatum eſt, quia dipteri formam ementiebatur. Iſtic item proximè erant horrea & fons Lolliani. Horreorum ichnographia in memoratis tabulis exſtat, præbetque ſpeciem ædificii magnifici interiore porticu ornati. Iiſdem in partibus exhibent memoratæ tabulæ *Mutatorium Cæſaris*, quod imperitè *Imitarium* Cæſaris vocat Anonymus noſter infra. Enumerantur præterea, horti Aſiniani, ſive Aſinii Pollionis, Area radicaria, ſic dicta ut arbitrantur, quod ad radices Aventini eſſet, campus Lanatarius, templum Iſidis Athenodoriæ à Caracalla conſtructum, ædes Bonæ deæ ſubſaxanæ, Fortuna mammoſa, ſic dicta fortaſſis quia inſtar Dianæ Epheſinæ frequentes mammas habuit; domus ſeptem Parthorum, Ara Invernæ, &c.

Caput XII.

DIES QVINTA. Aventinus mons. Templum & balneum Mercurii. Ecclesia S. Sabinæ. Inscriptiones ibidem. Epitaphium Hugonis Cardinalis restitutum. Epitaphium Eutonii. Alia quædam in eodem monte. Urna grandis Vespasiani & Titi in ecclesia S. Sabæ. De templo Silvani in Aventino. Numismata Helenæ Augustæ. Sacellum elegans ubi unus per fornicem aditus. De quibusdam prope Doliolum erutis. Ecclesia S. Pauli.

HAc die cursum inimus ab Aventino monte. In primo clivi aditu erat templum Mercurii de quo Anonymus noster infra. *In Aventino fuit templum Mercurii aspiciens in circo, & templum Palladis & fons Mercurii, ubi mercatores accipiebant responsa.* Hæc ille vitiatâ, uti solet, sententiâ ex Fastis Ovidii lib. v. mutuatus est, ubi ita legimus,

Templa tibi posuere patres spectantia Circum,
Idibus, ex illo est hæc tibi festa dies.
Te, quicumque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra rogant.
Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.

De templo itaque Mercurii hæc habemus: eodemque situ proximo sæculo deprehensum templum Mercurii narrat Angelonus in M. Aurelio, cum ara ejusdem templi & porticu, qualis depingitur in nummis M. Aurelii cum inscriptione RELIG. AVG. De fonte autem Mercurii, quem ibidem memorat Anonymus, nonnisi in Anonymo alio noni sæculi, cujus locum superius adtulimus, mentionem reperi. Sic ille. *Inde per Scholam Græcorum: ibi in sinistra Ecclesia Græcorum. Ibi est aqua subtus montem Aventinum currens, Scala usque in montem Aventinum & balneum Mercurii.* Æstimarim autem balneum Mercurii & fontem ab altero Anonymo memoratum, idipsum esse. Nam aqua Mercurii de qua Ovidius, cum portæ vicina Capenæ fuerit, non potest esse fons ille Anonymi, Mercurii nomine insignitus.

Aventinus

Aventinus mons, ſic denominatus ab Aventino Herculis filio, per clivum S. Anaſtaſiæ vicinum conſcenditur, qui clivus olim ſublicius vocabatur: ibi quondam templum Floræ. Eccleſia S. Sabinæ quæ prima occurrit eodem, ut vulgatior fert opinio, ſitu eſt quo olim templum Dianæ. Iſtic erat domus S. Sabinæ Martyris, non quæ totum locum, ubi & eccleſia & Cœnobium ſitum eſt occuparet, ſed partem ſolummodo. Eccleſia ſatis ampla titulus Cardinalitius eſt, in qua requieſcit ſanctæ Sabinæ corpus cum aliis Sanctorum reliquiis. Inſtaurata porro fuit variis temporibus, à Conſtantino, ut putant, primùm ædificata. At vetus inſcriptio in muſivo ad imum Eccleſiæ, fundatam narrat à Petro quodam Illyrico, tempore Cœleſtini primi Papæ; niſi fortaſſe metrico ſtylo *fundavit*, pro *adauxit*, vel *reſtauravit* intelligatur. Hæc carmina ſunt.

Culmen Apoſtolicum cum Cœleſtinus haberet
Primus & in toto fulgeret epiſcopus orbe,
Hæc quæ miraris fundavit preſbiter Urbis
Illirica de gente Petrus, vir nomine tanto
Dignus, ab exortu Chriſti nutritus in aula,
Pauperibus locuples, ſibi pauper, qui bona vitæ
Præſentis fugiens meruit ſperare futuram.

Ex alia muſivi operis parte ad pedes muliebris figuræ legitur, *Eccleſia S. X. Circumciſionis*; ex altera vero parte ad pedes ſimilis figuræ, *Eccleſia ex gentibus*. Columnis marmoreis ſtriatis hinc & inde fulcitur eccleſia. Pavimentum fragmentis marmorearum tabularum, & ſepulcrorum confectum eſt. Inſcriptiones quaſdam inde erutas hic adferimus.

. . . . NTIANI ET EPINICENIS
. . . . III ET FL. EVTICIANO VV. CC. COS
XVI KAL. OCTOBR. DEPOSITVS EST
IACIS QVI VIXIT ANN. P. M. LXV.

Alia mutila & eraſa 2.

PACE PRAETESTAT MIP. CO
. . . . AVG. CONSS RVSTICI ET OLIBRI
. . PACE DEP V. ID MART
. . . . . . ETHERMINERIC . . . . . .

Alia 3.

DEP. ACINDYNES
PR. KAL. OCT.

Alia 4.

LLAEBENE MEZENTI FILIAE
DVLCISSIM. QVAE
VIX. ANN. XXII. MENSIS XI. DIES XVIIII
DEPOSITA DIE IIII KALENDAS MAIAS
IN PACE
PARENTIS FECERUNT.

Alia 5.

OC. TAVIAE MA. TRONAE *ſic puncta*
VIDVAE DEI.

In prima inſcriptione ſic ſupple : *Eutropio tertiùm, & Eutiↄ ciano viris clariſſimis Conſulibus*; in quarta linea æſtimo legendum, *in pace qui vixit annos plus minus LXV.* ſolaque ſculptoris imperitiâ incuriâve IACIS ſcribitur. Ex conſulatûs nota, anno Chriſti 399. ſculptum epitaphium deprehendimus.

Secunda inſcriptio ex conſulatu annum Chriſti præfert 520. longe imperitiore manu ſcalpta. Quinta ſingularis eſt, eo loquendi modo *viduæ Dei*: queîs fortaſſe indicetur fuiſſe viduam Deo piiſque operibus conſecratam, quales deſcribit S. Paulus. Mirum quam ſpiſſis erroribus conſperſa ſint hujuſmodi Chriſtianorum epitaphia. Lubet adjicere, in rei fidem, quædam alia mihi iſtæc typis danti tranſmiſſa à viro clariſſ. & amiciſſimo Philippo à Turre, quem pietatis eruditioniſque gratia in epiſcopum Hadrienſem nuper adlegit ſummus Pontifex Clemens XI. quæ monumenta penes Marchionem de Angelis viſuntur, eruta ex cœmeteriis & mirè barbara ſunt.

I

DOMITIANVS CEQVENTI
RISI AN. XXII. MESES X.

Ubi *Cequenti* pro *Quieſcenti* vides, quod imperitè etiam pro, *quieſcens*, ſtaret. *Riſi*, legitur pro, *Vixit*,

2

BASSILIANVS ΛESSORCISTA *Exorcista*
COIVGI BENEMERENTI IN PACE.

Eſt cum fabri imperitiâ, talia edantur epitaphia, ut ne verbum quidem ſanum occurrat; ſic illud

A ☧ ω
S. M. E. I
MA. TR
NOS. TR
T. I. G. R
CESQVENTI
IN PACE. VI
K. MAI

Ubi item *Ceſquenti* pro *Quieſcenti* vides.

Inſignem item ſepulcralem tabulam æneam vidi quæ inſcriptionem habet ſex verſuum Leoninorum, ab Ughello quidem allatam, ſed multis in locis vitiatam & uno verſu mutilam. Eſtque Hugonis Cardinalis ſepulcrum. Sic legitur in tabula.

Ugo vocatus homo fuit hic, & de Biliomo
Per Montem clarum dedit hunc Alvernia carum,
Ordinis hic frater qui prædicat. Hunc bona mater
Edidit ad ſtudia doctorum Teologia.
Hoſtia & Velletrum titulum dant ordinis iſti,
Cui ſocios Petrum Paulum det gratia Chriſti.

Sepulcralis hæc tabula pro inſignibus præfert, tria leonum capita. Sic eam Ughellus adfert. Tom. 1. p. 86.

Hugo vocatus homo fuit, hic de Bibliomo
Per mortem clarum, dedit hunc Arvernia carum
Ordinis hic frater quippe dicat, hunc bona mater
Edidit ad ſtudia doctorem Theologia
Cui ſocios Petrum & Paulum det gratia Chriſti

Cœnobium & eccleſiam obtinent Dominicani, qui ſtrictioris diſciplinæ normam præferunt, ut aliis Urbis Monachis exemplo eſſe poſſint. In iis R. P. Auguſtinus pietate vir & doctrina clarus. Monſtrant in eccleſia marmoreum ſtratum in quo de-

cumbens S. Dominicus noctes agebat, grandemque marmoreum globum, quem aiunt diabolum olim immisisse in caput S. Dominici, sed imperitè jaculatum à scopo aberrasse.

Sanctæ Sabinæ vicina est quædam R R. P P. Jesuitarum villa, in qua sequens epitaphium Græcè metrico stylo scriptum exaravi, & sculptore & auctore non ita elegantibus.

ΤΟΝ ΣΟΦΙΗΣ ΠΡΟΥΧΟΝΤΑ ΚΑΙ ΕΥΤΕΚΝΙΗΣ ΑΡΟΤΗΡΑ
ΤΟΝ ΠΑΤΕΡ' ΗΜΕΤΕΡΟΝ * ΠΟΜΟΙΣΙ ΧΡΟΝΟΙΣ ΓΕΓΑωΤΑ
ΤΟΝ ΤΡΙΣ ΑΡΙΣΤΕΥΣΑΝΤΑ ΣΥΝ ΕΝΤΕΙΜΟΙΣΙ ΦΙΛΟΙΣΙ
ΕΥΤΟΝΙΟΙ ΠΑΙΔΕΣ ΠΑΤΕΡ' ΕΥΤΟΝΙΟΝ ΤΕΘΝΕωΤΑ
ΠΟΛΛΑΚΙΣ ΥΜΝΗΣωΜΕΝ ΕΝ ΑΙΣΤΗΛΑΙΣΙ ΓΡΑΦΕΝΤΑ. (sic)

* πρώμοισι

Hoc est. *Sapientia præstantem virum, bonæque prolis satorem*
Patrem nostrum priscis ortum temporibus,
Qui ter victoriam & præmium retulit cum honorabilibus amicis,
Eutonii filii patrem Eutonium mortuum
Sæpe celebrabimus, hoc in cippo inscriptum

Proxima est ecclesia S. Alexii Hieronymianorum, de qua nihil succurrit novi, etsi ea multis nominibus celebris sit. Hæret huic prioratus S. Mariæ, in cujus Ecclesia sepulcrum singulare elegantisque formæ, nulla inscriptione. In medio vir volumen tenet. Ad cujus sinistram Minerva erectam hastam manu tractat; consequenter mulieres videntur lyram pulsantes, quarum duæ caprino pede vice plectri utuntur. Aliæ mulieres alia instrumenta pulsant. Ex sinistroque latere figura libans inferiis. Hæc profana funera præferunt: attamen arbitror, non antiquum esse tumulum, sed commentum cujusdam docti artificis, qui fucum multis facere tentaverit.

In alio montis latere visitur ecclesia S. Priscæ in ruderibus thermarum Decii, aut, ut alii æstimant, Helagabali excitata: quæ Helagabali thermæ, Varianæ vocabantur, à Vario Helagabalo. Est autem titulus Cardinalitius, olim è numero XXIV. Abbatiarum. Istic aiunt sæculo Christi fuisse domum Priscillæ & Aquilæ, de quibus in Actibus Apostolorum. Adest corpus S. Priscæ in sacello subterraneo; monstrantque vas in quo S. Petrus Priscam baptizavit.

In eodem Aventino est ecclesia S. Sabæ, quæ item in numero XXIV. Abbatiarum censebatur, non inelegans, & jam Col-

legio cuidam R R. P P. Jesuitarum attributa. In porticu visitur ingens urna marmorea, anaglyphis ornata, quæ ab aliquot jam sæculis sepulcrum Vespasiani & Titi putatur esse, sed nullâ notâ, sine aliqua inscriptione. In hortis Aventinis putat Donatus fuisse templum Silvani, quod ex inscriptione proximè thermas Antoninianas effossa, sed ab se multis in locis augurando restituta, confirmat ille. Erant porro Aventini horti versus S. Balbinam & S. Sabam; in hujusce postremæ ecclesiæ hortis, inscriptionem sequentem erui, quæ Donati opinionem asserere videtur.

S A N C . . . . *sancto*
S I L V A N O
E X V O T O
T. F L A V I V S
NICHEFOR . . . *sic*
D D.

Multa in monte Aventino eruta recenset Flaminius, quæ nos hic confertim proferimus.

F L A M I N I U S V A C C A. Recordor tempore Pii IV. « Matthæum de Castello, dum in Aventino monte vineam com- « planaret, fodiendo reperisse vasa plumbea, quibus inerat vis « magna numismatum aureorum cum effigie sanctæ Helenæ, in « eorum postica crux impressa. Hæc ille subito summo Pontifici « sistit. Is conspectâ Matthæi ingenuitate, totum ipsi dono dedit. « Verùm tanta fuit Cubiculariorum aviditas, ut ad ducenta Mat- « thæus exoneraret; ita mihi ille narrabat. Singula porro numis- « mata, quorum numerus erat millium circiter & octingentorum, « à duodecim ad viginti argenteos Julios pendebant. «

Tempore Gregorii XIII. recordor in eodem Aventino mon- « te, in hortis sanctæ Sabinæ, reperta fuisse molendina, sive ma- « nuaria pistrina bene multa ex rubro lapide, qualis invenitur « Barcenni. Æstimatur hoc loco arcem fuisse, ad quam confuge- « rant quidam sequiore ævo dum ferverent studia partium, ipsos- « que pistrinis hujusmodi frumenta & legumina moluisse ad usum « quotidianum. Erant item maceries multæ plebeiarum casarum. « Et quia Aventinus versus Tiberim præruptus arduusque est us- « que in Testaceum montem, idcirco in mentem venit illo præ- « sidio usos. «

» In eodem Aventino monte vir cl. de Maximis verſus mon-
» tem Teſtaceum in vinea ſua invenit ſtatuam ex baſalte viridi.
» Aiebant eſſe Herculis filium, ætate puerili, capite pellibus leo-
» nis operto & clavâ in manu. Fabulantur poëtæ memoratum
» montem fuiſſe Herculis filio dicatum, qui Aventinus vocaba-
» tur. Hæc ſtatua in Capitolio nunc habetur. Ipſam enim Roma-
» ni mille nummis à Domino de Maximis coëmerunt.

» Audivi à Flaminio Galgano, cui villa erat è regione S. Sabæ,
» ad radices Aventini, quo loco ex lapicidinis, pro fabrica mu-
» rorum Urbis, tophus eruitur; ſe, cum in topho excavaret, in-
» veniſſe cellulam ornatiſſimam, cujus ſtratum aiebat, ex acha-
» te & corneolis confectum. Oſtenditque mihi aliqua tophi fruſta
» ex muro ſacelli educta. Erat porro murus veſtitus ære inaurato,
» cum numiſmatibus in opus adductis, diſcis item & vaſibus æneis;
» ſacrificiorum ſcilicet inſtrumentis. Sed hæc omnia igne labe-
» factata fuerant. Cellula iſthæc portis ac feneſtris carebat, ne-
» ceſſeque erat ut à faſtigio deſcenderent. Hæc narrabat mihi
» Flaminius.

Nihil dubium eſt, hanc ædiculam numini cuidam ſacram, aliquam earum eſſe quæ à Rufo in regione Aventini montis enumerantur. Nuſquam porro memoratam vidi ædem hujuſmodi, ad quam unus à fornicis medio aditus. Feneſtris vulgo carebant antiqua paganorum templa, ab unoque oſtio & luci & plebi acceſſus.

» Memini Fabium Galganum ejus fratrem in eadem villa re-
» periſſe vas ex alabaſtrite flavo, latum quà major latitudo qua-
» tuor palmis ac dimidio, altum ſex palmis, cum operculo: erat-
» quo adeo tenue, ut fabri manu ad majorem quam vaſa figlina
» ſubtilitatem deductum eſſet. In quod ſi lumen intromitteretur,
» ad ſtuporem uſque pellucidum erat, vaſque cineribus oppletum
» deprehenſum eſt. Puto poſt mortem memorati Fabii, Coſmum
» magnum ducem vas illud obtinuiſſe cum aliis bene multis an-
» tiquitatum monumentis, quæ longo tempore collecta ſunt.

» In radicibus Aventini montis è regione S. Sabæ, in vinea quæ
» hodie eſt D. Joſephi Grilli, detectus fuit Faunus marmoreus ſe-
» dens, ſtaturâ vulgari, doctiſſimo artifice, cum aliis ſtatuarum
» fragmentis. Invenit quoque ipſe lebetem æneum plenum nu-
» miſmatibus æneis magnitudine unius quadrantis, terra obrutis
» & deformatis, ut numquam potuerim ad quem Imperatorem

pertineant explorare, & quaſdam anſas, ſitulas quoque æneas, « par forficum ænearum longitudine duorum palmorum & dimi- « dii; quæ ea ratione confectæ erant, ut pars altera firma conſi- « ſteret, altera ad ſecandum moveretur, queîs uti ſolent ſtannei « artifices, & qui tabellas æneas ſecant. Quæ forfices indicio mi- « hi ſunt, iſto in loco fuiſſe fuſorias officinas, nam ſunt revera in- « ſtrumenta fuſorum. Hæc anno proximo (*ſcilicet 1593.*) reperta « ſunt, dum terram excavarent: neque dubium eſt alia repertum « iri quibus rei veritas indicetur. «

Doliolum ſive mons Teſtaceus à teſtis doliorum aliorumque vaſorum frequentiâ utrumque nomen mutuatur; ibidem quædam effoſſa memorat idem Sculptor.

Flaminius Vacca. Recordor proximè Tiberim « verſus Teſtaceum montem, in villa equitis Surrentini, magnam « copiam erutam fuiſſe marmorum Africanorum & Portæ ſan- « tæ, quæ ad uſum fornicis cellæ vinariæ rudi opere ſcalpta erant. « Reperit idem eques columnas ex marmore Sabino & Sipollino « ſimiliter rudi opere. Itemque duos Lupercales belliſſimos qui « uvas manu tenebant, trunco nixos, cui hærebat caprina pellis, « intra pellem vero obvoluti erant aliquot cuniculi. Repertum « item fuit caput marmoreum Coloſſi; cujus longitudo à mento « ad capillorum radices, ſeptem palmorum erat. Id coëmit ſcul- « ptor, cujus domus prope arcum Portugalliæ. Caput autem à « latere arcûs nunc conſidet. «

Porta ſancta genus lapidis eſt, in ædificiis Romanis non infrequens, quibuſdam lineamentis maculiſque rubeis diſtinctum. Ita dictum quia, ut videtur, porta quædam ſancta eo lapide ſtructa ornataque fuit. Marmor Sabinum ſic vocatum æſtimo, quia è Sabina eductum. Sipollinum genus marmoris albi eſt maculoſum, quod quaſi cepe, vernaculo idiomate *Sipolla*, detritum ceu in ſquamas & folia reſolvitur. Cuniculos ad Lupercalium cultum adhibitos nuſquam comperi. Coloſſale demum caput, aliquod eorum fuerit quæ ſupra recenſuimus.

Flaminius Vacca. Anno proximo (*ſcilicet 1593.*) « prope Teſtaceum montem in loco qui dicitur *La Cæſarina*, de- « tectæ ſunt columnæ quædam flavæ, quæ per Tiberim fluvium « advectæ ad ripam exoneratæ fuerant. Sunt etiam ibidem mar- « mora varii coloris, primis ſcalpri ictibus elaborata: quæ jamdiu « iſtic eruta, ſed operta maculis ſuperficiem deformantibus, & «

„ circumdata duriſſimis Chalcedoniis; quæ cauſa fuit ut iſtic re-
„ manerent. Ad ripam Tiberis, muri apothecarum & receptaculi
„ more ſtructi *(à modo di Magazini)* eminebant, & viſitur ibidem
„ quaſi ſinus, Tiberis portum conſtituens. Columnas memoratas
„ à magno Hetruriæ Duce emtas arbitror: nam curabat ille ut
„ earum potiretur.

E vicino eſt nobile mauſoleum C. Ceſtii epulonis, pyramidis formâ, marmore veſtitum, nam ædificii moles lateritia eſt. De forma & picturis ejuſdem docte diſſeruit Octavius Falconerius. Extra portam Oſtienſem quæ huic pene monumento hæret, detectus fuit leo marmoreus qui equum diſcerpit.

„ FLAMINIUS VACCA. Audivi à D. Vincentio de Ru-
„ beis *(Roſſi)* magiſtro meo, equum atque leonem qui in Capi-
„ tolio ſunt, &, ut aiunt, ad Tiburtinorum hiſtoriam pertinent,
„ Paulo III. pontifice, viarumque tunc curatore Latino Juve-
„ nale, antiquitatum ſtudioſiſſimo, inventos fuiſſe in aqua ad
„ piſtrinum extra portam S. Pauli, & advectos in Capitolium. Ne-
„ que proinde mirum ſi marmoris ſuperficies aquâ detrita ſit.
„ Eſt autem peritiſſimæ manus opificium.

Quem vertimus locum. *Et, ut aiunt, ad Tiburtinorum hiſtoriam pertinent*, in ſchedis Flaminii ita legitur, *Dicono hiſtoria de Tivoleſi*, nec ſatis perſpectum mihi quid iis ſignificetur.

Via Oſtienſi, uno atque dimidio à pyramide milliari, eſt eccleſia S. Pauli immanis vaſtitatis, cujus valvæ ære obductæ. Navis ut vocant eccleſiæ 80. columnis ſtriatis fulcitur. In preſbyterio duæ columnæ ſunt ex marmore granito Ægyptio, quæ ſpiſſitudine & ſublimitate cum columnis Pantheonis & B. Mariæ de Angelis concertant. Altare majus eleganti ſtructura columnis porphyreticis. Pavimentum magna parte inſcriptionum fragmentis conſtat; quæ non modico volumine cuſæ Romæ ſunt. Infinita pene alia in deſcriptionibus Romanis hac in eccleſia, quæ Caſſinenſium noſtrorum eſt, enumerantur. Pone eccleſiam ad viam Oſtienſem viſitur marmorea columna anaglyphis inſculpta haud peritæ manus, quæ ſacros ne an prophanos ritus præferat incertum. Eadem via Oſtienſi ſunt eccleſiæ tres ad aquas Salvias, unoque ulterius milliari eccleſia B. Mariæ Annuntiatæ, quæ ſexcenties deſcriptæ ſunt.

CAPUT

Caput XIII.

De Capitolio. Columna Milliaria ubi deprehensa. Via subterranea olim pervia in Capitolino monte. Anaglyphum Mithræ ibidem. Singularia in ædibus Capitolinis. Putei ad sedandos terræ motus. Templi ignoti rudera. Templum Concordiæ. De multis ad arcum Severi effossis erutisque. De templis S. Martinæ, & S. Hadriani. Templum Antonini & Faustinæ, & arcus Fabiani. Templum Remi & Romuli. Ichnographia Urbis ibidem eruta. Templum Pacis. Ecclesia S. Mariæ novæ. De quibusdam proximè erutis. Turris Chartularia in arcu Titi. Horti Farnesiani. De majori Palatii Augustorum ostio. Caput Jovis Capitolini. Anaglypha Amazonum. Hercules Lysippi. De circo Maximo. Statua colossalis Apollinis ænea in Palatino. Lacus & anaglyphum Curtii. Templum Julii Cæsaris ubi situm. De Faustulo pastore & de Lupercali. De Janis. De Cloacis. Templum Vestæ. Ecclesia Armenorum. Statua Julii Cæsaris detecta.

A Capitolio sexta die ordimur, cujus adspectus ex parte hodiernæ Urbis accedentibus magnificus. In area Capitolina spectabilia bene multa comparent, M. Aurelii equestris statua, de qua supra ad Scalam sanctam actum est: Opus egregium, quod malleo ductum, non fusum esse, periti arbitrantur. Columna milliaria ad radices Capitolii, quà theatrum Marcelli spectat, Flaminii tempore eruta, ut habet ipse.

Flaminius Vacca. Recordor ad radices Tarpeii versus theatrum Marcelli, detectam fuisse columnam Milliariam, quæ jam in Capitolii platea considet: & quo loco reperta fuit, in ædificium quoddam adhibita fuerat.

In bene multis Urbis partibus, postquam ea frequentibus barbarorum populationibus vastata, ruinis ædificiorum opple-

ta manſerat; ex columnis paſſim jacentibus porticus confectæ ſunt, queis impoſitæ domus, inſtar hodiernarum Bononienſium, tutas â pluvia ab injuriiſque temporum vias parabant. Exinde vero ſequiori ævo porticus atque columnæ obſtructæ muris fuere. Eodem porro ſitu atque uſu columna iſtæc Milliaria deprehenſa eſt.

Ibidem videre eſt tropæa Marii, ex caſtro aquæ Martiæ iſtuc comportata; ſtatuas Caſtoris & Pollucis, quæ quo loco erutæ fuerint narrat infra Flaminius. Rem ſingularem nobilis idem ſculptor aperit; fuiſſe videlicet olim ſub Capitolio viam ſubterraneam, qua à Septimiano arcu ad adverſas montis radices, quo loco ſita hodierna Aræceli ſcala, planâ viâ tendebatur, quæ ruderibus immenſis obruta obſtructaque fuit.

» FLAMINIUS VACCA. Memini vidiſſe me à puero ri-
» mam inſtar voraginis in platea Capitolii. Et quidam eo ingreſſi
» dicebant exſtare ibidem mulierem tauro vectam. Confabulatus
» aliquando cum præceptore meo Vincentio de Rubeis *(Roſſi,)*
» eo narrante didici, ipſum, cum ſeſe in voraginem intromiſiſ-
» ſet, vidiſſe in marmoreo anaglypho hiſtoriam Jovis & Europæ,
» ad alterum vici latus muro adfixam, qui vicus à Septimiano
» arcu ad imum ſcalæ eccleſiæ Aræcæli, perfoſſo monte, planâ
» viâ tendebat. Quod ſi hodie obrutus vicus & monti æquatus eſt,
» nihil mirum, animadverſâ ingenti ruinarum copiâ, ex Capito-
» linis ædificiis delapsâ.

Anaglyphum à Flaminio memoratum, ut quidem auguror, non Europam & Jovem exprimebat, ſed Mithram tauro inſidentem, cujus item indicium eſt, quod in obſcuro meatu repoſitum eſſet; ſolebant enim in antris abditiſque locis Mithram locare. Atque ut in eleganti opere de Mithra narrat vir doctus & amicus Philippus à Turre, jam epiſcopus Hadrienſis, juvenili facie tauro inſiſtens variis in marmoribus ſculptus viſitur, quo factum ut proclivi lapſu Flaminius, haud ita peritus typorum arbiter, Europam eſſe tauro inſiſtentem æſtimarit. Cui conjecturæ noſtræ calculum additurum eſſe memoratum virum nihil ambigimus.

In ædium vicinarum impluvio, exſtant coloſſales reliquiæ ſuperius à nobis recenſitæ, Alexandri Severi & Mammææ matris tumulus, cujus anaglyphum, non raptum Sabinarum, ut vulgaris fert opinio, ſed funereos ludos pedeſtres, equeſtres præ-

fert, quales in multis ſolent veterum mauſoleis. Multa alia ibidem ſpectaculo digna ſuſpiciuntur: columna roſtrata Duilliana, ſtatuæ Julii Cæſaris, Auguſti & Conſtantini magni, Ægyptiacum numen in muro ſublime, Canopum æſtimo; aliaque antiquitatis monumenta, in ſcalis, in conclavibus: queis de more, utpote notiſſimis, recenſendis ſuperſedemus. In ædibus publicis è regione poſitis, offertur oculis Marforius decumbens, humana longe major proceritate, quem pro Rheno fluvio habent; is quo loco erutus ſit mox recenſebit Flaminius, Titi Antonini ſtatua ſacrificantis ritu, Fauſtinæ apotheoſis. In conclavibus capita marmorea Socratis, Platonis, Alcibiadis, Hieronis, Sapphûs, Ariadnæ, ſingula nominibus inſcripta ſuis, Neronis pueri, Trajani, Antonini pii, ſtatua Mammææ, &c.

FLAMINIUS VACCA. In monte Tarpeio pone ædes « Conſervatorum verſus carceres Tullianos, memini effoſſas fuiſſe « pilas multas marmoris ſtatualis, cum capitellis tantæ molis, ut « ex eorum aliquo, juſſu magni Ferdinandi Hetruriæ ducis, leonem illum, qui in hortis Mediceis S. Trinitatis ad montem Pincium, elaborarim. Ex memoratis autem pilis, Cardinalis Federicus Ceſius per Vincentium Rubeum ſtatuas omnes atque prophetas, quæ jam in ejus ſacello ad S. Mariam de Pace viſuntur, confici curavit. Aiebant eſſe templum Jovis Statoris, ſed « neque zophori, neque alia iſtius templi ſigna & rudera reperta ſunt. Æſtimo templum iſtuc, cum in ejuſdem montis clivo ſitum eſſet, his ſponte lapſis & amotis ſpoliatum eſſe; aut « Gothorum furore præcipitata iſtæc rudera; aut demum ignotâ de cauſa abſolutum templum non fuiſſe. «

Hæc minimè poſſunt ad Jovis Statoris templum pertinere. Id enim, ut nemo neſcit, non in Tarpeii, ſed in Palatini montis acclivi ſtructum fuit.

FLAMINIUS VACCA. In memorato Tarpeio monte « verſus eccleſiam Conſolationis, recordor Mutium de Leis & « Agrippam Maceum, cum ædificarent è latere montis, incidiſſe « in fragmenta multa, quæ omnia opere quadro erant, ex vertice montis collapſa, qui locus bene multis puteis, jam olim veterum ævo in topho excavatis, inſtructus eſt: ii uſque adeo profundi ſunt, ut ad planum Urbis ſolum deveniant. Mutius porro de Leis cæmentarium in imum deſcendere juſſit, quem percontatus ego edidici, in imo putei repertum fornicem ſatis am- «

„ plum, rotundum, in cujus medio grandis canalis erat. Iſtis pu-
„ teis videntur uſi Romani tempore obſidionis. Ut multorum fe-
„ rebat opinio, ideo effoſſi putei, ut terræ motus hujuſmodi mea-
„ tibus ſedarentur. Sed quia ſub hæc rem diligentiùs exploravi,
„ dico non tantum ob aquæ commodum, verum etiam ad vitan-
„ dos terræ motus hæc conſideratiſſimè facta.

Eccleſiam B. M. *de Ara celi* in ipſo putant eſſe ſitu quo olim templum Jovis Capitolini, ut ex veteri traditione firmatur. Non deſunt tamen qui ex alia montis parte verſus Tiberim tam arcem quam Jovis Capitolini templum ſtatuere conentur. Cum autem ſuccurrat nihil quod in utramvis partem calculum ferre ſuadeat, peritioribus rem mittimus. Templum iſtuc ducentorum pedum longitudine, & quindecim demtis, tantumdem latitudine fuit. Erat porrò intus oppletum ſacellis aliorum numinum; ac in illius faſtigio viſebatur ſtatua dei Summani. In Eccleſiam hodiernam de Araceli, grandi ſcala marmorea 122. graduum aſcenditur: qui olim, ut quibuſdam placet, à templo Quirini in Quirinali ſito, iſtuc advecti ſunt. Templum hodiernum Franciſcanorum eſt, fultum duplici columnarum ſerie, quas putant Templi Jovis Capitolini fuiſſe. Monſtrant iſtic aram ab Auguſto, ut aiunt, tempore nativitatis Domini conſtructam, cum hoc titulo, *Ara primogeniti Dei*. Pone altare majus in Choro viſitur tabella ſacræ familiæ elegantiſſima, auctore Raphaële Urbinate.

Mons Capitolinus bivertex erat, ac demiſſo medio, duo utrinque ceu cornua prominebant. Verſus Tiberim rupes Tarpeia ſita eſt, quæ decidente in dies terra, ac fortaſſe ruinis domorum & templorum jam olim dilapſis, eo redacta eſt ut jam modicum prærupti atque ſaxi promineat.

Deſcendentibus ex parte fori Romani, ſive ut hodie, Campi Vaccini, primo ad dexteram occurrunt tres columnæ Corinthio ordine cum capitellis, epiſtylio & coronide: ſingulare eſt, zophorum inſculptum eſſe ſacrificiorum vaſis: alii templum Jovis Tonantis, alii Jovis Feretrii fuiſſe dicunt. Qui ſæculo decimo ſexto ſcripſerunt, dicunt Templum fuiſſe dipteron, id eſt, duplici ala atque columnatione forinſecus, quod ex veſtigiis illo ævo remanentibus potuit explorari. Intercolumnia, illius generis ſunt quod pycnoſtylon vocatur, intercapedine ſcilicet unius ac dimidiæ columnæ.

Paulo inferius versus forum, exstant reliquiæ templi, quod Concordiæ fuisse æstimant periti, & sane templum Concordiæ ad radices Capitolii, à latere fori fuisse constat. Superest autem frontispicium sex columnarum, quo indicatur ostium, non versus forum, sed versus carceres Tullianos fuisse situm. Inde Nardinus arguit non esse templum Concordiæ: nam, inquit, Cicero Philippica X. hæc habet: *Equites Romani qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterant.* Stabant autem equites spectando versus forum, unde consequitur, inquit Nardinus, gradus ostii templi Concordiæ, atque ideo ipsum ostium & frontispicium, spectasse ad forum non ad carceres Tullianos. Verum non tanti est hæc Nardini ratio, ut à vulgari & trita sententia nos diducat. Nam etsi gradus ostii hujusce templi à fronte carceres Tullianos respiciant, extrema sane graduum versus forum erant, & quidem longa serie; cum enim in clivo sit templum, ut ex plano ascenderetur, graduum complurium usus fuit. Ad hæc in fragmento veteris vestigii Romæ, in loco ubi dirupta prima nominis parte O R D I A legitur, id est, Concordia, vel templum Concordiæ; hujusce templi ichnographia depingitur, cum sex in anteriori facie columnis, quot hodieque erectæ consistunt, cum binis etiam à lateribus, quæ porticum & prostylon more veterum templorum conficiebant. Me planè fugit quare tam levi ductus indicio Nardinus, vulgarem & fundatam scriptorum turba opinionem aggressus sit; quasi vero non possint spectatores, in scalis, cujusmodi erant illæ veterum templorum, plerumque etiam hodiernorum, à lateribus consistere.

Ante Capitolinum clivum est arcus Severi marmoreus, ubi sculptæ ejusdem Severi victoriæ, quæ ætate ac temporum injuria erasæ passim ac labefactatæ sunt. Æstimant peritiores architecti ex aliorum ædificiorum spoliis arcum erectum magna parte fuisse. A Caracalla excitatus fuit arcus, cujus tamen nulla mentio apud Spartianum, licet opera illo auctore confecta enumeret accuratè: nam de porticu bis agit iisdem prorsus historiis & ornamentis, quæ in arcu videmus, decorata. *Reliquit*, ait, *porticum patris nomine, quæ & gesta illius contineret & triumphos & bella.* Reliqua arcum spectantia passim evulgata occurrunt.

F L A M I N I U S V A C C A. Renuntiatum mihi fuit Herculem « æneum, qui in aula Capitolii jam exstat, fuisse in foro Romano « proximè arcum Septimii: similiterque lupam æneam quæ Romu- «

„ lum & Remum uberibus admotos habet, & jam in conclavi „ Conſervatorum eſt.

Lupa hodieque in Capitolinis proſtat ædibus, cum veſtigio fulminis quo ictam narrat Cicero.

„ Memini vidiſſe me, cum effoderent in Foro Romano pro- „ ximè arcum Septimii, erutas grandes illas baſes, quæ nunc vi- „ dentur in impluvio Cardinalis Farneſii, plenæ litteris & inſcri- „ ptionibus.

„ FLAMINIUS VACCA. Memini penes S. Martinam, „ proximè arcum Septimii Severi, in ipſa eccleſia fuiſſe duo gran- „ dia anaglypha marmorea ſat detrita, quæ tamen doctam fabri „ manum olebant. Iſtic hiſtoriæ armatorum, tropæa manibus ge- „ ſtantium, virorumque togatorum, ſculptæ expreſſæque inerant. „ Cum autem Eccleſia memorata, pictoribus à Sixto V. contributa „ fuiſſet, in vicem & mercedem dirutæ Eccleſiæ S. Lucæ, & con- „ fectæ plateæ ante Sanctam Mariam Majorem, ubi prior illa S. „ Lucæ eccleſia conſederat; viſum eſt pictoribus iſtæc anaglypha „ exportare vendereque, & pecuniam hinc corraſam decoran- „ dæ Eccleſiæ S. Martinæ inſumere. Hæc jam videri poſſunt pe- „ nes equitem de Porta ſculptorem.

„ Statuam Marforii memini fuiſſe propter arcum Septimii, „ humi jacentem: cum autem vellent Romani in platea Agonali „ exornare fontem, ipſam ſtatuam tranſvehere cœperunt: ſed „ cum perveniſſent ad S. Marcum, mutatâ ſententiâ, in Capi- „ tolium aſportarunt, ubi hodie in fonte ad plateam manante „ fluminis vicem agit. Ante Marforium autem, cum ipſum amo- „ lirentur, invenerunt craterem illum grandem ex marmore gra- „ nito, qui hodie ad fontem in medio fori Romani ſitum jumen- „ tis aquandis uſui eſt. Iſtic venumdantur pecudes & armenta.

Statua porro Marforii à Martis foro ſic vocata fuiſſe non improbabiliter exiſtimatur.

Haud procul, itinere quo aſcenditur in Capitolium, erat olim ſcala Gemonia, ſic dicta à gemendo, quia per eam rei ac damnati in carcerem ducebantur. Sunt iſtic carceres Tulliani ſive Cuſtodia Mamertina, celebris quia ibidem SS. Apoſtoli Petrus & Paulus, antequam plecterentur, mancipati & catenis vincti fuerunt. Eſt capella ſubterranea ad quam per anguſtam & lapideam ſcalam fit deſcenſus. Ex capella vero in profundum ergaſtulum penetratur, ibi fons eſt à B. Petro baptizan-

dis Processo & Martiniano impetratus, cujus aquam morbis curandis aptam prędicant.

Custodiæ Mamertinæ imminet ecclesia sancti Josephi fabris lignariis deputata. Sunt qui dicant, carceres Tullianos fuisse ad S. Nicolaum in carcere; sed vel hoc solo argumento confutantur, quod, ex omnium veterum testimonio, carcer Tullianus in foro magno fuerit, à quo longe distat ecclesia sancti Nicolai.

Quàm proximè, ad alterum vici latus, exstat ecclesia S. Martinæ, aut S. Lucæ: nam utroque nomine gaudet; quo loco situm olim erat Secretarium Senatûs, ut ex inscriptione istic eruta exploratum. Ibidem est ecclesia S. Hadriani quam conspicuum est fuisse templum antiquum. Sunt qui Saturni dicant, & videtur traditione acceptum; alii levissima conjecturâ putant fuisse templum Hadriani Imperatoris à Julio Capitolino memoratum, ita ut ob nominum consortia templum Hadriani S. Hadriano sit adscriptum: hæc quanti quanti sunt adferimus. Columnam Milliariam auream omnes ante Nardinum concordi sententia Saturni templo proximam dicebant, à qua sumebant initium Romanæ viæ omnes. At ille ad aliam fori partem, Occidentalem scilicet, constituit; sed argumenta quæ adfert præjudicata opinione non vacant.

Eodem itinere, ex parte Fori, proceditur ad templum Antonini & Faustinæ olim in via sacra, ad quam è foro ingressus erat per arcum Fabium, à Fabio censore devictis Allobrogibus structum. Templum istuc à M. Aurelio Imperatore in honorem parentum uxoris suæ excitatum, jam ecclesia est S. Laurentii *in Miranda*, ut vocant. Ab ingressu, veterum more, magnifica porticus est columnis marmoreis ingentis molis, ordine Corinthio, intercolumnii genere quod pycnostylon vocant, quia frequentes columnæ sunt, ac diametro sui uno dimidioque distant mutuo. Epistylia hippogryphis & frondibus ornantur. Hoc loco erat Salonini statua, ut ait Trebellius Pollio. *Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram viam, intra templum Faustinæ advecta, ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum.* GALLIENO MINORI SALONINO, *ex quo ejus nomen intelligi poterit.*

Templo Faustinæ pene contermina est ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, olim templum Remi & Romuli, quidam anti-

qui, Remi ſolummodo dicunt, non addito Romulo, quo factum ut nonnulli putent ſoli Remo conſecratum fuiſſe. Verum fortaſſe evenit quod de templo Caſtoris & Pollucis habet Suetonius, *ut geminis fratribus ædes in foro conſtituta tantùm Caſtoris vocaretur*; ſic geminorum fratrum, Remi ſcilicet & Romuli templum, Remi ſolùm, tacito Romulo, brevitatis cauſâ, nuncupatum fuerit. Templum iſtud jamdiu in Eccleſiam verſum eſt & Franciſcanis ceſſit, tituloque Cardinalitio, à tempore Hadriani primi, gaudet, qui portas æneas, etiamnum ſuperſtites, confici curavit. Ibi tempore Gregorii XIII. reperta ſunt corpora SS. Marci & Marcelliani, aliorumque, necnon Felicis II. qui æmulus Liberii Papæ fuit, cum inſcriptione Martyris titulum ferente; qua de re grandis quæſtio inter doctos. In ingreſſu veſtibulum eſt rotundum cum fornice. Cujus veſtibuli ambitu totum olim templum circumſcriptum fuit; nam eccleſia hodierna huic acceſſit. Apſis ornatur opere muſivo antiquo.

» FLAMINIUS VACCA. Memini me pone eccleſiam
» SS. Coſmæ & Damiani vidiſſe operas terram effodientes, &
» erutam inde fuiſſe marmoream tabulam, quæ incruſtationis
» more parieti hærebat: in ea ſculpta erat urbis Romæ ichno-
» graphia ſimul & ſcenographia. Nihil dubii eſt templum iſtud
» in honorem Romuli & Remi, Urbis fundatorum, excitatum
» fuiſſe. In præſenti autem extat in muſæo Cardinalis Farneſii.

Hæc Flaminii obſervatio vulgarem & tritam ſententiam confirmat, eſſe ſcilicet iſtuc templum Remi & Romuli. Nam fundatorum haud dubiè templo fundatæ Urbis ſchema adplicitum erat, curante ſcilicet Septimio Severo hujuſce templi inſtauratore. Hæ ſunt tabulæ Farneſianæ, quarum frequens in Diario mentio.

Ibidem templi Pacis rudera extant, quod à Veſpaſiano Auguſto ſtructum eſt, hac poſita inſcriptione, quæ in ædibus Farneſianis legitur:

PACI ÆTERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS AVG.
LIBERORVMQE EJVS
SACRVM.

Id quidem magnificentiſſimum & ampliſſimum omnium veteris

teris Romæ templorum erat; octo pilis fultum: ad pilas ſingulas ſingulæ columnæ immanes, ſtriatæ, ex marmore albo erigebantur, quarum eam, quæ ſola ſupererat, Paulus V. Papa extulit, ipſique in platea S. Mariæ Majoris erectæ, impoſuit æneam B. M. Virginis ſtatuam. Ducentis ferme pedibus latum, trecentis longum erat templum. Iſtuc delata ſunt omnia cimelia & vaſa pretioſa templi Hieroſolymitani: totumque intus æneis tabulis auratis obductum erat. Eódem olim omnes divitias ſuas comportabant, ingruente bello, Romani; quare tempore Commodi Auguſti multorum damno conflagravit. Hujus templi porticus ſex columnarum, Ionico ordine, in nummis Veſpaſiani comparet. Eas omnes columnas augurantur ex Neronis aurea domo hoc in templum comportatas: domum enim auream Veſpaſianus ſolo æquavit. Erat ibidem in ipſo templo bibliotheca de qua Aulus Gellius: nec prætereunda ſilentio Nili ſtatua à Plinio memorata l. 36. c. 8. *Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia quem vocant Baſaltem, ferrei coloris atque duritiæ. Nunquam hic major repertus eſt quàm in templo Pacis, ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus augmento Nili, ſexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti, ſummi incrementi augentis ſe amnis ejus, intelliguntur.*

Templum Veneris & Romæ hac item via ſitum fuit: aſſeveratque Nardinus fuiſſe maceriem illam quæ in hortis S. Mariæ novæ videtur. Sed qui in omni pene monumento hæret, hic videtur nullo ſane argumento firmus conſiſtere. Ibidem templum Romæ & Auguſti: quamquam Nardinus hoc poſtremum putat mendoſe à Rufo memorari, nullumque in Urbe templum fuiſſe Romæ & Auguſto ſacratum. At licèt bene multa numiſmata in quorum poſtica frontiſpicium templi exhibetur, cum inſcriptione, *Romæ & Auguſto*, ad alias urbes pertineant, nec ad urbem Romam, ut ex Suetonii verbis in Auguſto cap. 52. arguitur. Potuit tamen poſt Auguſti obitum templum hujuſmodi conſtrui. Nec refragandum Rufi teſtimonio, qui quæ tempore ſuo ſupererant monumenta deſcripſit.

Inter Pacis templum & arcum Titi exſtat eccleſia S. Mariæ Novæ, ſive S. Franciſcæ, olim SS. Apoſtolorum Petri & Pauli dicta, quam tenent Olivetani ordinis S. Benedicti. Porticus magnifica eſt. Muro adfixus lapis oſtenditur, in quo, ut aiunt, cum Simone mago dimicantes Petrus atque Paulus genua fle-

xerunt, genuumque veſtigia hactenus impreſſa conſpiciuntur. Iſtîc ſepulchrum eſt Gregorii Papæ XI. in quo ſculpta hiſtoria reditûs ejuſdem Pontificis Romam. Imago B. Virginis item exhibetur, S. Luca, ut quidem narrant, pictore, Romam ex Græcia comportata.

„ FLAMINIUS VACCA. Recordor audiviſſe me à Fra„ tribus S. Mariæ Novæ, Eugenium Papam IV. duos conſtru„ xiſſe muros qui Coliſeum intra Monaſterii ſui ſepta conclude„ rent, idque animo auferendi occaſionem maleficiorum quæ in „ tam vaſto loco admittebantur. Deinde verò defuncto Eugenio, „ cum Conventus iſte multis annis loco potitus fuiſſet, conqueſti „ Romani tam nobile monumentum occluſum eſſe, invitis Mo„ nachis, ingenti tumultu muros agreſſi, ſolo æquarunt, & clau„ ſum Coliſeum omnibus patefecere, uti jam videtur. Verum Mo„ nachi hactenus aiunt ſe inſtrumentum donationis membrana„ ceum habere; &, ſi quis Pontifex ſibi patrocinaretur, curatu„ ros ut donum ſibi confirmaret. Hac in ſpe verſantur.

„ In eodem Monaſterio, quà Coliſeum ſpectat, erigitur grandis „ apſis, ſub qua cum effoderent, in magnam plateam inciderunt, „ marmoribus ſalignis ſtratam. Et res ſtupenda! Saxa iſtæc tre„ decim palmorum longitudine, novem latitudine, trium altitu„ dine erant. Ex iis quædam coëmi & exſecui conficiendis tabu„ lis; multæ iſtic cruſtationes ex alabaſtrite flavo ſunt. At licèt „ thecæ ſtatuariæ ibidem eſſent, ne veſtigium quidem ſtatuæ ſu„ pererat, puta quia furto ſublatæ fuerant.

Quid ſi ad domum auream Neronis, hujuſmodi pavimentum pertinuiſſe dicamus. Certè cùm hoc loco fuiſſe domum auream conſpicuum ſit, quam ſtupendæ molis ac magnificentiæ fuiſſe narrant antiqui, opportunè dicatur ad eam ipſam pertinuiſſe ſtratum tam nobile. Apſides autem quæ etiamnum ſuperſunt in horto S. Mariæ Novæ quid fuerint incertum: ſunt qui dicant, ædes Pietatis & Concordiæ, alii Iſidis & Serapidis, ſed indiciis levibus. Templum Monetæ, quod regioni nomen dabat, nullum item reliquit ſui veſtigium.

Arcus Titi, antiquiſſimus omnium qui jam ſuperſunt, anaglyphis eximia arte confectis exornatur. In quadriga triumphali Titus ingreditur, ſtipatus militibus, faſcibuſque præeuntibus, equorum fibræ, nervi, muſculi affabrè ſculpta. Ex alia arcûs parte videntur ſpolia Hieroſolymitana in triumpho geſtata,

formâ, naturali multò minore: nam candelabrum illud aureum vix tripedale eſt, in cujus pede ſerpentes & animalcula ſculpta videntur. Tubæ quoque templi aureæ, aliaque cimelia. Quam putant nonnulli Arcam eſſe fœderis, non arca revera eſt, quæ diu ante excidium Hieroſolymitanum amiſſa fuit; ſed ara, ut credere eſt. Arcui innituntur reliquiæ turris cujuſdam lateritiæ, quam *turrem Chartulariam* vocat Anonymus de Mirabilibus Romæ infra edendus, qui ſic habet. *Arcus ſeptem lucernarum Titi & Veſpaſiani, ubi eſt candelabrum Moyſi cum arca, habens vii. brachia, in pede turris Chartulariæ.* Sic haud dubiè vocata turris fuerat, quòd chartularia & inſtrumenta publica ibidem aſſervarentur; quod ipſum inferius repetit idem Anonymus, aitque iſtum Urbis tractum ideo Chartularium vocitari. Eumdem, ut puto, locum *Teſtamentum* vocat Anonymus alter IX. ſæculi p. 512. ubi ait, *Inde per porticum uſque ad S. Theodorum, Palatinus, Teſtamentum, arcus Conſtantini.* A ſancto nempe Theodoro euntibus ad arcum Conſtantini occurrit primò Palatinus, deinde Chartularium, quod ipſe Teſtamentum vocat, fortaſſe quia Chartulariorum nobilior pars teſtamenta ſunt.

E vicino proximis ſæculis repertus eſt Janus quadrifrons & quadrivius, qua ſtructura Janus in foro Boario, non templi videlicet, ſed quadrivii formâ, qua de re inferius, ubi de Jano fori Boarii, agimus.

Horti Farneſiani, qui verticem totum Palatini montis occupant, magna pars olim pertinebant ad Palatium Auguſtorum. Palatii autem nomen à Palatino monte manavit. Ab ingreſſu obſervatur ſtatuarum manus, in queis notavi ſtatuas binas Mercurii palliati. In acclivi ſub ſcala majori offenditur ſubterranea cella, in cujus porticûs extremis duæ ſtatuæ elegantiſſimæ viſuntur, Poppeæ ſcilicet & Agrippinæ Neronis matris, ut quidam vulgo aiunt; non conſtat enim. Ab hortulano ſciſcitamur, ubinam tabula illa marmorea, ichonographiam Romæ præferens, de qua ſupra Flaminius; nam iſtic repoſitam acceperamus. Reſpondit ille omnia exſportata, nihilque ſupereſſe. Totus mons ſubterraneis meatibus excavatus eſt, quorum aditus præcluſi conſilio fuerunt. Ad alteram montis partem, quâ vergit ad S. Gregorium, ſunt reliquiæ ingentes ædium Imperatoriarum, quarum magnam partem RR. PP. Jeſuitæ occupant, qui conclave oblongum in paleariam caſam verterunt.

" Flaminius Vacca. In palatio majore proximè hortos Farnesianos, memoria mea reperta est porta diruta grandissima, cujus parastatæ ex marmore saligno, erant quadraginta circiter palmorum, pedum videlicet regiorum 27. Ibidem detecta fuit dimidia theca ex marmore vario Africano, ac deinde caput Jovis Capitolini ex basalte, vulgari staturâ duplo majus, quod jam meum est. Æstimo antiquitùs ibidem supra memoratam portam fuisse, ita ut media in theca caput Jovis Capitolini consisteret.

" Memini haud procul isto loco in villa Ronconii, quæ in palatii majoris ruderibus comprehenditur, reperisse ipsum Ronconium octodecim aut viginti massas marmoreas, quibus omnibus Amazones exprimebantur, naturali statura paulo majores. Cum esset autem in eadem villa *calcatorium* vino conficiendo, in cujus fundo stratum vehementer diffissum fuerat, ne per rimam vinum difflueret, stratum Ronconius amovendum curavit, atque Herculem detexit similem iis qui in impluvio Cardinalis Farnesii, qui reperti sunt in Antoniana. Huic nihil aliud quàm manus deerat, in basi inscriptum legebatur, Opus Lysippi. Ipsum coëmit Magnus Dux Hetruriæ Cosmas, & Florentiam advexit, solutis Ronconio octingentis argenteis nummis, pollicitus gratiam & munera, si contingeret occasio.

Ex Palatini extremo vertice versus Aventinum, prospectus est in vallem, inter duos hosce montes positam, quæ olim Martia sive Murtia vocabatur. Eam totam occupabat circus Maximus, inter præcipua Romana ædificia connumeratus, cujus hodieque forma & quædam rudera visuntur. Eratque longitudine 2187. pedum, latitudine verò 960. in circuitu porticibus, apothecis & sedilibus instructus. Versus piscinam publicam, circularem in formam desinebat: versus autem Tiberim ædificio recto claudebatur. Istic carceres erant recipiendis equis. In eo canalis aquæ Euripi nomine insignis, in quo Naumachiæ. Eratque circus capax 300000. spectatorum. In medio circo splendebat ædicula solis cum ejus statua, multæque aliæ deorum statuæ; ara Consi subterranea, ova Castoris & Pollucis, Delphis Neptuni: fuitque stratus minio & chrysocolla. In eo Secretarium erat, quod cuinam usui ignoratur. Præclarè Theodoricus Rex apud Cassiod. epist. 51. de Circo maximo p. 56. *Sed mundi Dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam Romanis fabricam*

in vallem Murciam tetendit Augustus, ut immensa moles firmiter præcincta montibus contineret, ubi magnarum rerum indicia clauderentur. Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur: docentes totum illic ut putabatur, consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari. Colores autem in vicem temporum quadrifaria divisione funduntur: prasinus virenti verno, venetus nubilæ hyemi, roseus æstati flammeæ, albus pruinoso autumno dicatus est; ut quasi per duodecim signa digrediens annus integer signaretur. Sic factum, ut naturæ ministeria spectaculorum composita imaginatione luderentur. Biga quasi lunæ, quadriga solis imitatione reperta est. Equi desultorii, per quos Circensium ministri missos denuntiant exituros, luciferi præcursorias velocitates imitantur. Sic accidit, ut dum se colere astra putarent, religionem suam ludicrà similitudine profanarent. Alba linea non longè ab ostiis in utrumque podium, quasi regula directa, producitur; ut quadrigis progredientibus, inde certamen oriretur: ne dum semper propere conantur elidere, spectandi voluptatem viderentur populis abrogare. Septem metis certamen omne peragitur, in similitudinem hebdomadis reciprocæ. Ipsæ verò metæ secundùm zodiacos decanos ternas obtinent summitates, quas ad instar solis quadrigæ celeres pervagantur. Rotæ Orientis & Occidentis terminos designant. Euripus maris vitrei reddit imaginem, unde illuc delphini æquorei aquas interfluunt. Obeliscorum quoque prolixitates ad cæli altitudinem sublevantur: sed potior soli, inferior lunæ dicatus est: ubi sacra priscorum Chaldaïcis signis, quasi litteris, indicantur. Spina infelicium captivorum sortem designat: ubi duces Romanorum supra dorsa hostium ambulantes, laborum suorum gaudia perceperunt. Mappa verò, quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem; cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulati. Hinc tractum est, ut ostensa mappà certa videatur esse promissio Circensium futurorum. Circus à circuitu dicitur; Circenses quasi circuenses: propterea quod apud antiquitatem rudem, quæ necdum spectacula in ornatum deduxerat fabricarum, inter enses & flumina locis virentibus agerentur. Nec vacat quod viginti quatuor missibus conditio hujus certaminis expeditur, ut diei noctisque horæ tali numero clauderentur. Nec illud putetur irritum, quod metarum circuitus ovorum erectionibus exprimatur: quando actus

ipse, multis superstitionibus gravidus, ovi exemplo, geniturum se aliqua profitetur, &c.

Hæc longiuscula licèt visum est adscribere, quia de Circo multa aperiunt, & neglecta hactenus fuerunt.

» FLAMINIUS VACCA. (*Anastasium Simonetam alloquens.*)
» Etiamsi probè memineris, Vir Clarissime, duos in Circo ma-
» ximo obeliscos inventos fuisse, scilicet eum qui à Sixto V. in
» platea Lateranensi erectus fuit, & eum qui in platea S. Mariæ
» de Populo; non abs re tamen erit tam insignem rem comme-
» morare, necnon canales illos plumbeos, & fornices qui extra
» Circi ambitum erant, receptacula cymbarum. Istic vidi in pa-
» rietibus fissiones & scissuras, quo loco olim annuli ænei, queis
» antiqui cymbis religandis utebantur. Isti annuli furto sublati sunt,
» paucis remanentibus quos inspicere licuit. Ingens item cloaca
» reperta est, quâ diffluebant aquæ versus Tiberim. Spesque non
» dubia erat alia multa istic reperiendi; sed inundantes aquæ Mat-
» thæum de Castello, qui terræ cavandæ vacabat, à proposito de-
» terruere; neque aliquid ulterius visum est.

» Nostrates sequioris ævi, Circo jam memorato nomen hujus-
» modi indiderunt, *Alli scivolenti*; quia istic gradus erant spectan-
» tibus, sedilium loco. *Scivolente* porro, Romano vulgari usu, gra-
» dum significat.

In tam angusto montis Palatini spatio, ut eodem redeamus, multa erant deorum templa & ædes: inter ea primas tenebat templum Apollinis ab Augusto excitatum, cui addita fuit porticus atque bibliotheca. Sub basi Apollinis in templo servabantur libri Sibyllini. Istic erat colossus Apollinis Tuscanici æneus, quinquaginta pedum staturâ. Conjectando putabat Nardinus, caput illud æneum colossale, jam in Capitolii quodam impluvio erectum, hujus colossi fuisse. Sed caput illud hodiernum capitolinum, cùm quatuor pedes altitudine non adtingat, ad colossum triginta circiter pedum adtinuerit, non ad eum qui totis quinquaginta pedibus altus erat. Nam in statuis colosseis, &, ut vocant, heroïcis, octies altitudo capitis observatur. Ad hæc verò, à Nardini sententia amplectenda arcemur testimonio Flaminii, qui caput illud æneum ante Metam sudantem, erutum memorat. Erat itidem in Palatino templum Helagabali, de quo Lampridius. *Ubi primum ingressus est Urbem, omissis iis quæ in provincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino*

monte juxta ædes Imperatoris consecravit, eique templum fecit, studens & matris typum & Vestæ ignem, & Palladium & Ancilia, & omnia Romanis veneranda, in illud transferre templum; & id agens, ne quis deus Romæ nisi Heliogabalus coleretur. Memorantur item in Palatino domus clarorum virorum complurium, in queis Ciceronis domus in clivo proximè templum Jovis Statoris.

Egressis à majori ostio ex hortis Farnesianis, occurrit ecclesia S. Mariæ Liberatricis, ubi repertum fuit anaglyphum mirabile M. Curtii, quod ex Capitolio in villam Burghesiam translatum est.

FLAMINIUS VACCA. Quo loco jam est ecclesia *B. Mariæ libera nos à pœnis inferni*, mea ætate repertum fuit anaglyphum Curtii equitis, in voraginem sese præcipitantis, jam muro Capitolii affixum in ingressu palatii Conservatorum.

Lacus Curtii, à Curtio denominatus, proximè ecclesiam *B. Mariæ libera nos à pœnis inferni*, in foro Romano erat.

E vicino tres columnæ supersunt erectæ, ordine Corinthio, cum capitellis, epistylio, coronide, ejus generis quod pycnostylon vocant, quas aiunt quidam pertinuisse ad templum Jovis Statoris. Verùm testimonio Plutarchi certum est, Jovis Statoris templum fuisse in clivo Palatini montis, hoc autem in planitie situm est; alii, & est vulgi opinio, aiunt esse reliquias pontis à Caligula confecti, ut à palatio ad Capitolium plana via pergeretur: at hoc vanum commentum est. Tres columnas illas vir. cl. & in Romanis antiquitatibus peritissimus *de la Thuilliere*, æstimat pertinuisse ad templum Julii Cæsaris hoc loco situm, his de causis: quia Vitruvius ait, duo solùm intercolumnii illius, quod pycnostylon vocant, genera Romæ esse, in templis videlicet Veneris genitricis & Julii Cæsaris: in ista porro columnatione id genus intercolumnii deprehenditur. Post Vitruvium tamen multa eodem genere structa sunt: at cùm istis circiter in partibus fuerit templum Julii, & intercolumnium quadret, hinc non levis conjectura eruitur. Ad hæc, effossum hoc loco Curtii anaglyphum, lacum Curtii ibidem situm procul dubio indicat, cùm sit alias exploratum in isto fori angulo extitisse lacum, cui conterminum erat Julii Cæsaris templum; siquidem cum Tacitus necem Galbæ narrat, ait ipsum juxta lacum Curtii enectum, & Titum Vinium, tum lateri ejus hærentem, ad proximum templum divi Julii aufugisse, Pisonem in templum Ve-

ſtæ, quod ex altera fori parte qua itur ad forum boarium, item prope lacum Curtii, videbatur. Hæc porro templa, utpote vicina lacui, erant fugientibus opportuniora. Et quod gravius eſt, Statius ſylvarum lib. 1. de equo maximo Domitiani ait, caput ejus obverſum fuiſſe templo Julii Cæſaris.

Hinc obvia limina pandit
Qui feſſus bellis, aſſertæ munere prolis
Primus iter noſtris oſtendit in æthera divis.

Terga verò verſus templum Concordiæ.

Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.

Hæc apprimè conveniunt templo cujus adhuc tres columnæ ſuperſunt; nam ex altera fori parte prorſus è regione templum Concordiæ hodieque ſupereſt; ita ut neceſſum prorſus fuerit, equum cujus terga templo Concordiæ obverſa erant, adverſo ad tres columnas capite fuiſſe, quæ proinde ad templum Julii Cæſaris pertinuerint. Hoc in tribus iſtis columnis ſingulare obſervatur, quod coronis ſola epiſtylii & zophori altitudinem pene exæquet. Animadverti quoque in quadam ex iis columnis è ſaxis marmoreis multis confecta, partem ſuperiorem loco motam fuiſſe, quando, foramine ad commiſſuras effecto, Barbari ligamina ænea, intus pro firmitate operis inducta, eruebant; de qua re infra Flaminius: quæ porro ſuperius adtulimus, non levis momenti ſunt ad verum templi Concordiæ adſerendum ſitum.

Lacus verò Curtii, etiam arefacto ſolo, lacûs nomen retinuit. In eoque ſtabant aræ quædam, & ſtatua equeſtris memorata Domitiani. Ad hæc olea, vitis & ficus iſtic fuiſſe dicuntur.

Erant item in foro columnæ ſingulares: columna roſtrata Duillii, columna C. Menii qui devicerat priſcos Latinos, columnæ Julii Cæſaris, & Claudii, atque etiam columna cum ſolari horologio, ei conſimilis quæ in campo Martio propter S. Laurentium in Lucina eruta fuit. In foro item erat templum Jani, quod tempore pacis occludi ſolitum erat, ut in numiſmatibus Neronis frequentibus ſpectatur. Eratque Janus bifrons diverſus ab aliis Janis quadriviis de quibus infra.

In medio areæ Campi, ut vocant, *Vaccini*, exſtat ingens labrum ex marmore granito rotundum uno ſaxo, quo majus in Urbe,

Urbe nullum, viginti enim Romanos pedes à diametro habet; quod cui olim usui fuerit ignoratur. Thermis fortè deputatum non ineptè quis dixerit; hodie aquandis pecudibus & jumentis est usui. De illo supra Flaminius, qui ad arcum Septimii effossum narrat.

Non longe hinc erat Lupercal, spelæum scilicet ad radices Palatini, ita dictum à lupa Remi & Romuli nutrice, ab Evandro consecratum Pani Lycæo, quasi dicas *Lupali.* Non procul item ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Remus & Romulus infantes. Hæc quidem prope forum ex latere Palatini erant. In libro de origine gentis Romanæ, de Remi & Romuli, jussu Amulii Regis, expositu, & de Faustulo pastore hæc traduntur. *Addunt quidam, Faustulo inspectante, picum quoque advolasse, & & ore pleno cibum pueris ingessisse: inde scilicet lupum picumque Martiæ tutelæ esse: arborem quoque illam, Ruminalem dictam, &c.* Hæc historia in annulari nobilis matronæ nostratis de S. Martha, lapide antiquo bellè exprimitur, ubi in specu Lupercalis, lupa Romulum & Remum pueros lactans incisa; dum Faustulus Palatino monti insidens, ritu captantis auguria, lituum sive baculum recurvum manu tenet, habetque canem à tergo sursum inspectantem. Hîc schema subjicimus.

p 185



Proximè S. Anaſtaſiam ſita olim erat Ara Maxima Herculis, cujus ſtatua ex ſpelæo quodam eruta fuit, æneaque & inaurata erat, quæ ad Capitolii Palatium Conſervatorum allata eſt. Id vulgo dicitur; verum Flaminius, quem fide dignum fuiſſe nemo negaverit, ſe refert accepiſſe, ſtatuam illam in foro Romano proximè arcum Severi repertam: & Martinellus in Roma ſacra, ait iſtic fuiſſe aram Conſi, & templum Neptuni equeſtris.

Eccleſiæ S. Georgii accumbit ad lævam arcus Severi minor, cujus inſcriptio in foro Boario ſitum arcum dicit. Ibi ſculpta ſunt eleganter vaſa ſacrificiorum, & ritus eorumdem. Inter figuras ſacrificantes viſitur Getæ locus; cujus icon poſt necem ejus, juſſu Caracallæ ſcalpro eraſa fuit. A fronte arcûs ſculpta ſunt ſigna militaria, non trophæa, ut quidam noſtras dixit & expreſſit in ære.

Ibidem Janus antiquus eſt, non quidem templum, ſed quadrivium, quales Jani bene multi per Urbem erant, alii quadrifrontes, ſeu quadrivii, ut iſte, alii bifrontes, qui ad negotiatorum commodum ſtructi erant; unde Cicero Officiorum ſecundo: *Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius à quibuſdam viris ad medium Janum ſedentibus, quàm ab ullis philoſophis, ulla in ſchola diſputatur.* Præter hoſce Janos, templa Jani per Urbem erant. Janus porro iſte quadrus, in ſingulis lateribus arcus ſingulos habens prægrandes, ita ut undique pervius & pedibus & oculis ſit, magnis marmoreis molibus ſtructus eſt. Ait Anonymus noſter infra, Janum iſtum ſuo ævo vocatum fuiſſe *turrem Centii de Frangapanis.* Et ſane Jano impoſitæ turris lateritiæ conſpicua hodieque veſtigia ſuperſunt. E vicino exſtat rivulus aquæ qui à paucis annis detectus erupit, & influit in cloacæ maximæ antiquæ canalem. Cloacæ inter mirabilia Urbis computabantur; iſtic reſiduum cloacæ antiquæ ſupereſt, quod pro ſpecimine rei videri poteſt: hujus fornix grandibus lapidibus conſtat. Ea verò altitudine cloacæ erant, ut naviculis poſſent permeari.

Proximè ſita eſt eccleſia S. Mariæ in Coſmedin, quæ titulus Cardinalitius eſt: olim ſchola Græca vocitabatur, in qua S. Auguſtinum tradunt Rhetoricam docuiſſe. Duobus autem columnarum ordinibus fulta, duos ambones marmoreos habet, quâ formâ in eccleſia S. Clementis. In porticu ejuſdem eſt magna

rota lapidea ad molæ formam, cui foramina quinque adſunt, quaſi oris, narium & oculorum, & vocant *La bocca della verità*, indeque totam eccleſiam eo nomine vulgus compellat, rati eſſe os fundens oracula. Diſputatur autem cui fuerit uſui: ſunt qui dicant fuiſſe prope aram Herculis maximam; alii pro lubito fabulantur: mihi hunc nodum ſolvit vir cl. & amiciſſimus Federicus Roſtgaard nobilis Danus, cum in Cancellariæ palatio petram prorſus ſimilem, iiſdemque foraminibus inſtructam, in medio impluvio poſitam, oſtendit, ut pluviales aquæ per iſtæc foramina diffluerent in cloacam. Vulgaris de templo & lapide opinio duabus hiſce inſcriptionibus enuntiatur.

Templum hoc pervetuſtum
Pudicitiæ Patritiæ
A Gentilitate dicatum
Anno Domini CCLXI.
S. Dionyſio Summo Pontifice
Sanctæ Mariæ in Coſmedin
Chriſtiana pietas
in templum commutavit
in ejus aula
Hadriano Imperatore
ſub nomine Athenæi,
Schola Græca
antea nuncupata
ſanctum Auguſtinum
Rhetoricam poſtmodum docuiſſe
ex veterum traditione
habetur.
Cujus rei memoria
ne oblivione tepeſcat
Archipresbyter & Canonici
hoc in marmore apponi
curarunt anno Jubilæi
M DC. LXXV.

Alia.

Simulacrum hoc, Bucca veritatis nuncupatum, in templo Jovi Ammonio ab Hercule dicato, prope Aram maximam, in qua ritu Græco

vana gentilitas ſacrificium peragebat, fuiſſe dicitur, ac tractu temporis in tali habitum veneratione, ut ſi quis maximum requireret juramentum, manu intra os ejus impoſita ſolemniter jurare cogeret. Impiis ſuperſtitionibus deorum gentium ſublatis, hic jacet dejectum, ut ejus falſa religio proſtrata, in templo jam Pudicitiæ Patritiæ, priſcis temporibus conſtructo aſpiciatur, in quo poſt generis humani reparationem ſub titulo Sanctæ Mariæ in Coſmedin, quod ſacerdotum ornamentum ſonat, Deiparæ ſemper Virginis memoria colitur atque veneratur.

Ibidem ad oram Tiberis, templum rotundum viſitur exiguum, columnis ſtriatis exornatum, ordine Corinthio; eſtque pſeudodipteron; quod alii Herculis, alii Veſtæ, alii deæ Volupiæ eſſe dicunt. In nummis antiquis habetur templum Veſtæ rotundum, eadem pene forma, quod fortaſſe pro Veſta calculum ferat. Jam verò S. Stephani nuncupatur, eſtque aurigarum eccleſia.

E regione ſacellum eſt, nomine S. Maria Ægyptiaca, olim templum, cujus antiquitatem teſtificantur ea quæ ſuperſunt. Sunt qui dicant eſſe templum Fortunæ virilis; alii aliud augurantur, ſed infirmis prorſus indiciis. Accedit autem ad genus illud quod pſeudodipteron vocatur, de quo alias. Sed columnæ media ſolùm parte prominent è muro. Jam locum & eccleſiam tenent Armeni, quorum ego Officio ſemel interfui. Initium ductum fuit à Proceſſione, quam à veſtibulo cœptam proxime altare ad cancellos abſolverunt: inſtructi autem erant vaſis æneis argenteiſque, quorum quædam cymbalorum veterum formam haud male referebant. Et plerumque inter cantandum tam vehementi ſonitu concrepabant æra, ut obtunderent aures, æra Dodonea dixiſſes: dum verò ad certas voces venerant, geminabant ſtrepitum. Deinde cùm Lithurgia celebraretur, duo miniſtri cum inſtrumentis quibuſdam ultro citroque aderant; inſtrumentorum forma iſtæc. Oblongo baculo adaptata eſt tabella ænea rotunda, cujus circulus tintinnabulis æneis permultis inſtructus eſt. Cum hiſce porro inſtrumentis ad aures epiſcopi ſtrepitum edebant: erat cum validius inſonarent, ad certas videlicet Lithurgiæ partes: inſtrumenta autem hujuſmodi ἀναῤῥιπίδια Græci nuncupant.

Haud procul exſtat eccleſia B. Mariæ de Conſolatione & Noſocomium famoſum ipſi adjunctum, in cujus cœmeterio, Cæ-

ſaris ſtatuam inventam narrat ſculptor inſignis.

Flaminius Vacca. Memini in cœmeterio Conſolationis repertam fuiſſe ſtatuam jacentem, marmoream, vulgaris ſtaturæ, conſulari veſtimento, brachio ſublimi, ac ſi caput tueretur. Æſtimatum autem vulgo fuit, eſſe Cæſarem. D. Ferrandus de Torres Procurator Proregis Neapolitani D. Peraſani de Riviera illam coëmit: juſſitque me caput ipſi Cæſaris adornare, quo geſtu erat cùm occideretur à Bruto. Quæ ſtatua in Siciliam exportata fuit. " " " " " " " "

Caput XIV.

DIES SEPTIMA. Mons Magnanopoli dictus. Sirenum ſchema in villa Aldobrandina. De equis in Montecaballo. Romæ ſtatua ſedens ibi detecta. Apollo alatus. Bacchica ſimulacra. Ingens vis oſſium in ſubterraneo fornice. Vetus Capitolium. Templum Quirini. Schemata Bacchica alia. Solum Urbis colluvie & ruinis mutatum. Templum dei Silvani. Theſauri educti hiſtoria. Mithræ templum, ſive adytum in valle Viminalis. Ejuſdem ſimulacra & ſchemata leonino capite. Symbola Mithræ. De initiationibus ejuſdem. Sepulcrum & epitaphium Lucii, qui Aſidis Mithræ ſacerdotis filius erat. Aræ ſepulcrales. Epitaphium Myrtalæ. Mulctæ violantibus ſepulcra irrogatæ. Thermæ Novatianæ. S. Laurentius in Paniſperna quare in Formonſo *dictus. Thermæ Olympiadis. Simulacrum Martis. Statuæ erutæ. Eccleſia S. Salvatoris in Tellure. Palladium forum. Forum Nervæ.*

Visis Capitolino & Palatino montibus cum vallibus propinquis, jam eſt ad Quirinalem & Viminalem properandum; & primùm à monte Magnanopoli ineundus curſus eſt: à balneis Pauli æſtimant ortum nomen, Bagnanopoli, poſtque

Magnanopoli. Iſtic conventus eſt S. Catharinæ Senenſis recens. Exterior eccleſiæ ſuperficies porticu eleganti inſtructa. Intra Monaſterii ſeptum eſt turris ingens, quam *del Grillo* vocant, etiamque turris Militiarum dicitur, de qua variæ opiniones. Excitatam arbitror uti & alias per Urbem, tumentibus Romanis rebus, & graſſante Romæ inteſtino bello.

Proxime ſitum eſt Monaſterium item S. Dominici, Virginibus ſtructum magnificè. Moniales ex primariis Urbis familiis ſunt. In theſauro ingens ſupellex argenteorum vaſorum, aliorumque id genus. E vicino conſiſtit eccleſia S. Agathæ in Subura, quæ antiquiſſima eſt & titulus Cardinalitius, jam à Benedictinis Montis Oliveti occupatur, & in Subura dicitur, licet procul Suburâ, qua de re ſuperius. Montem Magnanopoli putant olim dictum collem Latiarem, in quo erat vicus Muſtellarius & templum ſeu ædes Jovis Latiaris.

Ibidem occurrit villa Aldobrandina, cujus ædes ſtatuis anaglyphiſque exornantur, picturis item egregiis: iſtic Bartolus Juriſconſultus à Raphaele depictus. Eminet tamen inter alias antiqua illa pictura in udo cæmento, nuptias Aldobrandinas vocant: ubi præcipuæ antiquorum nuptiales cœremoniæ obſervantur, pictore erudito. Iſtic putat Nardinus fuiſſe collem Mutialem, in quo erat templum dei Fidii, qui alio nomine Sangus; ſunt qui Sancum, alii Sanctum, alii Sabum vocent, eratque deus Sabinorum. Sancus aras alias templaque habuit in Urbe. Iſtud dii Fidii templum foramen in fornice habuit, inſtar Pantheonis hodierni: hinc *ſub dio* dictum volunt. Antequam de villa Aldobrandina excedamus, non prætermittendum iſtic Sirenes haberi, ex marmore ſubrubro, corpore volucris, vultu femineo: nam Sirenes etiam corpore volucris haud raro repræſentantur. Et ſic in codice Colbertino 2434. qui catena eſt Græca SS. Patrum X. ſæculi in Job, ubi ad ſingula rerum nomina res ipſæ delineantur, ad hunc locum c. 30. v. 29. ἀδελφὸς δὲ γέγονα σειρήνων, ideſt: *Frater autem Sirenum factus ſum.* Sirenes hac forma pinguntur ibidem.



Non procul hinc exſtat cœnobium S. Sylveſtri, a Theatinis occupatum. Eccleſia egregiè exornatur. Picturæ in udo cœmento ad capellam Aſſumptionis, pictore celeberrimo Dominiquino ſunt, & hiſtoriam Eſtheris exhibent. In conventu degit vir genere, pietate atque eruditione præſertim eccleſiaſtica clarus, JOSEPHUS MARIA THOMASIUS, qui multis editis operibus rem litterariam exornavit.

Ædes quæ jam à Roſpiglioſis incoluntur, e regione ſunt, a Cardinali Mazarino ſtructæ, elegantes, amplæ & amœniſſimæ proſpectu. Eodem loco erant thermæ Conſtantini, quarum rudera præterito ſæculo decimo ſexto ſupererant. Iſtinc exportati ſunt equi, jam in platea Pontificii Palatii Quirinalis ſiti, qui, perinde atque heroes ipſos equos manu ducentes, Græco more ſculpti ſunt. A Conſtantino autem magno Romam tranſlati, in ejuſdem thermis conſtituti fuerant. Ad eorum baſin ſculptum legitur: OPUS PHIDIAE, OPVS PRAXITELIS: atque jamdiu opinio manavit, eſſe ſtatuas Alexandri Magni. Verum cum Phidias & Praxiteles diu Alexandrum Magnum ætate præverterint, ſtatuæ hujuſmodi aut aliis ſunt auctoribus adornatæ, aut Alexandrum Magnum minimè referunt. Liquidum autem eſt inſcriptiones jamjam memoratas, utpote latinas, nec Phidiæ Praxitelisve, nec Alexandri temporibus confectas; ſed poſt comportatas Romam ſtatuas, ex quadam opinione, inſcriptum ita fuiſſe. De tempore quo inciſæ ſunt, ſuccurrit nihil: ante obortam typographiæ artem, unum novi ſcriptorem, qui ſtatuarum atque unà inſcriptionum iſtarum meminerit; Anonymum nempe XIII. ſæculi, qui, pro more ſolito, ineptiſſima commenta ea de re venditat. Ex iſtis porro

equis, ea pars Quirinalis nomen ſortita eſt *Monte cavallo.* Longe diverſa narrat Flaminius, dum ait haſce gigantæas ſtatuas olim ante domum auream Neronis conſtitiſſe: ſic ille.

» Opinio multorum eſt, gigantes qui nunc in Monte caballo
» ſunt, antiquitus ſtetiſſe ante portam domus Aureæ Neronis,
» atque inde exportatos a Conſtantino, baſibus illis prægrandi-
» bus impoſitos fuiſſe, a quibus Sixto V. jubente remoti ſunt. Iiſ-
» dem in baſibus conſiſtebant duo Caſtores marmorei, a Paulo
» III. in Capitolium tranſvecti; qui jam in ornamentum ſcalæ
» Aræ celi, verſus ædes Senatorias in ſcala cochleæ more facta,
» poſiti ſunt. Cum autem Sixtus V. memoratas baſes diruit, ob-
» ſervavi lapides verſus murum poſitos, ſculptos fuiſſe & veſti-
» gia Neroniana præferre, quia, ex ipſo operis modo, animad-
» verti eoſdem eſſe qui hodie in frontiſpicio viſuntur, idipſum-
» que in aliquot lapidibus, memoriâ mea iſtic excavatis, ob-
» ſervatur.

» Quo loco poſiti ſunt equi in Monte caballo, ſive Quirinali,
» recordor vidiſſe me molem quamdam ex ſilicibus & Tiburtinis
» impolitis ſtructam, quæ ſolo complanata fuit, ut jam videre eſt.
» Puto iſtic fuiſſe mauſoleum; nec aliud conjectare poſſum,
» quando ornamentis omnibus ſpoliatus erat locus.

Mauſoleum certe fuiſſe non potuit, quando hic locus a tempore uſque Servii Tullii intra Urbis mœnia erat, ubi non licebat mauſolea & ſepulcra excitare. Etſi porro lex hujuſmodi violata fuerit. Nam, ut habet Capitolinus, Antoninus Pius intra urbes mortuos ſepeliri vetuit, quia ſcilicet à priſco ritu multi receſſerant; nullum tamen vidimus mauſoleum, ſive inſignioris notæ ſepulcrum, intra Urbis mœnia exædificatum. Etſi porro mœnia illo ævo in clivo Quirinalis erecta eſſent, ad cacumen uſque montis non pertingebant.

» E vicino recordor erutam fuiſſe Romam ſedentem, ex mar-
» more Saligno, quater ſtaturâ vulgari majorem, a perito artifi-
» ce elaboratam. Eratque haud dubiè confecta, ut procul pate-
» ret oculis; quod ex quibuſdam ſtatuariæ artis depreſſionibus ar-
» guebatur. Ipſam coemit Cardinalis Ferrarienſis, & in hortum
» ſuum proxime Montem caballum deportavit.

Puto eam ſtatuam eſſe, quæ in hortis Perretinis, in vertice aggeris Tarquinii ſuſpicitur.

» FLAMINIUS VACCA. In vinea D. Dominici Blondi,

quæ

quæ in thermis Conſtantini in rupe Quirinalis eſt, reperit Blondus hoc anno (1594.) Apollinem marmoreum naturali proceritate, cujus humeris hærebant alæ, quod nunquam ante videram; necnon aliquot capita Terminorum, in quibus Pan cornutus caprinis pilis; item Cibeles turrita, duobus leonibus inſidens, perito artifice. Apollo alatus.

Recordor *Capitaneum* Marium Spiritum proxime hortum ſuum reperiſſe ſeptem Sabinarum capita belliſſima, compoſitis ſingulari modo capillis. Ad hæc, urnam ovalem marmoris Parii, ubi Bacchanalia ſculpta, quo pacto ſcilicet Bacchæ ipſum Bacchum in curru trahunt: quarum aliæ tripudiabant; aliæ concrepabant cymbala, & unà Satyri cum tibiis. Hæc omnia emit Cardinalis de Montepolitiano, & dono miſit ad Luſitaniæ Regem. At invidum mare nondum allatum munus abſorpſit.

Marii iſtius hortus ubi poſitus fuerit ignoramus.

In thermis Conſtantini, quæ in Monte Caballo ſunt, e regione S. Sylveſtri, Bernardus Acciaiolus, dum in fundo ſuo excavaret, incidit in fornices quoſdam diruptos, plenos congeſtâ terrâ, & evacuare cavas cepit: reperitque fragmenta bene multa columnarum ex marmore ſtatuali, triginta palmorum longitudine, cum capitellis quibuſdam & baſibus. In extremo fornicum, locum occluſum deprehendit, rudi pariete, non ad perpendiculum facto: ipſum item confregit, penetravitque in duos fornices plenos oſſibus hominum. Cum autem amicus mihi eſſet, acciri me juſſit. Iſtuc nec ſine labore me intromiſi; quia a foramine fornicis ad oſſa, quinque circiter palmorum intercapedo erat: & cum in oſſium molem caderemus, firmum ponere veſtigium non licebat, ita ut uſque ad genua imprimeremus plantas: oſſaque illa ad primum tactum in cineres ibant. Tantum denique progreſſi ſumus, ut ad fornicum terminum deveniremus. Erant autem longitudine palmorum circiter centum (id eſt, pedum 67.) alti plus minus triginta. Attoniti mortuorum numero, alii aliud conjectando dicimus; vel Neronis carnificinam quamdam eſſe, nam iſtic proximè ſita fuerant Neronis ædificia, eſſeque proinde Martyrum corpora; vel magni contagii reliquias. Conjectabam ego, cum memorati fornices perforati ſupernè non eſſent, iſthæc corpora ab anteriore oſtio poſita fuiſſe: & ſane puto unà omnes eodemque die fato functos, poſitoſque ſingulos ordine, eodem tempore, ante-

» quam fœterent. Certè vacuum illud quinque palmorum a for-
» nice ad ossa, ex eo proveniebat, quod consumtis carnibus os-
» sa deprimerentur. Nam si ossa carnibus destituta & arida con-
» jecta istuc fuissent, usque ad summum tota concameratio ple-
» na remansisset; ad hæc, ossa permixtim posita viderentur, at-
» qui corpora integra, quoad ossium situm, visa sunt. Quod indi-
» cium sane est fuisse illa unà cum carnibus conjecta. Murus au-
» tem qui fornices obturabat, aperte significabat cæmentarios fœ-
» toris tot scilicet tantorumque cadaverum, impatientiâ, præci-
» piti opere parietem confecisse. Tuum erit, Vir clarissime, qui hi-
» storiam probe calles, memorandi hujusce casus causam aperire.

Ibidem, in Quirinali scilicet, ædes Pontificiæ sunt, à Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. excitatæ. Atrium peramplum & elegans, sublimibus hinc inde porticibus, conclavia lata a famosis architectis structa, picturis decorata. Sacellum Pontificium sculptis & depictis historiis ornatum. Hortus amplus ad clivum vergens, amœno prospectu. In hortis Pontificiis, ut æstimat Nardinus, fuit olim vetus Capitolium, sive antiquum templum, in quo tria sacella erant; Jovis scilicet, Junonis & Minervæ. Sed alii æstimant in Barberinis hortis fuisse.

Ad clivum versus hortos Columnenses, fuisse putant templum Solis, ab Aureliano structum, atque vicum eodem nomine: sunt qui vestigium illud, hodieque consistens, ad templum hujusmodi pertinuisse putent.

Proximè ecclesiam S. Andreæ RR. PP. Jesuitarum, in vertice Quirinalis, erat templum Quirini famosum, cujus rudera exstabant ducentis hinc annis, fundatum in honorem Quirini sive Romuli, post ejus obitum, inque præstantiorem formam deductum à Lucio Papirio Consule, qui primum ibi horologium solare, quod Romæ fuerit, instituit.

In quadrivio proximo prospectus est omnium qui in Urbe sunt amœnissimus; nam ab Oriente ad ecclesiam usque S. Mariæ Majoris, a Septentrione ad portam Piam, ab Occidente ad montem usque Marium, ut vocant, a meridie ad equos superius memoratos, nullo obice patent omnia.

» Flaminius Vacca. Recordor contigisse in via quæ
» tendit a Monte Caballo ad portam Piam, quo loco Sixtus V.
» quatuor fontes manare fecit, ut Mutius Matthæi, qui ex fon-

tibus unum obtinet, cum eo in loco ædificaret, reperiret ſa- «
crificium antiquum cum vitulo & aliquot miniſtris, Bacchum «
ſtatura vulgari duplo majorem, Faunum qui Bacchum ſuſten- «
tabat, tigrem uvas comedentem, Venerem aliaſque ſtatuas pe- «
ritorum artificum: & quia iſte locus quadrivium eſt, quo itur «
ad S. Mariam Majorem; ibidem complures exſtruxere domos, «
& inter fodiendum in humilia ædificia, quæ ſpeciem ferebant «
balneorum privatorum plebeiæ gentis, inciderunt. «

Quæ narrat hîc Flaminius videntur pertinere ad ædiculam Liberi Patris quæ in Quirinali erat, & memoratur a Rufo. Hæc enim omnia ad ſacrificia Bacchica ſpectant.

Iſtinc procedendo ad S. Mariam Majorem, eſt viculus S. Vitalis. In ædibus è regione poſitis, quas ab aliquot annis conduxit D. CLAUDIUS STEPHANOTIUS, Congregationis noſtræ Procurator Generalis, deceſſor meus, cum ejus juſſu puteo fodiendo vacarent; poſtquam pedibus quadraginta in profundum devenerunt, inciderunt in vicum magnis lapidibus more viarum ſtratum. Hinc cernere eſt quanta vis terræ, ex vicinis collibus Quirinali & Viminali, decidentibus imbribus, & ruinis domorum, quæ ibidem repertæ ſunt, congeſta fuerit, & quam mutatum fuerit antiquæ Urbis ſolum. Invenerunt ibidem caput Herculis perito fabro, ſed exeſum.

Vicus S. Vitalis inter Quirinalem & Viminalem collem ſitus eſt. Iſtic ſita eſt eccleſia S. Vitalis, olim Collegialis, ſed jam RR. PP. Jeſuitis ceſſit.

FLAMINIUS VACCA. Proximè vicum Felicem verſus «
S. Vitalem, repertum fuit memoriâ mea templum parvum, «
cum columnis ex marmore fuſco Africano, viginti palmorum: «
nec memini rotundumne, an ovali forma eſſet. «

Fortè fuerit templum dei Silvani, quod in valle Viminalis exſtabat, ut ex inſcriptionibus ibidem repertis conſtat, & erat porticu ornatum.

FLAMINIUS VACCA. Pauli IV. tempore, proximè S. «
Vitalem in villa Horatii Muti, effoſſus eſt theſaurus à vinitore, «
vis ſcilicet aureorum numiſmatum & gemmarum magni pretii. «
Qui vinitor cum præda ſeſe fugâ proripuit. Horatius in vineam «
ſe confert, & vinitorem quærit, donec ad locum in quo effoſ- «
ſus theſaurus fuerat acceſſit. Ibi vaſa ænea quædam & caldaria «
rupta, ulteriuſque rimans, numiſmata aurea reperit, ſtatim- «

» que in furti notitiam venit. Mox nummularios aurificesque mo-
» net, ut si quis numismata sibi aurea & gemmas deferret, ipsum
» in Curiæ potestatem mitterent. Sub hæc Michael Angelus Bo-
» narota, domesticum quemdam, Urbinum nomine, misit, qui
» veteres nec triti usûs monetas commutaret. Obstupuit nummu-
» larius, utque monitus fuerat, hominem in carcerem trudi cu-
» ravit. Quæstione cum domestico habitâ, fassus est ipse se a Mi-
» chaele Angelo totum accepisse. Præcipit Judex in carcerem
» mitti Michaelem Angelum. Quo facto, quæritur primùm no-
» men ejus. Respondet ille: Dictum mihi fuit vocari me Michae-
» lem Angelum *delli buoni arotti*, id est, de bonis incrementis.
» Cujas es tu? Aiunt me Florentinum. Nostin' Mutos? Quibus
» ille: Quî mutos noverim, qui ne quidem fabulatores noscam?
» Inter hæc Cardinales quidam, re compertâ, nobiles & pri-
» marios viros mittunt, qui apud judices id agant ut dimittatur
» liber, & reducatur domum, Urbino aliquandiu post in carcere
» remanente. Tum renuntiatur Horatio Muto, vinitorem Ve-
» netiis agere, & illic visum fuisse. Vir ille nobilis sese Venetias
» confert; ibique infelix comperit, vinitorem & gemmas & nu-
» mismata Reipublicæ tradidisse, quæ in muneris gratiam ipsum
» civitate & amplo reditu annuo donaverat. Conquestus ille apud
» Senatum, tantum retulit, quantum ad iter Româ Venetias,
» Venetiis Romam satis esset, & nihil præterea. Hæc etsi parum
» ad Romanas antiquitates conferant, animi gratiâ dicta sint.
» Vide quam facetè cum fortunato Michaele Angelo in extremo
» vitæ fortuna luserit.

Eodem circiter loco Christina Regina Suециæ, diu multumque excavari fecit, nullo fructu, saltem suo: nam operæ, nisi summâ curâ observentur, omnia subducunt.

» Flaminius Vacca. In vinea D. Horatii Muti, quo
» loco repertus est thesaurus, è regione S. Vitalis, deprehensum
» fuit idolum ex albo marmore, staturâ palmorum quinque,
» basi insistens, in camera quadam sive conclavi fornice instru-
» cto positum. Aderant circum multæ lucernulæ figlinæ, quarum
» pars tenuior, ubi ellychnium inseritur, versus idolum specta-
» bat. Eratque simulacrum leonino capite, humano corpore. Pe-
» dibus insistebat globo, ex quo serpens oriebatur, qui totum
» corpus circumvolvens, caput in os ejus immittebat. Idolum
» porro manus pectori admotas, & utraque clavem tenebat.

Alæ quatuor inerant, humeris hærentes, quarum binæ versus " cœlum, binæ versus terram spectabant. Non æstimo remotissimæ antiquitatis esse, quia imperiti artificis; aut fortassis ita " vetus erat, ut ante instauratas priscis illis temporibus Romæ " artes, confectum fuerit. Aiebat mihi Horatius, Theologum " Jesuitam dixisse sibi, iis significari dæmonem, qui tempore *gentilitatis* in mundo dominabatur: quamobrem pedibus globum " terebat. Serpentem verò, qui circumvolutis spiris simulacrum " complectebatur, & in os caput immittebat, indicare futurorum " prænuntiationem, ambiguis oraculis. Claves in manibus, annotare dominium in universam terram. Caput leonis, principem & moderatorem omnium animalium. Alas significare ipsum ubique esse. Hæc interpretatio Jesuitæ. Nihil non egi ut " idolum cernerem: at mortuo Horatio, ejus hæredes ignorant " quorsum abierit. Neque abs re æstimatur, hortatu Theologi " Horatium idolum hujusmodi amandasse in calcarium furnum, " ut humiditas tot annis in subterranea casa contracta exsiccaretur; aut forsan in infernum, mandante Jesuita, remigraverit. "

Sic ludit Flaminius. Casa porro istæc subterranea, nihil aliud quam idoli templum erat, ut ex lucernarum apparatu conspicuum. Hujusce formam, primis penicilli lineamentis figuratam, vidi Romæ inter schedas Petri santi Bartoli, famosi chalcographi: addita ab nescio quo interpretatione; quâ deum esse quemdam Sabinorum ferebatur. Antequam meam hac de re opinionem expromam, audiendus de simulacro alio perquam simili nobilis sculptor.

FLAMINIUS VACCA. Memoriâ meâ, post effossum idolum hujusmodi, eodem loco aliud deprehensum est; " sed in anaglypho sculptum, leonino capite, corpore humano, " a zona ad pedes indutum subtilissimo velo, expansisque brachiis " utraque manu faculam gestabat. Alæ item duæ versus cœlum, " duæ versus terram protendebantur, inter quas serpens oriebatur. A latere dextro ara, succenso igne: ex ore idoli fascia " emissa, supra ignem aræ volitabat. Hujus significationem non novimus, quia Theologus non explicavit: sed cuivis id inspicere " licet in ædibus hæredum Horatii Muti. *Eorum schemata proferimus.* "

Hæc antiquitatis monumenta quo loco jam ſedeant ignotum Statua certe prior, quam, quorſum abierit, ignorare ſe ait Flaminius, a Bartolo ſupra memorato qui delineavit, aut ſaltem ipſi ſimilis, viſa fuit. Hæc ſimulacra eſſe Mithræ ne minima, ut quidem autumo, ambigendi cauſa, omnia quippe ſymbola in hoc quadrant. Capite leonino Mithram antiquitus expreſſum accipimus a Lutatio Statii interprete ad Thebaidos librum primum. Idipſum non obſcure tradunt Tertullianus in Apologetico, & Hieronymus epiſtola ad Lætam de inſtitutione filiæ, quorum teſtimoniis adferendis ſuperſedemus, quia in re nota tritaque inſiſtere non vacat. Hinc Minutius Felix in Octavio: LEONUM *& canum vultu deos dicatis*. In Abraxeis quoque



gemmis Mithras ſive Sol, interdum leone toto, interdum leonino capite, ſerpentino corpore exprimitur: cujus ſymboli iſthæc effertur ratio: quod ſicut inter feras leo, ſic inter ſydera ſol, cæteris præcellat formâ atque fortitudine.

Mithræ ſchema non unum, imo nec paſſim inter anaglypha, ſtatuaſque veteres leoninâ facie occurrit. Vulgatiore enim typo, Mithras in antro, humana juvenili facie, tauro quem cultro pungit inſiſtens, exhibetur; additis ſymbolis variis, quorum non una in hujuſmodi ſchematibus ratio. Hæc pluribus & doctè V. cl. Philippus a Turre, in opere de Mithra, haud ita pridem edito; ubi ſingula quæ Mithram ſpectant ſumma accuratione percenſet. Huic lubens iſtæc omnia ſimul publicanda tradidiſſem, ſi quidem ad Mithram ſpectare in mentem veniſſet: at etiamſi nactus Flaminii ſchedas eram; quia tum colligendis monumentis deditus, ſingula luce & explicatione donanda aliud in tempus & otium miſeram, nihil de Mithra tum ſuccurrebat. Hæc ſane commodùm erudito viro accidiſſent, qui de ſimili Mithræ ſchemate nihildum audierat.

Ut cætera hîc exhibita Mithræ ſymbola perſequamur. SERPENS in ſchematibus variis ipſi ſemper adpingitur; nullumque hactenus mihi videre licuit hoc ſymbolo carentem. Tantaque religione curabant ut ſine ſerpente Mithras nuſquam prodiret, ut nonnumquam etiam vel ipſi Mithræ nomini, icone ejuſdem minime comparente, ſerpentis figuram adpingerent. Id videtur Divione in ſepulcro Terentii cujuſdam, Imperatoris Aureliani famuli. Is in anaglypho arcum dexterâ tenet, ſiniſtrâque capiti admotâ, pharetram a dorſo geſtat, decuſſatis tibiis: a latere dextro his ΤΩ ΜΙΤΡΑ ΓΕΝΕΤΗ *Mithræ genitori*, ſerpens ſinuoſis flexibus præmittitur. In imo lapidis legitur ΤΩ ΤΕΡΕΝΤΙΩ ΥΠΗΡΕΤΗ. *i.* ἐποίησεν; a latere ſiniſtro Ο ΑΥΡΕΛΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. Hoc eſt, *Terentio miniſtro fecit Aurelianus Auguſtus.* Ævo maximè Aureliani, Mithras a Romanis cultus eſt, monſtroſumque hujuſmodi cultum is adauxit atque fovit. Cumque ſæculo eodem ars ſculptoria mirum in modum declinaſſet, ut arguunt ſingula quæ ſuperſunt iſtius temporis veſtigia & monumenta, haud malè forſan auguratur Flaminius, cum Mithræ ſtatuam, ſeneſcente jam artium liberalium ſplendore, confectam æſtimat.

Circumvolutus ſerpente Mithras an alias viſus ſit ignoro: neque

ſuccurrit qua demum religione monſtroſum hujuſmodi cultum numinibus ſuis veteres adtribuerint. Circumligatam item ſerpente ſtatuam memorat ſupra Flaminius, ubi de eccleſia SS. Petri & Marcellini.

Alas quatuor ſimulacrum habet: binas tantum conſpicimus in ſchemate quodam Burgheſiano, ubi juvenili humana facie alatus Mithras tauro inſiſtit. Solis certe ſimulacra pinnata a veteribus conficta fuiſſe narrat Macrobius lib. 1. Saturnalium c. 19. *quæ res*, inquit, *monſtrat ejus velocitatem.* Qua ratione vero diſpar alarum numerus præferatur, ut modo binæ, modo quaternæ addantur, quis aperuerit? Eſt penes me Baſilidianorum gemma, qui deliramenta plerumque ſua profanis gentilium ritibus admiſcebant, ubi humana figura inſculpta habetur, utraque manu faculam geſtans, cui ſex adduntur alæ: eam, etiamſi Mithriacum quid oleat, non auſim tamen Mithram appellare.

Claves manibus tenet Mithras, puta quia portentoſa gentium ſuperſtitione, ut fur habebatur, & *boum abactor*, ut habet Commodianus.

Inſuper & furem adhuc depingitis eſſe.

In altero typo lucernas, converſo ad ſimulacrum ellychnio, vides; in altero faculas geſtantem Mithram. Quorum una nec ambigua ſignificatio. Nimirum Perſæ, a quibus ad Romanos Mithriaca ſacra manarunt, non ſolem modo; ſed ignem etiam Mithræ nomine inſigniebant. Ignem, Perſicum eſſe numen ignorat nemo. Hinc lucernæ illæ atque faces: vix enim inter Mithriaca illa ſchemata & anaglypha, quæ frequenter Romæ occurrunt, diverſo tamen typo, uſquam videtur ſine face Mithras.

Globum denique pedibus terit Mithras, ſive quia, Porphyrio teſte, Mithras mundi Pater & conditor habebatur; ſive etiam quia orbi terrarum impoſitus ſol, Mithræ nomine cultus, totum illuſtrat, ſervat, calore fovet, & fructibus ornat.

In antris demum ac ſpelæis cultum Mithram, atque in locis ſubterraneis ſacra Mithriaca peracta, frequenti veterum teſtimonio accipimus. Inde eſt quod tabulam illam & anaglyphum in ſubterranea Capitolii via repertum, pro Mithriaco ſymbolo habeamus. Mithras itaque, diverſo typorum genere celebratus Romæ fuit. De hujus ſacris, typis, initiationibus adeundus laudatus

datus vir Philippus a Turre. Adjicere liceat, quæ de Mithriacis initiationibus ex Nonno adfert Barthius, nonnihil corrupta esse, & sarciri posse ex commentario qui in codice quodam Græco Gregorii Nazianzeni comparet. Is x. sæculo exaratus, anno proximo 1701. ab quodam Græco præsule, LUDOVICO MAGNO cum duobus aliis oblatus est. De Mithra igitur hæc ibidem leguntur. Τεσσαρακοστὴ ζ΄ ἐστὶν ἱστορία ἡ Μίθρου κόλασις. ἔστι δὲ ἥδε· τὸν Μίθραν νομίζουσι Πέρσαι τὸν ἥλιον εἶναι· καὶ τούτῳ θύουσι πολλὰς θυσίας, καὶ τελοῦνταί τινας ἐξ αὐτῶν τελετάς. οὐδεὶς δὲ δύναται τελειωθῆναι τὰς τοῦ Μίθρου τελετάς, εἰ μὴ διὰ πασῶν τῶν κολάσεων παρέλθοι, καὶ δείξοι ἑαυτόν τινα ἀπαθῆ καὶ ὅσιον. λέγεται γὰρ ὀγδοήκοντα εἶναι κολάσεις, ἃς κατὰ βαθμὸν δεῖ τὸν τελεσθησόμενον παρελθεῖν. οἷον πρῶτον διανήξασθαι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὕδωρ πολύ. εἶτα εἰς πῦρ ἐμβάλαι (sic) ἑαυτόν. εἶτα ἐν ἐρήμῳ διαιτηθῆναι καὶ ἀσιτῆσαι, καὶ ἄλλα τινά, ἄχρις οὗ, ὡς εἴπομεν, τὰς ὀγδοήκοντα κολάσεις παρέλθοι. i. *Quadragesima septima historia, Mithræ cruciatus exprimit. Sic autem se habet: Mithram solem esse Persæ autumant, cui multa offerunt sacrificia, & ex suis aliquos mysteriis ejus initiant. Nemo potest autem Mithræ mysteriis initiari, quin per omnia supplicia pervaserit, seseque veluti intactum doloribus & sanctum commonstraverit. Aiunt octoginta cruciatuum esse genera, quæ gradatim initiandum experiri opus est. Primùm scilicet, nando trajiciat oportet diebus multis aquæ vim immodicam: deinde in ignem sese conjiciat: post necesse est ut in deserto agat & cibo abstineat, & alia nonnulla perferat, donec, uti diximus, per octoginta cruciatus permearit.* Hæc Barthii allatæ historiæ dissimilia sunt, quæ in his conspicuo vitio laborat, *Primùm ei diebus multis aperienda est aqua.* Quæ vel vitiatis ex Græcis expressa, vel perperam explicata sunt.

Postquam diversó typorum genere cultum Mithram enarravimus, epitaphium adferimus, in quo de Aside, inclyti Mithræ, ut fert inscriptio, sacerdote mentio. Quamquam non Asidi βωμὸς sive ara, nam ita vocatur, sed filio ejus Lucio defuncto erecta est. Effossa illa fuit, dum Romæ versarer, in villa Corsinia anno 1699. Estque lapis quadrus solidus, uno atque dimidio pede sublimis, latus uno circiter. Eodem anno, 17. Martii, descripsi.

ΑСΙΔΟС ΑΡΧΙЄΡΗΟСΑΙ
ΑΝΚΑΤΤΟΥ ΥΙЄΑ ΜΙΘΡΟΥ
ΛΟΥΚΙΟΝ ΑΘΛΟΘЄ ΤΗΡΑΠΑ

ΤΡΗϹ ϹΜΥΡΝΗϹ ΕΡΑΤΙΝΗϹ (*sic*)
ΕΥΓΕΝΙΑΝ ϹΟΦΙΑΙϹΙ ΚΕΚΑϹ
ΜΕΝΟΝ ΕΞΟΧΟΝ ΑΝΔΡΩΝ
ΑΥϹΟΝΙΟΝ ΔΑΠΕΔΟΝ ΒΩΜ
ΟϹ * ΘΟΔΕ ΣΗΜΑ ΤΕ ΚΡΥΠΤΕΙ. *(*sic*)

Ο * ΚΕΙΝΗϹΑϹ ΤΟΝ ΒΩΜΟΝ * (*sic*)
Η * ΑΛΛΟΝ ΕΚ ΤΟΥ ΤΑΦΟΥ * (*sic*)
ΑΠΟΔΩϹΕΙ ΔΗΜΩ ΡΩΜΑΙΩΝ
ΔΗΝΑΡΙΑ * ΠΕΝΤΑΚϹΧΙΛΙΑ *(*sic*)

Hoc eſt

Aſidis ſacerdotis inclyti Mithræ filium
Lucium certaminum præfectum patriæ ſuæ Smyrnæ amabilis,
Qui nobilitatem generis ſapientià ſua exornavit, præſtantiſſimus virorum,
Auſonium ſive Italicum ſolum, atque hæc ara & monumentum contegunt.

Qui moverit aram, aut aliud quidpiam ad ſepulcrum ſpectans,
Solvet populo Romano quinque millia denaria.

Non in templis modo aræ occurrebant, ſed in ſepulcris quoque aras antiquorum uſus admittebat, ea forma quæ ad ſtylobaten ſive columnæ baſin majorem plus accedit:

Ante ſepulcrales infelix adſtitit aras,

ait Ovidius, qui tamen explicationem aliam facile admittat. Verum exemplis multis palam fit, aras vocatos fuiſſe lapides hujuſmodi quadros, ſolidos, epitaphiis inſcriptos; in tabulis enim atque in urnis videre mihi non licuit. Mulcta violatoribus ſepulcrorum indicta non infrequenter occurrit. Erat quandoque, non modo ſepulcrum movere loco, ſed etiam aliquid ibi vendere aut reponere, vetitum. Sic in epitaphio quod nuper adtulit mihi vir amiciſſimus Anſelmus Bandurius Monachus Benedictinus Dalmata, exſcriptum manu viri docti Antonii Salvinii, legiturque ad tumulum in ædibus Joannis Nardii Florentiæ:

ΑΧΙΛΛΕΥϹ ΕΠΑΦΡΑ ΤΗ ΙΔΙΑ ΓΥΝΑΙΚΙ ΓΕΜΙΝΙΑ
ΜΥRΤΑΛΗ ΜΝΗΜΗϹ ΤΕΛΕΥΤΑΙΑϹ ΧΑΡΙΝ ΤΗΝ ϹΟΡΟΝ
(*sic*) ΕΦ Ω ΜΗΔΕΝΑ ΜΗΤΕ ΠΩΛΗϹΑΙ ΜΗΤΕ ΘΕΙΝΑΙ ΕΞΟΥϹΙΑΝ

ΕχΕΙΝ ΠΛΗΝ ΕΙ ΜΗ ΑΥΤΟϹ ΑΧΙΑΛΕΥϹ ΠΑΘΗ ΤΙ ΑΝΘΡΩ ΠΙΝΟΝ...... ΕΙ ΔΕ ΤΙϹ ΕΚΒΑΛΗ ΤΗΝ ΜΥΡΤΑΛΗΝ ΔΩΣΕΙ ΤΩ ΦΙϹΚΩ *V* ΒΦ.

Hæc accurate exarata æſtimo. Suſpicatur autem vir eruditus errato fabrili ΑΧΙΑΛΕΥϹ pro ΑΓΧΙΑΛΕΥϹ poſitum eſſe : putarim ego legendum ΑΧΙΛΛΕΥϹ : proclivis enim τοῦ Λ in Α mutatio. Epitaphium ſic interpretor.

Achialeus (vel Achilles) Epaphra propriæ uxori Geminiæ Myrtalæ , memoriæ poſtremæ gratia , tumulum , (ſupple *erexit*) *in quo nullus vendendi aut aliquid reponendi facultatem habeat , niſi priùs Achilles ipſe humanum quid patiatur. Si quis Myrtalen loco moverit , ſolvat fiſco denaria bis mille quingenta.*

Repetatur exinde vicus Felicis, in quo, eundo ad S. Mariam Majorem , offenditur villa Chiggia , parvi quidem ambitûs , ſed admodum elegans. Hortus aquis ſalientibus plenus ; ædes intus ornatæ probè , in quodam autem conclavi innumera diverſi generis rara & non obvia viſuntur, gemmæ , antiqua vaſa , omne genus armorum , adeſt etiam pellis humana ſubacta, denſior pelle vituli ; Mumia, uti vocant, Ægyptiaca, ſive corpus muliebre aromatibus , uti ſolebant Ægyptii , conditum ; & alia innumera hujuſmodi. Inde per vicum Felicis eundo, deſcenditur per clivum Viminalem , & ad lævam declinatur. Eſt ibi eccleſia S. Pudentianæ antiquiſſima , de cujus tamen fundatione incerta traduntur. Aiunt iſtic olim fuiſſe thermas Novati , quarum reliquiæ , initio xvi. ſæculi, ait Albertinus , videbantur. Monſtratur in eccleſia puteus, in quem ferunt S. Pudentianam trium Martyrum millium corpora conjeciſſe. Locum & eccleſiam cum amplo Monaſterio tenent RR. PP. Fulienſes. Erat S. Pudentianæ eccleſia in vico Patritio , ut legere eſt in prædicto Analectorum J. Mabillonii noſtri Tom. IV. ac proinde ad nonum uſque ſaltem ſæculum , nomen hujuſmodi viculus retinuit.

Eodem itinere , deflectendo ad dexteram, pervenitur in eccleſiam S. Laurentii in Paniſperna , ſic vitiato, ut quidem probabiliter æſtimatur , nomine a Perpernia , cujus inſcriptio iſtic reperta fuit ; hinc corrupto per plebeium uſum vocabulo, Paniſperna factum fuerit. Eccleſia eo loco ſtructa fuit, quo S. Lau-

rentius in craticulam conjectus est, aiuntque craticulæ partem istic asservari. Ex actis porro S. Laurentii habemus ibidem olim fuisse thermas Olympiadis. Fuit illa e numero XXIV. Abbatiarum Urbis, jam titulus Cardinalitius, cessitque Virginibus S. Claræ.

» Flaminius Vacca. Quo loco sita jam est ecclesia » S. Laurentii in Pane & Perna, sub grandi fornice vacuo de- » prehensa fuit a *capitaneo*, cui nomen Joannes Jacobus Interam- » nas, statua, humanâ proceritate duplo major, ex marmore, » ut vocant, diopane; ac sub Monasterio, Martis simulacrum, » quindecim palmis altum, marmoreum: quod Cardinalis Fer- » rariensis Tiburem, ad horti sui ornamentum, advehi curavit. » Eodem loco fornices fornicibus impositi detecti sunt, variis or- » natibus decorati.

Hæc videntur ad thermas Olympiadis pertinuisse. Ecclesia S. Laurentii in Panisperna, vocabatur antiquitùs *in Formonso*, quo nomine insignita fuit sæculo nono, vitiato forsan vocabulo a foro montium, videlicet Esquilini, Viminalis & Quirinalis, quia istic in unum coire videntur. Unde tractus hic Urbis, *Montes* dicitur; & e vicino est S. Maria *in Montibus*; incolæ quoque vernacula lingua *Monticcioli* dicuntur. Statua Martis a Flaminio memorata pertinuisse potuit ad ædiculam Martis, quæ a Rufo recensetur in hac quinta Vrbis regione.

Post venitur in vicum cui Subura nomen: dicunt autem periti, Suburam ab antiquis scriptoribus memoratam, procul ista Subura hodierna fuisse. Qua de re superius.

» Flaminius Vacca. In clivo Esquiliarum versus » Suburam, memini D. Leonem Strozzium eruisse septem sta- » tuas humana proceritate duplo majores, quas dono accepit » magnus Hetruriæ Dux, tunc Cardinalis, Romæ agens. Verùm » nobilissima omnium fuit Apollinis statua, quam ipsi restauravi, » quo pacto jam videtur in ingressu Palatii sui propè Trinitatem in » imo cochleariæ scalæ.

Haud procul est turris Comitum quæ, ut verior fert opinio, tempore Innocentii III. structa fuit. Huic proximæ sunt cujusdam aræ aut templi antiqui ruinæ. Aiunt quidam esse templum Telluris: hoc solo ducti argumento, quod in istis partibus templum quodpiam Telluris fuisse feratur: æstimarem ego templum Telluris fuisse ecclesiam S. Salvatoris in Tellure, quæ ad

pedem Esquilini in Subura hodierna sub ecclesia S. Petri in vinculis conspicitur : nam & situs consonat & nomen. Sancti Salvatoris igitur ecclesia , in Tellure dicta fuerit, quia in templo Telluris est , sicut ecclesia B. Mariæ in Minerva , quia in loco ubi Minervæ templum excitata fuit , & similiter ecclesia S. Laurentii in Lucina , quia in templo Junonis Lucinæ. Ut ad Aram supradictam redeam , sunt qui æstiment esse templum Palladis in Palladio foro , ita ut nomen a templo derivetur in forum : de quo Martialis indicans ubi liber suus væniret :

Libertum docti Lucensis quære secundum ,
Limina post pacis Palladiumque forum.

In cujus rei argumentum id adferunt , quod Palladis statua in frontispicio & zophoro videatur. Quibus ego refragari non ausim : notare tamen libet , similes Palladis statuas muro hærentes , licet minores , haberi in Jano quadrivio ad forum Boarium. Porro videtur hoc ædificium non templum quidem muris clausum fuisse , sed aram ad murum qui jam extat positam, columnis , epistyliis , zophoroque ornatam , quod seriò rem speculanti palam erit.

E vicino est antiquissimus murus præaltus, in quo ostium rudi formâ , ad dexteram ingressùs visuntur aliquot columnæ marmoreæ erectæ striatæque , ipsis Pantheonis columnis multo majores , quæ tamen non uno , ut illæ , sed multis saxis confectæ sunt. Hæc ad forum Nervæ pertinent , necnon reliquum ædificium , cujus muri etiamnum integri supersunt.

F L A M I N I U S V A C C A. Memini audivisse me ab " Horatio Mario , ut exornaretur Monasterium quoddam Mo- " nialium , jam in foro Nervæ situm , in solum projecta fuisse quæ- " dam saxa peperina quadra , & inter duo quæque quadra , fuisse " assulas ex quolibet latere , ad formam caudæ hirundinis. Sed " quod summopere miror , aiebat Horatius usque adeo sanas & " sinceras esse , ut possent adhuc in opus admoveri. Nullusque " lignarius faber ligni naturam novit. "

Monasterium de quo Flaminius, est ordinis S.Dominici , catechumenis feminis instituendis deputatum. *Saxa peperina* vulgaria Romæ sunt , ferreo colore , minorisque quam Tiburtina firmitatis. De incorrupto item ligno in Flaminii schedis infra mentio iterum erit.

In foro Nervæ erat templum Jani quadrifrontis , non qua-

drivii more, ſed vulgari, quo templa conſtrui ſolebant. Cujus formam ex anaglypho mutuatus adfert Roſinus de Antiquitatibus Romanis. Ibidem templum aliud erat a Trajano dicatum Nervæ, cujus pars proximo ſæculo ſuperabat. Forum autem Nervæ nuncupabatur itidem Tranſitorium, quia cum in frequentiſſima Urbis parte eſſet, tranſeuntium concurſus iſtic erat.

CAPUT XV.

DIES OCTAVA. Thermæ Diocletiani. Eccleſia B. Mariæ de Angelis. Philoſophorum capita marmorea eruta. Horti Perretini. Aggeres Tarquinii. Caſtrum aquæ. Horti Strozziani. Meleager effoſſus & alia educta. Eccleſiæ S. Agnetis & S. Conſtantiæ; Cœmeterium. Eccleſia S. Nicomedis. Subterraneum ſingulare. Ædes Barberinæ & Bibliotheca ibidem. DIES NONA. Cœnobium S. Baſilii. Codicum ejus Græcorum perampla nota. Villa Ludoviſia. Anaglyphum ſingulare. De templo & ſtatua Veneris Salluſtiæ.

A THERMIS Diocletiani octavam inimus diem: in quarum ingreſſu per vicum Pii, hinc fons ille Sixtinus, Aqua Felix dictus, coloſſali Moſis ſtatua, leonibuſque, quorum duo, ex baſalte Ægyptio, a Rotunda ſive Pantheone advecti ſunt, concinnatus, aliis item ornamentis ſplendet; inde nobilia eccleſiarum S. Mariæ in Victoria, & S. Suſannæ frontiſpicia; ab alio latere Fulienſium S. Bernardi eccleſia, ad proſpectus ſuavitatem conferunt. Immane Thermarum ſpatium fuit, ut ex ruderibus fides. In medio, cameræ prægrandes in eccleſiæ formam, Michaele Angelo Bonarota artifice, actæ ſunt, & in Crucis Græcæ morem concinnatæ. Columnarum hîc olim magna vis fuit, ad ducentas pene olim exportatas, aliiſque admotas ædificiis narrabat Chartuſiæ prior: eæ ſolum relictæ quas amoliri gravitatis cauſa non licuit, ſuntque octo numero, aliæ aliis denſiores ſublimioreſque. Iſtæ verò, quæ altiores ſunt, ab

imo in terram defixæ, ea ſolum parte prominent, qua cum cæteris æquentur. Hinc auguramur non cura Diocletiani iſtuc ex Ægypto comportatas, ſed ex aliis deſumtas ædificiis fuiſſe. Suadetur idipſum ex inſcriptione Thermarum, quam adfert Maſochius. *Coemptis*, nimirum, *ædificiis pro tanti operis magnitudine, omni cultu perfectas, Romanis ſuis dedicaverunt.*

In hiſce Thermarum ruderibus, in cameriſque adjunctis, ſuperſunt reliquiæ cruſtationum marmorearum, queis uſi Carthuſiani ſunt ad novum Eccleſiæ ornatum, artifice Carolo Maratta. His acceſſionibus inſtructa Eccleſia inter Urbis elegantiſſimas annumerabitur. Æqualis amplitudinis ſunt ſubterranei fornices, quorum hodie intercluſus aditus, unde non pauca veterum monumentorum fragmenta educuntur in dies. Eccleſiæ hæret Carthuſia in qua Hecatonſtylus, ſive Clauſtrum centum columnarum, Michaele item Angelo auctore, omnium Romanorum ampliſſimum, elegantiùs quam ſolidiùs conſtructum.

F L A M I N I U S V A C C A. Cum pone thermas Dio- «
cletianæas vellet quidam memoriâ mea caſulam, recipiendis «
ligonibus & ferreis inſtrumentis, excitare, vidit muros duos «
qui eminebant tantillum, & in media eorum intercapedine «
excavare cœpit, inciditque in foramen modicum: quo undique «
dilatato, ſeſe intromiſit; eratque ſtructura camini more con- «
fecta, in qua reperit octodecim philoſophorum capita. Ea ipſe «
ſeptingentis nummis venumdedit domino Joanni Georgio Cæ- «
ſarino: nuperque eadem Julianus ejus filius Cardinali Farneſio «
vendidit, qui in xyſto ſuo repoſuit. «

Hæc philoſophorum capita Thermis ornandis olim deputata erant, ut vero ſimiliter æſtimatur. In Thermis quippe hujuſmodi, non lavacra modo, ſed porticus quoque, ludi, ephebéa pueris educandis: ad hæc vero bibliotheca Ulpia ex foro Trajani olim eòdem comportata fuit: quibus decorandis capita iſtæc philoſophorum peropportuna.

Ex platea Thermarum aditus eſt in Perretinos hortos, qui jam Eminentiſſimi Cardinalis Negronii ſunt. E latere majoris oſtii occurrit labrum ex marmore granito Ægyptio, olim uſui Thermarum, ut conjectare licet, deſtinatum. Ædes proximæ ornamentis variis ſplendent: ſuſpicitur ibidem anaglyphum Pyrrhi Regis peritiſſima manu. In hortis occurrit vis ingens ſtatuarum, anaglyphorum atque inſcriptionum, quarum mul-

tæ elegantes ſunt. In medio quoque hortorum ædes aliæ peramplæ paribus ornamentis decoratæ, ibi itidem inſcriptiones circumquaque obviæ: non paucas exſcripſi, quæ vel ineditæ, vel cuſæ quidem, ſed vitiatæ ſunt. Eſt ibidem in marmore, detrita, & magna ex parte eraſa inſcriptio, in qua de monetarum officinis, præfectis, miniſtriſque præclara legebantur. Horti & vinea adjuncta mirum quam late pateant; ut milliarium pene trium ambitu circumſcribantur. Propter vineæ muros, quà Thermis viciniores ſunt, eſt caſtrum aquæ Juliæ, olim thermarum Diocletianæarum receptaculum aquarum: cujus peramplæ reliquiæ, ingentia rudera ſuperant. E vicino, collis cypariſſorum circulo cinctus, Romam coloſſali pene forma ſedentem exhibet, quam à Flaminio ſupra memoratam æſtimo p. 192. Inde aggeres Tarquinii viſendi, qui, ceu continuato colle, vineam trajiciunt, & pene uſque ad S. Antonium deveniunt. His ſubjectus, ex Rufo & Victore, campus Viminalis ſub aggere, qui partem hodiernæ Perretinæ villæ occupabat. Hæc pauca de nobilibus hortis damus, quibus ſane deſcribendis non modico volumine opus.

E regione Perretinæ, vico ſolùm intermedio, Strozziana villa viſitur, anguſtiori limite circumſcripta, ſed culta; ubi multa quotidie eruuntur. Ibidem nuperrime Meleager effoſſus, humanâ minor ſtatura, dempto capite, fabri peritiam prodit. Adjuncti ſagittiſque confixi apri forma ſuſpicitur: erat qui ære non parvo aprum ſolum expetierit. Venus ibidem docto artifice educta fuit, aliaque multa excavando detecta. In imo foveæ, inciderunt in viam antiquam more Flaminiæ & Appiæ ſtratam. Nam in pleriſque Urbis partibus ſolum, olim demiſſius, ruinis & illuvie in tantam altitudinem erectum eſt, ut nonnumquam domi templaque integra ſuffoſſa detegantur; ut ex Flaminii narratione & hodiernis experimentis fides.

Inde vicum Pii repetendo, per portam ejuſdem nominis quæ Nomentana item vocitatur, in S. Agnetem, uno ab Urbe milliario ſitam, conceditur. Eccleſia vetuſtate venerabilis, columnis fulcitur, in queis duæ ex alabaſtrite: ſtratum ex inſcriptionum fruſtis magna parte confectum. Cætera, nemini non nota, vel ore vulgi feruntur. Iſtic Liberius, cum ab exilio remigraret, receptum habuiſſe fertur: ibidem, multis poſt ſæculis, Rothardus Sueſſionenſis epiſcopus ſupplicem libellum adverſus

verſus Hincmarum Rhemenſem Nicolao primo obtulit, a quo & in ſedem reſtitutus. In templo huic vicino, S. Conſtantiæ nomine, ſingularis veteris templi numinum forma conſpicitur: quod, ſi quidem ex aliis Romanorum templorum ruderibus rem æſtimare fas eſt, non ad primævam illam florentiſſimamque architectonices ætatem pertinere poteſt. Nam quod ex Vitruvio pariter & ex reliquiis templorum veſtigiiſque cognoſcitur, antiquiores illi artifices, ut æternitati laborabant, non fornices, non magnas moles columnis unis fundabant, ſed admotis craſſioribus pilis, partem minimam operis & fornicis a columnis fulciri curabant. Ex capitellis item zophoriſque, rudiore manu elaboratis, ſequiorem ætatem arguimus. Proximis ſæculis magnifici atrii ovatâ formâ, columnis decorati, reliquiæ ſupererant, quarum ne veſtigium hodie. Reliqua, ut ſepulcrum Bacchi, picturæ antiquæ ſimiliaque, ſexcenties recenſita ſunt.

Pone ſanctam Agnetem, cœmeterium vulgari eodemque quo ſupra memoravimus ritu viſitur. Verum ſubterranei meatus non procul adeuntur, de induſtria occluſi. Conſilium occludendi caſus juvit, nam multæ ſemitæ, dilapſa humo, ſponte obrutæ ſunt. Nec prætereundum ſilentio, in ſubterraneis hujuſmodi ſepulcris nonnumquam occurrere imagines Apoſtolorum, cujuſmodi e ſepulcro eductam cum Mediolani ageremus, vidimus & expreſſimus. Similem accepi Romæ iconem S. Petri, non imperite, anaglyphi more, ſculptam, permixtim cum oſſibus Chriſtiani cujuſdam deprehenſam. Ad oſſa vero mulieris, mariti ejuſdem plumbeum caput inventum eſt, quod item mecum Roma detuli.

E regione erat, viâ ſolùm intermediâ, eccleſia S. Nicomedis, cujus ne ſignum hodie. Multæ namque veteres eccleſiæ a ſcriptoribus memoratæ, ſive populationibus Urbis frequentibus, ſive caſibus variis dirutæ ſunt.

F l a m i n i u s V a c c a. Propter ſanctam Agnetem «
extra portam Piam, memoriâ meâ detectæ ſunt cryptæ bene «
multæ, altitudine humana, latitudine quinque palmorum, «
undequaque marmoreis tabulis veſtitæ. Neque in mentem ſu- «
bit cui olim uſui fuerint. Iſtic oſſa reperta ſunt, & quidem Mar- «
tyrum, ut dictitabant, qui tyrannorum metu his latebris uſi »
fuerant. «

Eadem via regressis iter est in Barberinas ædes, queis nullæ per Urbem magnificentiores. Veterum monumenta, quæ bene multa ibidem exstant, fuse in hodiernis Romanis descriptionibus recensentur. Bibliotheca librorum copia omnibus præstat. Codicum item magna vis est, Latinorum maxime: Orientales enim atque Græci perpauci comparent. Ac etsi haud libero exterorum aditu Bibliotheca frequentetur, Græcos tamen codices raptim semel inspectare licitum fuit; & quia, contra quam rumore nuntio audieram, exiguum prorsus numerum animadverti: percontanti quorsum abiisset illa Græcorum codicum copia, quæ in Barberinis ædibus exstare omnium ore ferebatur, responsum est, jam a multis annis cum exportarentur codices, a bajulis multos venum oblatos, & ad quingentos ejusmodi casu abstractos dissipatosque. Inter eos qui jam supersunt sequentes notavi.

Liturgia *Basilii* annorum plus mille, charactere unciali, sine accentibus. Ea antiquitate nullum hujus Liturgiæ codicem exstare arbitrabar. Quod opus suspectum multis nominibus est, & a peritis Basilio abjudicatur.

Δαμιανοῦ φιλοσόφου τοῦ Ἡλιοδώρου Λαρισσαίου, περὶ ὀπτικῶν ὑποθέσεων. Cujus initium, Ὅτι μὲν οὖν προσβολῇ τινος ἀφ' ἡμῶν. Codex sexto-decimo sæculo conscriptus.

Philippi Ceramitæ homiliæ in codice recenti.

Origenis τὰ φιλοσοφούμενα, in codice recenti, cujus lectiones varias erui, & cum aliis codicibus contuli, ut eâ operâ purgatiora dare in promptu sit. Codex recens est.

Libanii epistolæ aliquot, itemque *Basilii* in codice recenti.

Alia quædam manuscripta Græca istic comparent, quorum aliquot Leonis Allatii manu exarata.

In proximo conclavi Latini codices bene multi latent occlusi, quos adire & evolvere nemini conceditur.

Monasterium & Bibliothecam RR. PP. S. Basilii NONA DIE adiimus. Quod quidem cœnobium perparvum, nulliusque antehac nominis, jam studio & cura Reverendissimi Patris Petri Mennitii, ordinis Præfecti, codicum Græcorum festiva copia exornatur. Is enim, quia in variis sibi subjectis Calabriæ Monasteriis, codices istos, obsoleto pene Græcæ linguæ usu, jacere intactos neglectosque acceperat, imminenti jam exitio subduxit, inque Urbem advehi in usum eruditorum curavit:

ac nobis, quæ eſt ejus humanitas, prolixumque nos demerendi ſtudium, iis pro voto fruendi, & exportandi domum ſicuti liberet, copiam fecit. Diplomatum quoque Græcorum manum eadem opera Romam advehi juſſit, quorum magnam partem exſcripſimus. In Calabria enim, & in aliis Neapolitani regni regionibus, atque in Sicilia, ad proxima uſque ſæcula Græca lingua obtinuit; ut non plebeio ſolum uſu, ſed etiam Eccleſiaſtico, in officiis ſuis Græca lingua frequentaretur, donec Sixti IV. juſſu ac decreto, omnibus ut Latinè perſolverent officia proviſum eſt. Curabat nempe ipſe Græcæ linguæ uſum his in partibus ex hominum memoria penitus oblitterare. Hactenus tamen in pleriſque Regni partibus populares Græco, ſed vitiato, idiomate fabulantur.

Narrabat mihi præclarus antiſtes, Roſciani, quæ eſt Calabriæ Ulterioris Archiepiſcopalis ſedes, fuiſſe olim ingentem diplomatum Græcorum numerum, quæ ſe vidiſſe commemorat in Italia ſacra Ferdinandus Ughellus. Verum a multis hinc annis Archiepiſcopum tunc ſedentem, pertæſum adventantium frequentiæ, rogantiumque ut diplomata proferrentur, ſuffodi omnia & in perniciem ire curaſſe.

Ordo S. Baſilii in Italia, Calabria, Sicilia, Hiſpania, maximeque in Oriente late, cœnobiis multis auctus, extenditur. Accepique multos eſſe orientalium Baſilianorum, qui præfecto ordinis Romano ſubeſſent; ac cum primis cœnobium S. Catharinæ in monte Sinaï, cujus Monachi cum ad ſtipendia Arabum in quorum deſertis agunt, tum ad victum uſumque quotidianum, ſtipem cogunt in Sicilia & in aliis Hiſpanicæ ditionis regionibus, & tantum pecuniæ corradunt, quantum ſibi & explendis Arabum animis ſit ſatis. Deſcriptionem porro Montis Sinaï atque Cœnobii, a Nectario patriarcha, cum viſitandi cauſa eodem conceſſiſſet, accurate confectam, exſcribendam mihi vir amiciſſimus obtulit. Oſtendit item nobis calices binos vitreos oblongos, quorum ſacer olim uſus ad liturgiam in Monaſterio Patirienſi fuit.

Codicum Græcorum notam non ſpernendam hic conſignamus.

KONTAKION Officii Eccleſiaſtici x. ſæculi. Eſt *contacium* breviſſimus baculus, cui hæret obvoluta miræ longitudinis charta membranea, ex multis foliis conſequenter agglutinatis con-

fecta, ubi descriptæ orationes & officia sacerdotibus obeunda, cum sacra administrant. Simile huic habetur in Bibliotheca Regia. Est autem illud elegantibus apicibus & litteris exaratum.

Biblia sacra IX. sæculi in codice membranaceo, charactere unciali oblongo ac deflexo, initio & fine mutila, optimæ notæ.

Biblia sacra a Genesi ad Judicum librum, initio & fine mutila, ibi Origenianæ ad marginem notæ quas exscripsimus. Hæc accessio nobilis est ad alia aliorum operum excerpta, quorum editionem paramus. Codex X. sæculi accuratione multa conscriptus est in membrana.

Prophetarum libri. Codex XI. sæculo exaratus membranaceus.

Daniel Propheta, & consequenter Homiliæ quædam, in codice XI. sæc. membran.

Evangeliorum codices duo membranacei XII. sæculi.

In alio codice X. sæculi membran. pars novi Testamenti.

Singularis ibidem codex sæculi XI. habetur membranaceus. In quo notantur primo testimonia atque loca veteris Testamenti, a S. Paulo in quatuordecim Epistolis suis usurpata; ac deinde loca itidem cum ex prophanis tum ex Apocryphis mutuata libris. De prioribus nihil nisi tritum occurrit; de aliis hîc agimus.

Locus qui ex Heliæ apocrypho libro usurpatus hic dicitur, talis est, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. 9.

Λακονικὴ καὶ ἀρχαία παροιμία· φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν, id est, *Laconicum & vetus adagium est: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* 1. Cor. 15. 32.

Μενάνδρου γνώμη, Επιμενίδου μάντεως χρησμός· φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. id est, *Menandri sententia, & Epimenidis vatis oraculum: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* 1. Cor. 15. 33.

Locus iste dicitur ex apocrypho Moysis usurpatus. οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἡ ἀκροβυστία: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Galat. 5. 6.

Ex apocrypho Hieremiæ id desumtum est, ἔγειρε ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστός. *Surge qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Ephes. 5. 14.

Ἐν τῇ πρὸς Τίτον μαρτυρία μία Ἐπιμενίδου Κρῆτος καὶ μάντεως χρησμὸς, καὶ Καλλιμάχου Κυρηναίου ποιητοῦ ἡ αὐτὴ μία. α. *In epiſtola ad Titum teſtimonium adeſt unum Epimenidis ſcilicet Cretenſis & Vatis oraculum, quod ipſum eſt etiam Callimachi Cyrenæi poëtæ.* c. 1. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

In cod. x i. ſæculi membran. Catena Patrum in Evangelia.

Codices S. *Baſilii* bene multi x. x i. & x i i, ſæculi membranacei, ex quibus anecdota eruimus. In quodam eorum exſtant alphabeta arcana Græcorum, a nobis tomo ſequenti publicanda. Scriptus autem fuit anno mundi, juxta Græcorum computum, 6613. Chriſti 1105.

In codice xi. ſæculi, Regula S. *Baſilii.*

Codex i x. ſæculi, membran. *Baſilii* Homiliæ in Hexaëmeron. Item *Gregorii Nyſſeni* Homiliæ 5. de Oratione, aliæ de Beatitudinibus. Ejudem *Gregorii* περὶ τῶν ἐπιγραφῶν τῶν ψαλμῶν, *de inſcriptionibus Pſalmorum*, prolixum opus. *Baſilii* ad Optimum epiſtola. Apocalypſis. *Gregorii Nyſſeni* Apologeticus pro Hexaëmero Baſilii. Ejuſdem Quæſtiones in opus ſex dierum.

Codex x. ſæculi membran. in quo *Baſilii* homiliæ, epiſtolæ quædam ejuſdem, homiliæ in Hexaëmeron. *Gregorii Nyſſeni* ad Petrum Quæſtiones in Geneſin. Item *Pantoleontis* Diaconi magnæ eccleſiæ de Miraculis Archangelorum.

Codex x i i. ſæculi membran. *Gregorii Nazianzeni* Sermones quidam.

Alius ejuſdem Orationes cum ſcholiis complectitur.

In alio codice x i. ſæculi membran. *Gregorii Nazianzeni* opera. In præliminaribus explicantur notæ quædam marginales. Quæ obeli ſive radii ſolaris formam habet, ἡλιακὸν dicitur, id eſt, *ſolaris nota*, quæ inſigniora ad Theologiam ſpectantia indicat. Aſteriſcus tum reponitur cum de Incarnatione Domini præclara enarrantur. Ὡραῖον, ſive elegans & ſpecioſum dictum, duabus primis litteris notatum, loca denotat elegantius recenſita. Σημεῖον, id eſt *ſignum*, apponitur cum quædam ſive doctrinam ſive hiſtoriam ſpectantia, quæ mirabile aut ſtupendum quid referunt, pertractantur. In aliis codicibus nota c h. quæ vulgo adpingi ſolet, σημείωσαι legi debet, id eſt, *nota.* In hæc verba Apologetici cujus initium Ἥττημαι, &c. duabus ante finem paginis; ὡς δὲ ἐγὼ τινὸς ἤκουσα σοφοῦ περὶ ταῦτα ἀνδρὸς, οὐκ ἀτόπως &c. hoc ſcholion legitur. Ὠριγένην σαφῶς αἰνίττεται, οὗ

καὶ τὴν ἐξήγησιν ἐπιφέρει εὑρισκομένην σαφῆ ἐν τοῖς εἰς τὸν Ἰωνᾶν ἐξηγητικοῖς. Id eſt : *Origenem aperte ſubindicat , cujus enarrationem adfert , qualis diſerte exprimitur in Commentariis in Jonam.* In hæc autem verba Epitaphii in Patrem ſuum , cujus initium Ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ, tribus circiter poſt initium paginis , οὐδὲ μία δράχμη πλείω τὴν οὐσίαν πεποίηκε, in margine notatur. Περὶ σαθμῶν. τὸ τάλαντον , ὡς φησὶ Διόδωρος ἐν τῷ περὶ σαθμῶν , μνῶν ἐστὶν ἑξήκοντα. ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ρ̄, ἡ δραχμὴ ὀβολῶν ἕξ. ὁ ὀβολὸς χαλκῶν ἕξ· ὁ χαλκὸς λεπτῶν ζ. τὸ τάλαντον δὲ τὸ λεγόμενον Ἀττικὸν, παρὰ δὲ Σικελιώταις, τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν μνῶν κδ , νυνὶ δὲ ιβ. δύναται δὲ ὁ νόμος τρία ἡμιοβόλια , ὡς ἐν τοῖς περὶ σώφρονος Ἀπολλόδωρος ἐκ τῆς Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς τῆς Ουσησίνου (ſic) ἑλληνικῶν ὁ ὁ. Hoc eſt, *De ponderibus. Talentum , ut ait Diododorus in libro de ponderibus , eſt minarum ſexaginta , mina drachmarum centum , drachma ſex obolorum , obolus ſex chalcorum. Chalcus* λεπτῶν *ſeptem.* (eſt minutior moneta.) *Talentum vero , quod Atticum dicitur , apud Siculos olim minarum 24. erat , jam vero 12. Numus tribus ſemiobolis æquivalet , ut habet Apollodorus de Sapiente , ex Diogeniani epitome Uſeſtini de Hellenicis.* Græca nonnihil vitii præ ſe ferunt. Ad marginem Orationis in ſancta Lumina , cujus initium , Πάλιν Ἰησοῦς ὁ ἐμὸς καὶ πάλιν μυστήριον, adferuntur 24. hiſtoriæ pro explicatione locorum ſicubi opus. Nam , ut pleraque Gregorii Nazianzeni opera , profanæ illius veteriſque eruditionis notas hinc inde conſperſas præferunt ; ſive quia veterum numina , vigente adhuc monſtroſo cultu , paſſim ridet & inſectatur ; ſive quia frequenti poetarum , oratorum , ſophiſtarum lectione a puero imbutus , quaſi ſponte & e re nata , eorum dicta orationibus intermiſcet ſuis ; ſcholiaſtæ varii , cum in hæc inciderent , pro ſua quiſque facultate , interpretationes ad marginem , ad calcem addebant , & numero & pretio in variis codicibus diſpares.

In fine codicis habetur συναγωγὴ ἱστοριῶν , *collectio hiſtoriarum* ; in epitaphium Patris bene multæ adferuntur ; in alias quaſdam Orationes nonnullæ ; in στηλιτευτικὸν autem , centum pro explanatione locorum comparent. In aliis item nonnullis codicibus Greg. Nazianzeni hujuſmodi hiſtoriæ habentur ; ſed mire, ut diximus , inter ſe variant. In fine codicis ad folia ſingula , veſtigia antiquioris operis perſpiciuntur , unciali charactere antiquiſſimo , ut inſcriptiones pervetuſtas referat , ſine accenti-

bus : pauca legi possunt. Eratque novi Testamenti exemplar, deletis vero prioribus, nova admota sunt ; quod itidem in aliis non paucis codicibus observatur. Prima isthæc manus quinti vel sexti sæculi videtur esse.

Codex x. sæculi membranaceus, Homiliæ variæ *Gregorii Nazianzeni*, *Basilii*, *Jo. Chrysostomi*, *Anastasii* Monachi, *Leontii* presbyteri Hierosolymitani, *Athanasii*, *Titi Bostrorum*, *Epiphanii*, *Ephrem. Joannis Damasceni* Oratio in Dormitionem Deiparæ. init. ἔστι μὲν ἀνθρώπων οὐδείς.

Codex x1. sæculi membran. *Chrysostomi* in Genesin. Multi alii ejusdem S. Doctoris opera circumferunt, ex quibus anecdota exsumsi. In omnibus ferme Græcis bibliothecis multi Chrysostomi codices comparent.

Joannis Chrysostomi vita à *Georgio* quodam.

Epiphanii ad Diodorum epistola.

S. Ephrem opera bene multa.

In codice x1. sæculi, *Theodoreti* commentaria in Psalmos.

Simeonis Stylitæ Sermones, & Pandectes ex variis auctoribus consarcinatus.

In codice x11. sæculi, *Joannis Climaci* scala, cum Sermonibus *Chrysostomi* membran.

Codex 1x. sæc. *Joannes Climacus*. Hujus Scriptoris antiquiorem codicem non vidi.

Palladii Lausiaca, in codice x1. sæculi.

Maximi Abbatis ἐρωταποκρίσεις, in codice x. sæculi membran.

S. Dorothei ascetica.

Προθεωρία τῆς ὑποθέσεως τῶν ὅρων τῆς βίβλου, ἧς ἡ ἐπωνυμία λέγεται ὁδηγός. Init. τῆς καθ' ἡμᾶς, contra Monophysitas. *Anastasii* Sinaïtæ de Fide orthodoxa, init. Ἀρχὴ τῶν λόγων σου χριστέ. Contra Gaïanistas quædam.

In codice x. sæculi membranaceo, *Joannis Damasceni* περὶ τῶν ἐν χριστῷ κεκοιμημένων. Init. τὰ τῶν βρωμάτων ἡδέα. *Georgii* Nicomediensis in sanctam Virginem & passionem. Init. πρὸς ὑψηλοτάτην ὑμῖν. *Chrysostomi* in S. Philogonium. *Gregorii Nysseni* vita S. Gregorii Thaumaturgi. Vita S. Mariæ Ægyptiæ. Trium puerorum historia. S. Gregorii Agrigentini vita per *Leontium*. Epistola *Clementis* ad Jacobum fratrem Domini. γνώριμον ἔστω σοι, κύριέ μου, ὅτι ἐγὼ Κλη- Martyrium Petri & Pauli.

Miracula Archangelorum. Vita ſancti Lucæ. Nomina & loca ubi Apoſtoli prædicarunt. Item de Prophetis.

Codex XIV. ſæculi, *Joannis Damaſceni* opera philoſophica.

Codex XV. ſæculi membranaceus, in quo chronicon breve ab initio mundi ad uſque Joannem Tzimiſcen. Erotemata quædam. *Hippolyti Thebæi* Chronici fragmentum. *Anaſtaſii* quædam. Vitæ Prophetarum. Eccleſiaſtes & Cantica.

Codex XI. ſæculi membranaceus, in quo Pandectes variis ex locis Patrum conſarcinatus. Multi hujuſmodi Pandectæ variis in bibliothecis ſunt; ſed nullum hactenus vidi alteri ſimilem.

Codex bombycinus XIV. ſæculi. Ἀνδρέου τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας τῆς Καππαδοκείας τῆς περὶ τὸ Ἀργέω ἑρμηνεία εἰς τὴν ἀποκάλυψιν &c. Initium πολλάκις αἰτηθεὶς. i. *Andreæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ ad montem Argæum, interpretatio in Apocalypſin, &c.* cuſum opus cum operibus ſancti Joannis Chryſoſtomi, & Andreæ Cretenſi vulgo adjudicatur.

In codice membranaceo XI. ſæculi, liber Inſtitutorum.

Vitæ Sanctorum atque Martyrum, in pleriſque codicibus X. & XI. ſæculi, membran. Eorum unus deſcriptus fertur in fine, anno mundi 6535. id eſt Chriſti 1027.

In duobus codicibus vitæ SS. Patrum. In alio Apophtegmata eorum.

In alio pars Conſtitutionum Apoſtolicarum.

Libri chorales non pauci antiqui, cum notis ad cantum Eccleſiaſticum ſpectantibus; quorum ſpecimen, Deo dante, proferemus.

Menologium, ſive Martyrologium X. aut XI. ſæculi, membranaceum.

Synaxarium & typicum S. *Bartholomæi* abbatis Cryptaferratenſis, in codice membranaceo.

Synaxarium magnum XII. ſæculi in cod. membran.

Libri canonum duo, in quorum uno acta contra Severum, membran. XII. circiter ſæculi.

Collectio canonum Græca decimi ſæculi, in codice membranaceo.

In codice XII. ſæculi membran. Nomocanon Doxapatris, juſſu Joannis Comneni Imp. editum, ut ex titulo fides, nam ſic habet:

Νομοκανόνου

Νομοκάνυιον (sic) σὺν θεῷ περιέχον συνοπτικῶς ὅλους τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν ἑπτὰ συνόδων, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, καὶ ἑτέρων θεοφόρων πατέρων, ἑρμηνευθὲν προστάξει τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως κυροῦ Ιωάννου τοῦ Κομνινοῦ, παρὰ τοῦ λογιωτάτου διακόνου τῆς τοῦ θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ νομοφύλακος τῆς τῶν Ρωμαίων βασιλείας, πατριαρχικοῦ νοταρίου καὶ πρωτοπροέδρου τῶν πρωτοσυγκέλων Δοξαπάτρη. Ibidem Νομοκάνονον bis occurrit deſcriptum, uti ſuperius, ut nullum ſit de lectione dubium. Præmiſſa ſic verto: *Nomocanon, Deo favente conſcriptus, ſynopſeos more complectens canones omnes ſanctarum & œcumenicarum ſeptem Synodorum, & ſanctorum Apoſtolorum atque magni Baſilii, & aliorum deiferorum Patrum; interpretatione donatus juſſu piiſſimi Imperatoris Domini Joannis Comneni. Operà eruditiſſimi diaconi magnæ Dei Eccleſiæ, & Nomophylacis (ſive legum vindicis) Imperii Romani, Patriarchalis Notarii, & Protoproedri Protoſyncellorum Doxapatris.* De iis officiis vide Codinum. Deinde ſequuntur Canones cum explicationibus Doxapatris, videlicet:

1. Canones Apoſtolorum num. 85.
2. Canones Nicæni, 25. numero.
3. Ancyranæ Synodi Canones 25.
4. Neocæſarienſis Synodi 15.
5. Gangrenſis 20.
6. Antiochenæ 25.
7. Laodicenæ 59.
8. Conſtantinopolitanæ 150. Patrum Canones numero 8.
9. Epheſinæ Synodi Canones 9.
10. Chalcedonenſis 30.
11. Sardicenſis Canones 21.
12. Carthaginenſis 137.
13. Conſtantinopolitanæ de Agapio & Bagadio Canon 1.
14. Conſtantinopolitanæ in Trullo VI. Generalis Canones 102.
15. Nicænæ ſecundæ Canones 22.
16. C. P. in templo SS. Apoſtolorum, πρώτης καὶ δευτέρας primæ & ſecundæ Canones 17.
17. Conſtantinopolitanæ in templo S. Sophiæ Canones 3.
18. Baſilii 91.

19. Tarasii C. P. Hadriano Papæ Canon 1.
20. Dionysii Alexandrini Canones 5.
21. Petri Alexandrini Canones 14.
22. Gregorii Thaumaturgi Canones 13.
23. Athanasii Canones 5.
24. Gregorii Nysseni Canones 8.
25. Timothei Alexandrini Canones 15.
26. Theophili Alexandrini Can. 14.
27. Cyrilli Alex. Can. 7.
28. Eulogii Alex. Can. 1.
29. Gennadii Constantinopolitani Can. 1.
30. Γραφὴ ἀπὸ ΚΠ Μαρτυρίῳ ἐπ. Ἀντιοχείας. Rescriptum Constantinopoli ad Martyrium episcopum Antiochenum. Canon 1.
31. Athanasii ad Rufinianum Canon 1.
32. Sanctorum Apostolorum Canones 17.
33. Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Canones 17.
34. SS. Apostolorum in communi Canones 2.
35. Τὰ κεφάλαια τοῦ χρυσοβούλλου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Ἰουστινιανοῦ. Id est, Capita sive Canones bullæ aureæ Justiniani, quæ est in magna Ecclesia, num. 6.
36. Τοῦ μεγάλου Βασιλείου περὶ τίτλου καὶ χρόνου ἁμαρτημάτων. Magni Basilii de titulo & tempore peccatorum, Can 27.
37. Cyrilli contra Nestorium Canones 11.
38. Demetrii Cyziceni Canones 3.
39. Petri Antiocheni Canon. 4.
40. Joannis Monachi, discipuli S. Basili, Can. 2.
41. Synodorum & Patrum Can. 27.
42. Timothei Alexandrini.
43. Joannis νηστευτοῦ.
44. Septem Synodorum œcumenicarum.
45. De nuptiis.

Deinde hæc sequuntur, Erotemata Joannis, Monachi Sacri Montis. Euphemiani Metropolitani Thessalonicensis Solutiones, capitibus 12. ad Gerasimum monachum Sacri Montis. Ejusdem, cui cognomen Χοῦμνος *Chumnus*, ad eumdem responsiones. Ex novellis Justiniani quædam.

Tribus ante finem foliis legitur recentiore manu, ut ex notato anno eruitur.

Κατὰ τὸν Ἀπρίλλιον μῆνα εἰς τὴν ιη'. τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ τρίτῃ, ὥρᾳ θ. ἰνδικ. ζ. ἔτει ͵ςψμβ. ἐγεννήθη ἡ θυγάτηρ ἐμοῦ σινάτορος τῆς κριτ, ἡ ἐν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι ὀνομασθεῖσα Ἀλφάζαν, βασιλεύοντος ἡμῶν τοῦ θεοστέπτου μεγάλου βασιλέως καὶ αὐτοκράτορος Ῥωμαίων, καὶ ἀεὶ Αὐγούστου Φρεδδερίκου, δεκάτῳ τετάρτῳ χρόνῳ τῆς αὐτοῦ βασιλείας, βασιλεύοντος δὲ Σικελίας τριακοστῷ ἑβδόμῳ, Ἱερουσαλὴμ δὲ ἐννάτῳ.

Κατὰ τὸν σεπτέμβριον μῆνα εἰς τὴν ιη. ἡμέρᾳ τρίτῃ πρὸς ἑσπέραν ἰνδικ. θ. ἔτει ͵ςψμδ ἡ σύζυγος ἐμοῦ σινάτορος τῆς κριτ κυρὰ Γουαζρις ἐγέννησε παιδίον δεύτερον ἄρσεν, ὅπερ ὠνομάσαμεν Μιχαήλ, ὑπὲρ οὗ μεγάλη χαρὰ τότε ἡμῖν ἐγεγόνει. οὔπω δὲ βαθείας ἑσπέρας καταλαβούσης, ἡ προῤῥηθεῖσα μοι σύζυγος τὸ πνεῦμα τῷ κυρίῳ παρέδωκε, καὶ ἡμέρᾳ τετάρτῃ τοῦ ῥηθέντος μηνὸς εἰς τὴν ιθ ἐντιμίως ἐτάφη ἐν τῷ πανσέπτῳ ναῷ τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ἀχειροποιήτου, καταλείψασα τὰ ῥηθέντα δύο παμφίλτατά μοι τέκνα, τὴν Ἀλφάζαν καὶ τὸν Μιχαήλ, οἷς ὁ θεὸς δῴη προκοπὴν καὶ αὔξησιν, ἐκείνῃ δὲ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ἀνάπαυσιν ἐν τοῖς τῶν δικαίων χοροῖς. Hoc eſt:

Decima octava menſis Aprilis die, quæ erat ſancta & magna feria tertia, horâ nonâ, indictione ſeptima, anno 6742. (hoc eſt Chriſti 1234.) nata eſt filia mihi Senatori judicii, quæ in ſacro baptiſmate nuncupata eſt Alphazan; imperante nobis religioſo & magno Imperatore Romanorum & ſemper Auguſto Frederico, quarto decimo anno ejus imperii, regnante eodem ipſo in Sicilia anno trigeſimo ſeptimo, in Jeruſalem nono.

Menſis Septembris decimâ-octavâ, feriâ tertiâ ad veſperam, indictione nonâ, anno 6744. (Chriſti 1236.) conjux mea, Senatoris judicii, Domna Guazris ſecundum filium peperit maſculum, quem nominavimus Michaelem. Hæc magna nobis lætitiæ cauſa; cumque nondum atra veſpera eſſet, memorata uxor mea ſpiritum Deo reddidit, & feriâ quartâ, quæ prædicti menſis decima-nona erat, honorabili ſepulturæ data eſt in venerabili templo ſanctiſſimæ Deiparæ, ἀχειροποιήτου *id eſt, nulla manu, ſed divinitus effectæ, relictis mihi dilectiſſimis duobus filiis, Alphazan ſcilicet puella,*

& Michaele, queis Deus profectum & incrementum, ipsi vero uxori remissionem peccatorum & requiem in Sanctorum choris, dederit.

Quî legi debeat vox Κρι^τ^ non perspectum mihi. Eratque haud dubie tribunal, in quo Senator erat qui hæc scripsit, cujusque nomen tacetur. Hic vides Arabica nomina in sacro baptismate imposita, cujusmodi sunt *Gouazris* & *Alphazan*, quia non diu Arabes Siciliâ pulsi, linguæ suæ nonnullas voces & nomina propria Siculis communicaverant. Hic itaque codex, aut ejus apographum Constantinopoli in Siciliam allatum est, & memorati Senatoris fuit.

Sequitur in eodem codice Theodori Studitæ Encomium in S. Joannem Evangelistam. Item quædam Erotemata. Agmen claudit Basilii magni opus, de non contemnenda sacra liturgia.

Primus Canon Petri Antiocheni, qui supra num. 39. recensetur, sic habet:

Πέτρου Ἀντιοχείας πρὸς τὸν Βενετίας· γέγονεν δὲ ἐπὶ τοῦ πατριάρχου κυροῦ Ἀλεξίου.

Οὐδαμοῦ γέγραπται τὸν πρόεδρον Ἀκυληΐας, ἤτοι Βενετίας, πατριάρχην ὀνομάζεσθαι· ε γὰρ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ πατριάρχας ἐγνώκαμεν, τὸν Ῥώμης, τὸν Κωνσταντινουπόλεως, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων· ὡς γὰρ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον ε αἰσθήσεσιν οἰκονομεῖται, οὕτω καὶ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἡ ἐκκλησία τῶν πιστῶν, ὡς ὑπὸ πέντε αἰσθήσεων τῶν ε θρόνων οἰκονομεῖται. Hoc est:

Petri Antiocheni contra Venetiarum episcopum; fuit autem (Petrus) tempore Patriarchæ Domni Alexii.

Nusquam scriptum est Aquileiæ, sive Venetiarum Præsulem, patriarcham esse vocandum. Nam quinque solùm in orbe toto patriarchas novimus, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum. Sicut enim corpus nostrum quinque sensibus regitur, eodem modo corpus Christi, sive Ecclesia fidelium, quinque ceu sensibus, scilicet totidem thronis dispensatur.

In manuscriptis istis ex Calabria advectis, occurrit item fragmentum Basilicorum.

Fragmentum quoque Latini libri, qui ſeu vetuſtate, ſeu arte deletus, deſcribendo Græco officio uſurpatus eſt.


Andreæ Cretenſis in Apocalypſin, in codice bombycino, ubi deletis iis quæ prius ſcripta fuerant, erantque x I. ſæculi,



figurarum omnium atque typorum ratione, non video ad alium quam M. Aurelium philoſophum, poſſe hæc omnia ſpectare, cum maxime Auguſta in velo ab altera anaglyphi parte, Fauſtinam juniorem referat, eo capitis & capillitii cultu, qui in aliquot ejus numiſmatibus obſervatur; ut norunt enim rei nummariæ periti, non pari ſemper ornatu in nummis conſpicitur.

& Michaele, queis Deus profectum & incrementum, ipsi vero uxori remissionem peccatorum & requiem in Sanctorum choris, dederit.

Quî legi debeat vox Κρι^τ non perspectum mihi. Eratque



chas novimus, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum. Sicut enim corpus nostrum quinque sensibus regitur, eodem modo corpus Christi, sive Ecclesia fidelium, quinque ceu sensibus, scilicet totidem thronis dispensatur.

In manuscriptis istis ex Calabria advectis, occurrit item fragmentum Basilicorum.

Fragmentum quoque Latini libri, qui ſeu vetuſtate, ſeu arte deletus, deſcribendo Græco officio uſurpatus eſt.

Andreæ Cretenſis in Apocalypſin, in codice bombycino, ubi deletis iis quæ prius ſcripta fuerant, erantque XI. ſæculi, hoc Andreæ opus deſcriptum fuit. Andreæ Cæſareæ in Cappadocia epiſcopo, idem opus ſuperiùs adſcribitur.

Proxime Baſilianum Cœnobium, eſt villa Ludoviſia, quæ in colle Pincio, & in hortis Salluſtianis, lata detinet ſpatia. In vinea extenſus jacet obeliſcus, qui in circo Salluſtii ſublimis olim erat, hieroglyphis plenus; quà major ſpiſſitudo eſt, pedes habet regios, a ſingulis lateribus, quatuor cum dimidio. In ædibus eſt elegans Pyrrhi Epirotarum regis icon anaglypha porphyretica, caput item Claudii æneum: mitto Silenum, Bacchum, T. Antonini ſtatuam, iconem M. Aurelii, æneo capite, porphyreticis humeris. Pæti quoque & Ariæ hiſtoria exſtat marmorea, uno ſaxo; itemque Papirii Prætextati, matrem alloquentis, hiſtoria miro artifice expreſſa, cujuſmodi enarratur ab Agellio Noct. Attic. l. 1. c. 24. De coloſſeo capite ſuperiùs ad villam Mattheiam egimus.

Ad portam, ſublime viſitur anaglyphum muro adfixum. Imperator in ſuggeſtu ſedens, ab altera anaglyphi parte conſpicitur, dexteram extendens, adſtantibus militibus cum ſigno militari: vir togatus pueros binos ducit, qui a Præfecto prætorii, ut quidem æſtimatur, baculum manu tenente, Imperatori offeruntur; ab altera anaglyphi parte, genii duo extenſum velum manibus diducunt: in velo, Auguſtæ icon manu baculum geſtans. In medio marmoreæ tabulæ, inter Imperatorem & Auguſtam, ceu tabella quædam erigitur, quaſi ſculpendæ inſcriptioni, quæ tamen non comparet. Sub tabella tropæum, & pueri quatuor, captivorum ac dolentium more, quorum duo ſtantes, duoque, capite in cubitum nixo, ſedentes. Quia in ſublimioribus oſtii majoris partibus anaglyphum eminet, non ita facile eſt vultus internoſcere.; verum, expenſa figurarum omnium atque typorum ratione, non video ad alium quam M. Aurelium philoſophum, poſſe hæc omnia ſpectare, cum maxime Auguſta in velo ab altera anaglyphi parte, Fauſtinam juniorem referat, eo capitis & capillitii cultu, qui in aliquot ejus numiſmatibus obſervatur; ut norunt enim rei nummariæ periti, non pari ſemper ornatu in nummis conſpicitur.

Pueri, qui Imperatori in ſuggeſtu ſedenti offeruntur, videntur eſſe Commodus & Annius Verus fratres, quando ut Cæſarum titulo inſignirentur, ante militares turmas producti ſunt. Neque deſunt qui æſtiment, anticam eſſe partem exſectam urnæ ſepulchralis Fauſtinæ aut Annii Veri. Sed hæc conjecturæ ſunt. Schema, ſingularitatis ergo, hîc apponitur.

» FLAMINIUS VACCA. In vinea Gabrielis Vaccæ pa-
» rentis mei, propter Salariam portam intra muros, eſt vallis di-
» cta, horti Salluſtiani: ibidem excavando, pater meus in ædi-
» ficium grande incidit, ovali forma ſtructum, cum porticu cir-
» cum, ornatâ columnis ex flavo marmore, longitudine duode-
» viginti palmorum, cum capitellis & baſibus Corinthiis. Ad æ-
» dificium hujuſmodi, ovali formâ ædificatum, quatuor aditus
» erant, totidemque ſcalis aſcendebatur. Pavimentum ſuperius
» ex marmore vario concinne poſito. Ad oſtia ſingula, columnas
» binas deprehendimus ex alabaſtrite Orientali, ita pellucido,
» ut ſolis radii facile trajicerent. Sub iſto ovali ædificio, ductus
» quoſdam reperimus, ea ſublimitate, ut erectus homo progre-
» di in ſubterraneo valeret: erantque ſubterranea illa marmore
» Græco undique veſtita. Ductus etiam duos plumbeos offendi-
» mus, decem palmorum longitudine, quorum diametrum va-
» cuum unius, ut minus, palmi erat, inſcriptionemque hujuſ-
» modi præferebant: NERONIS CLAUDIUS. Educta item
» eodem loco fuere numiſmata Gordiani bene multa ænea, hinc
» & inde ſparſa, & quædam argentea, ſed non majora æneo
» quadrante, cum his etiam muſiva opera quam plurima. Eo tem-
» pore Cardinalis de Montepolitiano, partem columnarum ex
» flavo marmore coemit, ex quibus clathra capellæ ejuſdem in
» eccleſia ſancti Petri in Montorio, adornata ſunt. Columnas item
» ex alabaſtrite comparavit, quarum unam deterſam ſordibus,
» quia integra erat, expoliri fecit; ex aliis vero fractis & in fru-
» ſta redactis, abacos adornavit. Quam ſupellectilem cum magni
» ipſe faceret, unà cum aliis antiquitatum monimentis abaciſque,
» donum Luſitaniæ Regi deſtinabat; ſed ubi in altum proceſ-
» ſiſſet navis, volubilis fortuna, in cujus manu pignus erat, mu-
» nus hujuſmodi mari obtulit.

» In villa D. Caroli Mutii, haud procul hortis Salluſtianis,
» repertum memini Faunum vulgari ſtatura majorem, qui in-
» fantem brachio geſtabat, & vas grande cum Faunis & Bac-

chanalibus cymbala concrepantibus; quæ ipſe Mutius in hor- «
to tenet ſuo. Reperit item ſtatuas bene multas, quæ tamen «
antiquitus iſtic ſitæ non erant, nullo quippe ordine jacebant, «
nec quidpiam reliquiarum ædificii veteris aderat. Putatur au- «
tem fuiſſe olim in vinea patris mei, in qua muri erant thecis «
ſtatuariis ornati, veriſimileque eſt exportatas inde in villam «
D. Caroli Mutii fuiſſe. «

Columna illa ſupra memoratâ ex alabaſtrite pellucido, ea eſt, ut videtur, quæ in bibliotheca Vaticana conſiſtit, erecta, ſtriata, qua ſublimitate narrat Flaminius. Faunus autem, ſive Silenus, Bacchum infantem brachio geſtans, in hortis Pinciis Mediceis videtur, formâ ſpectabili.


Quodnam fuerit nobile templum a Flaminio ſuperiùs deſcriptum, aperit inſcriptio a Fulvio allata, in iſtiſque locis deprehenſa, quæ ſic habet:

M. AVRELIVS PACORVS. M. COCCEIVS STRATOCLES
AEDITVI VENERIS HORTORVM SALLVSTIANORVM
BASEM CVM PAVIMENTO MARMORATO DEANAE
D D. *i.* dedicaverunt.

Per baſem itaque intelligas, quidquid ſub pavimento erat, a Vacca deſcriptum, ut quidem veriſimile videtur: pavimentum marmoratum ſuperius ab eodem enarratur, qui lucem haud minimam huic inſcriptioni adfert. Penultima vox DEANAE a Græco *δάιρα* confecta eſt, & *deam* ſignificat. Subterraneum illud ornatiſſimum cum canalibus, ſacerdotibus ſacra adituris, ablutionis cauſâ, ſtructum putatur. Non templum modo Veneris Salluſtiæ, ſed ſtatuam ejuſdem deprehendimus in ædibus Vaticanis *Belvedere* dictis, ad angulum impluvii, ut inſcriptione ſequenti ad ſtatuæ iſtius pedem ſculpta, aſſeritur.

VENERI FELICI SACRVM
SALLVSTIA HELPIDVS D. D. *i.* dedicavit.

Templi ichnographiam atque proſpectum hîc delineari curavimus.



In hortis Sallustianis narrat Plinius, sepultos olim fuisse gigantes duos decem pedum triumque unciarum altitudine, quorum alius *Pusio*, *Secundilla* alter vocabatur. Unius ossa, eodem loco reperta, se vidisse commemorat Fulvius. In monte item Pincio, propter hortos Sallustianos, erant horti Luculli: ex hortorum frequentia, mons Pincius collis hortulorum dictus fuit.

CAPUT

Caput XVI.

DECIMA DIES. Villa Burghesia, ejusque ornamenta. Dei Æluri schema. Cœnobium Minimorum S. Trinitatis. Epitaphium Ant. Mureti. Danielis Volaterrani historia quædam. Horti Medicéi. Caput Jovis Capitolini ibidem, &c. UNDECIMA DIES. Collegium de Propaganda fide. Naumachia Domitiani, & Odeum ejusdem. Ecclesia S. Mariæ de Populo. Horti ejusdem Cœnobii. Villa Justinianæa. Monumenta ex Tiberi eruta. Propugnacula a Sixto IV. structa. Foramina in antiquis ædificiis unde. Mausoleum Augusti, ejusque Naumachia.

VILLAM Burghesiam, DECIMA Romanæ circuitionis DIE, semper adiimus, qua nihil in Urbe, imo nec in Italia, spectabilius. Ab ingressu, statuæ bene multæ circum positæ, ostium exornant; in iis Berecinthia, deûm mater, Thalia musa larvam tenens, Vertumni, &c. Media in villa ædes amœnissimæ eriguntur, stupenda anaglyphorum, statuarumque, & antiquitate & artificio præstabilium, frequentiâ decoratæ; adeo ut, cum sexcenties in descriptionibus Romanis, atque in iis quæ de villa Burghesiana, in publicum emissæ sunt, monumenta bene multa, enumerata recensitaque sint; multo plura prætermissa sint inobservata, intacta. Ab occidentali parte erigitur Imperatoris cujusdam statua, Macrinum æstimo. Ibidem, muro adfixa, marmorea media statua Titi Imperatoris, naturali statura multo major, aliæque similes, & anaglypha innumera. A meridionali parte, anaglyphum illud Curtii, muro defixum sublimeque suspicitur, quo de ad Romanum forum superius actum est. Ibidem, in platea quadam prægrandi, statuæ Imperatorum gladiatorumque frequentes. Istic observavi quatuor sphinges ex basalte, Ægyptio opere, in quarum basibus insculpta videntur animalia, quæ portentosa gentium superstitio numinum loco habebat; scilicet


Mendes ſive hircus, Trochilus avis, Ibis, & ſimilia. A ſeptentrionali latere, par hiſtoriarum monumentorumque numerus. Ibi duobus anaglyphis Mythriaca myſteria exprimuntur; adſunt item ſimilia bina ejuſdem generis ſch mata in Burgheſiana villa.

In majori atrio, icones Imperatorum, & marmorea tabula, Hectoreo inſculpta funere, ubi Græci caſſide Hellenica, Trojani bireto Phrygio exornantur. Proxime ſunt Criſpinæ, uxoris Commodi, icones duæ, aliæque innumeræ. Omnia perſequi magni otii eſſet. In xyſto quodam, Apollonii Tyanei caput, proximeque, vas ſculptum Bacchanalibus bene multis: ibi tibicen duabus unà fiſtulis modulatur, qualem exhibet vas Gaietanum, Salpione opifice: qualem item memorat Theocritus, in epigrammate Daphnin compellans.

Λῇς, ποτὶ τᾶν νυμφᾶν, διδύμοις αὐλοῖσιν ἀεῖσαι
  Α῾δύ τι μοι:

Viſne, per Nymphas, duplicibus tibiis cantare
  Suave aliquid mihi?

In conclavi quodam, in quo Diogenis Cynici ſtatua ſedens, Ægyptiacum idolum habetur, capite felis, muliebri corpore, formæ ſingularis. Eſtque deus Ælurus, de quo Herodotus; marmor maculis diſtinctum eſt, ut non male felis pellem referat. Hîc ſchema proferimus, accurate delineatum a D. du Verger Gallo, antiquitatum architectonicesque perito.



Hinc remigrando per portam Pinciam, itur ad conventum Minimorum S. Trinitatis in monte Pincio, a Carolo VIII. in tranſitu Neapolin, pro Gallica gente fundatum. Eccleſia Gothico more ſtructa, elegans eſt, Cardinalium duodecim, itemque principum, præſulum, & magnatum ſepulturâ inſignis. Inter Cardinales obſervantur Philippus de la Chambre, ordinis S. Benedicti, & Radulphus Pius abbas Craſſenſis, in cujus tamen ſepulcro inſcriptio nulla. Nec omittendus præclarus ille, ſui ævi decus, Antonius Muretus, cujus tumulus a latere Evangelii ſequens epitaphium præfert; quod etſi alias cuſum, quia a poſtremis qui Urbem deſcripſerunt, allatum non fuit, neque obvium eſt, non ingratum lectori fore ſperamus.

D. O. M. S.
M. ANTONIVS MVRETVS LEMOVIX
AD DEI MISERICORDIAM OBTINENDAM
PIORVM PRECIBVS ADIVVARI CVPIENS
CORPVS SVVM POST MORTEM HOC LOCO
SEPELIRI JVSSIT.
ADTRIBVTIS MILLE SCVTATIS HVIVS
MONAST. SODALIBVS IMPOSITOQVE ONERE
PERPETVI ANNIVERSARII.
NICOLAVS DE PELLEVE CARD. SENONEN.
TESTAM. EXECVT. PONI MAND.
VIXIT ANN. LIX. MEN. II. OBIIT PRID. NON. IVN.
CIƆIƆLXXXV.

Alterius item Mureti, qui magni illius fratris filius erat, epitaphium proxime legitur, his verbis:

M. ANT. MVRETO MAGNI HVIVS MVRETI
FRATRIS FILIO AETATE QVIDEM ET
NOMINIS CELEBRITATE MINORI, SPE AVTEM
ET EXPECTATIONE PROPE PARI
IMMATVRA MORTE PRAEREPTO
LVDOVICVS RIVALDVS LEMOVIX ET
M. ANT. LANFRANCVS VERONENSIS EIVS
TESTAMENTO AD PIAS CAVSAS FACTO
SCRIPTI EXECVTORES POSS.
VIXIT ANN. XVI. MEN. V. OBIIT PRID. NON. OCT.
CIƆIƆLXXXVI.

Ecclesia picturis egregie exornatur. Sed omnibus præstat eximia illa demissio Corporis Christi ex cruce: cui vix parem in udo cæmento depictam Romæ repereris. Eam tanti faciebat Sixtus V. ut unà cum muro in Vaticanum exportari jusserit: at monentibus Monachis, quanti negotii foret sine muri fractione, & picturæ pernicie, tantam vehere molem, a proposito abstinuit.

Dum huic vacaret operi Daniel Volateranus, facete delusit æmulos suos, qui, ut figulus figulo invidet, inauspicatum opus fore vaticinabantur, & frequentes eò veniebant, ut oculis invidis opus inspicerent & carperent. Is autem, qui septem

totos annos pingendæ capellæ consumsit, ut ne livoris tanti memoria interiret; ad latus picturæ nobilissimæ, capellæ formam sculpsit, tresque satyros hinc inde locavit, quorum alius caput hominis tenet, aliisque observandum ostentat : duo alii ad cumulum quemdam consistunt, ex humanis membris confectum, & ad bilancem brachii cujusdam excisi pondus æstimant, spectante satyrorum manu. Addiditque Daniel hoc Græcum carmen.

Γελῶμεν βίον, νῦν δὲ γελοιότατος

i. *Ridemus vitam hominum, nunc autem ii ridiculissimi sunt*; quando scilicet æmuli, qui tam assidue ventitabant, miræ pulchritudinis opus, numeris suis omnibus absolutum, conspexerunt. In udo item cæmento exstat historia lapsûs Angelorum rebellium, Siculo pictore, qui multos, aiunt, infestos sibi magnates, Angelorum malorum specie designavit. Hoc in cœnobio comparet etiam Astrolabium catoptricognomonicum, Magnano, Monasterii olim Præfecto, auctore. Fuit ille nobilissimus XVII. sæculi Philosophus. Bibliotheca situ & prospectu amœnissima, hanc jure præfert inscriptionem :

Non est in tota lætior Urbe locus.

Librisque probe munita est, curante in primis viro nobis amicissimo Roletio Ordinis Procuratore. Adest quoque vir doctus Franciscus de la Porte, qui antiquitatum Narbonensium librum parat, necnon ejusdem civitatis historiam Ecclesiasticam.

Hærent Minimorum cœnobio ædes & horti Medicei, in monte item Pincio siti, eleganti prospectu, anaglyphis & statuis ornatissimi, qualem decet tanti Principis villam. Qua parte agrum respiciunt, Urbis muro horti clauduntur. Ab hortorum ingressu visuntur leones illi duo, quorum alius media solum sui parte antiquus est, quia cum anaglyphum olim fuisset, marmorisque densitas esset conficiendo leoni integro opportuna, a Joanne Scerano tota nativaque leonis effigies expressa fuit. Parem huic leonem sculpsisse Flaminium Vaccam non semel ipse superius narravit, ut, conspectûs causâ, leo alteri similis e regione consisteret. Hîc item labra duo, quorum alterius spississimam inferiorem superficiem, monitu Flaminii Vaccæ, ut ipse narrat infra, exsecari jussit Cardinalis Ferdinandus Mediceus, qui postea M. dux Hetruriæ fuit; illæsoque labro,

paris latitudinis tabulas duas, quæ ibidem comparent, adornavit. In prospectu ædium interiori, suspicitur caput Jovis Capitolini; idipsum, ut videtur, quod portæ Palatii Augustorum exornandæ, olim usu venerat. Nam, eodem narrante Flaminio, cum theca sua effossum est in ruderibus & parastatis ostii Augustalium ædium, in queis permixtim situm prostratumque jacebat. Istic item Silenus ille Bacchum infantem brachio gestans, qui erutus fertur superius ad hortos Sallustianos. Ædium murus frontispiciumque, quà hortos spectat, splendet anaglyphis peritissimæ manus, sed plerumque recentitis; statuis quoque æneis, porphyreticis, marmoreis: nihil denique ad perfectissimum ornatum desideratur. In horto parvum ædificium exstat, locandæ Niobes historiæ paratum. Nihil figuris hisce elegantius: eæ non corporeos modo habitus motusque, sed etiam affectus animi, doloris, formidinis, furoris, variis in vultibus exprimunt, cætera trita. Subterranea in hortis sunt longe lateque diductis meatibus, instar cœmeteriorum, quæ sine cautela ne adeantur.

UNDECIMA DIE Collegium de Propaganda fide primo adiimus, linguarum pene omnium typis instructum, educandis maxime juvenum peregrinorum cœtibus, excitatum ut institutum vitæ probum, veræ item ac priscæ religionis præceptis informati, in sua quisque regione germana, sinceræ disciplinæ semina conspergere valeant. Trajectâ deinde ea, quam Hispanicam plateam, a fixis Oratoris Hispanici sedibus, vocitant, ad vestigium Domitianæ Naumachiæ, in radicibus collis Pincii situm adventatur, quæ paulopost Domitiani mortem diruta, hodie tamen quod ad situm internosci valet. Excitavit Domitianus, narrante Suetonio, *Stadium, & Odeum, & Naumachiam; e cujus postea lapide, maximus Circus, deustis utrinqve lateribus, exstructus est.* Odeum vero cujus generis ædificium fuerit, haud satis perspectum; nec de forma Odei modo, sed de vocis etiam origine disceptatur. Sunt enim qui ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, a via nimirum vocem derivent; alii a vocabulo ᾠδὴ *cantilena*, aut ᾠδὸς *cantor*, ortum nomen autumant; indeque ᾠδεῖον *Odeum* factum; juxta alterutram significationem, in varias divertunt sententias: cum postremis ego libentius calculum feram. In prima Suetonii editione, quæ Mediolani anno 1475. prodiit, non Odeum, sed *Exmethodium* legitur.

E vicino eſt eccleſia S. Athanaſii, cum Græcorum Collegio adjuncto. Hujus alumni fuere Petrus Arcudius & Leo Allatius, poſtmodum vero RR. PP. Jeſuitis ceſſit. Hinc proceditur ad portam Flaminiam, jam *del Popolo* dictam, peregrinorum omnium, Tranſalpinorumque in Urbem aditu, frequentatam. De cujus platea, obeliſco, magnifico proſpectu, multa in Romanis hodiernis recenſionibus feruntur. A latere plateæ conſpicitur eccleſia B. Mariæ *del Popolo* dicta, cum fabrilibus peritiſſimorum opificiis, tum picturis egregiis exornata. De hujus Altari, quod hodierno in Eccleſiæ loco erexit Paſchalis II. hæc narrat inſcriptio in choro poſita, quam ſingularitatis cauſâ proferimus.

Altare a Paſchali Papa II. divino afflatu,
ritu ſolemni hoc loco erectum;
quo dæmones
proceros nucis arbori inſidentes
tranſeuntem hinc populum dire inſultantes
confeſtim expulit,
Urbani VIII. pont. max. auctoritate
excelſiorem in locum quem conſpicis
tranſlatum fuit.
An. Dom. MDCXXVII.

Huic adjunctum Auguſtinianorum cœnobium, & horti ſepulcro Neronis, ut veteri traditione fertur, perquam inſignes. Hic canales, fornices, ac profundæ ſemitæ, ſubterranea late detinent ſpatia; olimque cœmeteria & ſepulcra erant, uti conjectare licet: nam ante Aurelianum Auguſtum, extra Urbis mœnia, hæc ſita fuiſſe creduntur. De iis vero hæc ſculptor nobilis recenſet.

FLAMINIUS VACCA. In vinea Fratrum B. Mariæ *del Popolo*, Mediceæ villæ hortis contermina, multi canales exſtant, quos vidiſſe me recordor, & alia aquis accommoda vaſa. Ad hæc dolium grande, aquarum receptaculum, magnificentia ſua inſigne.

Egreſſis ex porta Flaminia, primo occurrit Juſtinianea villa, monumentis veterum referta. Hæc cæteris omnibus præſtat marmoreorum vaſorum frequentia, quæ docte miroque artificio, Bacchanalium myſteriis atque ludis ſculpta ſunt. Statua-

rum item copia grandis adest, in iis colossus ille Justinianum Imperatorem repræsentans, quo se gloriantur Justiniani hodierni progenitore ortos. Columna ibidem milliaria visitur, & inscriptionum festiva copia, quarum nonnullas erui.

» FLAMINIUS VACCA. Recordor hominem quemdam, » qui demersis in Tiberim molibus, atque cymbis educendis va- » cabat, cum submersam scapham depressamque, expiscari vel- » let, urinatum inter portam Flaminiam & Ripettam, eruisse » Consulem sedentem, chartas manu tenentem, demto injuria » temporum capite. Eratque opificium istuc ex marmore statua- » li, peritissimo sculptore. Hæc statua videtur hodie in ædibus Pa- » lumbi Notarii, pone S. Mariam in Via. Narrabatque mihi in » multa se ibidem marmora incidisse, quæ absque facultate edu- » cere reformidaret. Is pridem obiit, vocabaturque Paulus Blan- » chinius.

In Tiberi, non statuas modo & marmora infinita pene latere, experimento plurimorum conspicuum est; sed etiam thesauros, eódem conjectos olim, exstare, & numismata omnis generis educi in dies, narrant bene multi Romanorum.

» Paulo III. sedente, memini vidisse me in platea *del Popolo* » dicta, grandem præaltamque lapidum struem. Cujus Pontificis » decreto diruta moles & solo æquata fuit. Extra portam autem » *del Popolo* duo propugnacula aggerata sunt, ex quadris marmo- » ribus gentilibus non diu excitata: in quibus omnibus foramina » videntur, a Gothis, ut sudes æneas colligandi causâ positas eri- » perent, adornata. Cujus rei fidem faciunt cætera per Urbem » veterum ædificia. Atque, ut observatum a me fuit, in commis- » suris marmorum ii perforare soliti erant; ita ut unum idemque » foramen duo marmorea saxa simul juncta adficeret, quia istic, » in commissuris videlicet, sudes erant, neque alio modo pote- » rant educi. In memoratis autem propugnaculis foramina, quæ » duobus in marmoreis saxis singula erant, sejunctis distractisque » marmoribus, sejuncta & ipsa sunt. Quod signum est manife- » stum, ex aliis veteribus ædificiis desumta fuisse. Cum autem » Sixtus IV. ædificiis struendis deditissimus, S. Mariam *del popolo* » construxisset; ut æternùm memoria sui perseveraret, quia Ec- » clesia portæ jam memoratæ hærebat, quo loco instante bello » dirui facile poterat, isthæc duo propugnacula excitavit, tutan- » dæ Urbi pariter & Ecclesiæ. Marmora vero queis usus ipse est,

ex

ex præfata mole atque ſtrue educta ſunt : quæ ſtrues nihil aliud “
quam mauſoleum eſſe poterat. Videmus enim ſepulcra propter “
Urbis portas & in viis publicis ſita olim fuiſſe : & tute Vir op- “
time *(Simonctam Anaſtaſium alloquitur)* mauſoleum hujuſmo- “
di Peruſiæ habes proxime portam. “

Hanc unam germanamque fuiſſe cauſam æſtimo, quod ædificia bene multa antiqua iſtis foraminibus diſtincta videamus. Nam quod quidam aiunt, aperta in Coliſei extima ſuperficie foramina, inſerendis perticis fuiſſe, quibus adjunctæ in terraque defixæ aliæ perticæ, appoſitis velis, quaſi tentoria exponendis mercibus, qualia ſolent hodie in pleriſque urbibus, exhiberent: id inquam non ita conſiderate dictum ; quando in ipſo Coliſéo, vel in ſublimiore ædificii ordine, paria foramina comparent; in aliiſque itidem ruderibus, ubi nullus tentoriorum uſus; exempli cauſa, in columnis illis quæ in foro Romano hodieque ſuperſunt, qua parte epiſtylio viciniores, ſimilia foramina ſunt; & ulterius rimando, ceu theca ænei ligaminis deprehenditur. Quod ligamen Gotthi dum in memoratis columnis magna vi avellerent, ingens ſaxum loco moverunt.

In vico Curſûs, ut vocant, ſuſpiciuntur ornamentis inſignibus concinnatæ Eccleſiæ, Auguſtinianorum nudipedum nomine *Jeſus Maria*, & S. Caroli Mediolanenſium. Haud procul eccleſiâ S. Caroli in ædibus Floravanti exſtant reliquiæ mauſolei Auguſti, rotundâ formâ, cujus ornamenta jamdiu lapſa, alio exportata ſunt. *Id autem opus*, ait Suetonius, *inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis ſexto ſuo conſulatu exſtruxerat : circumjectaſque ſylvas & ambulationes in uſum populi tunc jam publicarat.* Itemque proxime Naumachiam confecerat idem Auguſtus, ut paulo ſuperius narrat Suetonius : *item navale prœlium circa Tiberim cavato ſolo, in quo nunc Cæſarum nemus eſt.* Hæc porro omnia extra Urbis mœnia ſita erant, uti ſepulcrorum ratio poſtulabat. Muri enim ante Aurelianum ex illo latere ad clivos Capitolii & Quirinalis erigebantur. In Auguſti mauſoleo ſuperſunt adhuc concamerationes quædam, ubi reſidua picturæ antiquæ veſtigia pene deleta. A fronte mauſolei duo obeliſci erant, quorum alius in aditu S. Mariæ Majoris erectus, alius e vicino jacet ſepultus.

CAPUT XVII.

DUODECIMA DIES. De ecclesia S. Laurentii in Lucina. Horologium solare. Forma aquæ Virginis. Obeliscus detectus. Arcûs Portugalliæ historia. Ædes & bibliotheca Chiggia. Insignis Dionysii Halycarnassei codex, aliique. Cardinalis Imperialis bibliotheca. De ecclesia S. Mariæ in via lata insignia quædam. De Arcu Novo. Anaglypha ad ædes Columnenses educta. Musæum D. Livii Odescalchi. Gemma mirabilis Alexandrum & Olympiadem referens. Antonii & Cleopatræ schema in altera gemma insigni. DIES DECIMA TERTIA. Ædes Burghesianæ. De cœnobio S. Mariæ in campo Martio. De monte Citorio. Quare sic vocitatus. De porticu Antonini. Cœnobium, ecclesia & bibliotheca S. Mariæ in Minerva. Nili & Tiberis statuæ ubi repertæ. Insignia quædam effossa sub ecclesia S. Stephani de Cacco. De Pantheone singularia quædam.

QUam Urbis partem jam percurrimus, ea frequentibus principum & optimatum ædibus consperſa eſt. Palatia vulgo vocitantur: non elegantiâ ſolùm ædificii, ſed ſtatuis & veterum monumentis inſignita, ut in vulgatis Urbis deſcriptionibus pluribus enuntiatur. Nos ab eccleſia S. Laurentii in Lucina DUODECIMAM inimus DIEM. Sunt qui putent ortum nomen eſſe a Lucina matrona Chriſtiana; verum libentius iis adſtipuler, qui æſtimant a templo Junonis Lucinæ nuncupationem derivari. Qua ratione templum B. Mariæ in Minerva, a templo Minervæ, cujus rudera proximis ſæculis ibidem ſupererant, denominatur: in promtu eſſet exempla ſimilia non pauca in medium adducere. Inſtaurata porro fuit a Joanne de Rupeſciſſa Cardinali archiepiſcopo Rotomagenſi. In ejuſdem platea detectæ ſunt ſæculo decimo ſexto reliquiæ fa-

moſi horologii ſolaris, ab Auguſto excitati, in cujus medio obeliſcus, gnomonis vice erectus, exaratas æneis lineis horas, umbra cadente deſignabat: perſpicuis item quatuor ventorum ſymbolis horologium ornatum fuit. Eratque ſoli dicatum, ut ferebat inſcriptio.

In allato plerumque ſuperius Anonymo VIIII. ſæculi prope obeliſcum S. Laurentii in Lucina, memoratur forma aquæ Virginis, ſeu aquæductus cum arcubus, qui jam fracti erant, ut ibidem dicitur, quod ſententiæ Nardini favet, aquam Virginem has in partes derivantis. Aqua autem Virgo, ut eſt apud Caſſiodorum Formula VI. *ideo ſic appellata creditur, quod nullis ſordibus polluatur. Nam cum aliæ pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aerem perpetuo ſerenum puriſſime labens unda mentitur.*

Proxime erigebatur arcus non ita pridem dirutus, cui nomen, arcus de Portugallia, quem varii variis Auguſtis adſcribunt; alii ſcilicet Domitiano, nonnulli Claudio vel Druſo, Nardinus Marco Antonino, ſed haud certis indiciis.

“ Flaminius Vacca. Arcus hodie dictus *de Portogallo*, “ ſic vocatur, quia iſtic ſedes habuit Portugalliæ regis Orator. “ Antea vero, *Arco delli Retroſoli* vocitabatur, quia, ut vulgaris “ fert opinio, hoc nomine fuit nobiliſſima quædam familia Ro- “ mana, cujus erat Arcus. At æſtimo petitum nomen a tropæis, “ quæ anaglyphis in Arcu concinnatis exprimebantur; & ab impe- “ rita plebe, quem arcum *delli trofei* nuncupare debuiſſent, arcum “ *delli retroſoli* dictum eſſe. Mea ætate anaglyphum iſtinc erutum, “ ſigniferos tropæa manu geſtantes referebat; qua de cauſa in “ hanc opinionem totus ac pedibus, ut aiunt, deferor.

In diario quodam inedito quod penes me eſt, arcus iſte dicitur, *arco di Tripoli*, quod fortaſſe Flaminii Vaccæ opinioni ac conjecturæ faveat.

“ Flaminius Vacca. Tempore Sixti V. memini Fon- “ tanam equitem reperiſſe prope S. Laurentium in Lucina, ver- “ ſus campum Martium, obeliſcum magnæ molis ex marmore “ granito Ægyptio. Quod cum Sixto V. renuntiatum eſſet, juſ- “ ſit ille Fontanam totum detegere, ut in conſpicuo & op- “ portuno loco erigi poſſet. Eques autem ubi igne labefactatum “ deprehendiſſet, remque ſummo Pontifici aperuiſſet, mittendi “ conſilii auctor fuit.

» Recordor tempore Pii IV. veniſſe Romam Gothum quem-
» dam, qui librum antiquiſſimum geſtabat, ubi de theſauro age-
» batur. Inerat ſymbolum ſerpentis ac figuræ parvæ, in anagly-
» pho delineatæ, parum prominenti, quæ figura ex uno latere
» geſtabat cornu copiæ, altera manus extenſo digito verſus ter-
» ram quidpiam commonſtrabat. Tam diligentem perquiſitionem
» Gothus adhibuit, ut ſupra dicta ſymbola manifeſtiſſime expreſ-
» ſa in latere memorati Arcus deprehenderet. In ipſo certe Arcu
» nulla video ſculpta præter ea quæ diximus ſymbola. Neque du-
» bium eſt fuiſſe iſthæc facta ab eo qui arcum exſtruxit: etenim pe-
» tram reliquit huic elaborandæ figuræ aptam. Deprehenſo itaque
» loco, Gothus ſummum Pontificem adiit, qui his auditis, reſ-
» pondit ipſi penes Romanos cives eſſe, ut talem ipſi facultatem
» darent: Romanos ille adit, reque propoſita, impetrata eruen-
» di theſauri facultate, ſubito operi manum admovet, & a late-
» re arcus ſcalpro ceu portam aperit, animo cum deveniſſet ad
» medium pilæ, verſus profundum ducendi foramen. Hæc ac-
» cepi a Lucertola ſcalptore, qui huic operi inſudabat. Verum
» excitato populari tumultu, Gothum omnes interpellant ne
» cœptum opus perficiat, dicentes in ruinam iturum arcum, at-
» que apud Gothos etiamnum perſeverare rabiem illam diruen-
» dorum Romani populi monumentorum. Gothus itaque abſceſ-
» ſit, imperfecto opere. Eo autem loco adhuc videtur foramen
» a ſcalptore factum. Etiamſi porro quædam ſcribo in hiſce ſche-
» dulis quæ, cum antiqua monumenta non memorent, nihil ad
» ſcopum tuum ſpectant: at cum quidpiam non ingratum auri-
» bus præſerant, tacenda non æſtimavi.

Quæ hîc narrat Flaminius, nequaquam me a priſtina opinione removent, quam ſuperius ad Caracallæ circum aperui. Quod enim de Gotho habet Flaminius, deque ſigno latentis theſauri, commentum olet: ſiquidem Gothus ille vel a majoribus ad uſque ſuam ætatem deductum ſymbolum, ſæculis plus quam undecim elapſis, hæreditario jure accepit, quod a vero ſimili abhorret; vel diabolica arte, procul poſitus & ſignum & locum theſauri deprehendit, quod a cordato vix credatur: & alias non ipſe ſe rei teſtem narrat; ſed plebeiæ ſortis homini acceptam refert.

Eadem via pervenitur ad Antoninam plateam, ubi ædes Chiggiæ alterum latus occupant. Sunt enim peramplæ & ele-

ganter structæ. Nihil hic insignius bibliotheca, quæ numero & præstantia librorum cusorum paucis concedit. Ad hæc vero manuscriptis cum Græcis tum Latinis instructa probe. Latinorum conditionem ac vetustatem explorare non licuit: sunt autem, uti quidem narrant, maxima pars recentes, de gestis Alexandri VII. e Chiggiorum familia; & nonnulli ejusdem manu conscripti. Græcorum subsequentem notam erui.

Biblia Græca in codice XII. sæculi membranaceo.

Codex x. sæculi eximiæ notæ membranaceus, in quo Prophetæ omnes majores & minores cum commentariis *Origenis* & *Hesychii*, ac epistolis præfationibusque antiquis.

Codex bomb. alius Prophetas item omnes complectens, cum obelis & asteriscis, ac quibusdam Hexaplorum lectionibus ad marginem.

Alius codex recens cum multis Hexaplorum lectionibus. Nihil non egi apud Chiggium principem, ut notarum hujusmodi mihi copia fieret: diuque excubavi in aditum, interventu usus hominum clarissimorum, at numquam exorabilis ille fuit.

Acta Apostolorum eleganter scripta, anno mundi, juxta Græcorum computum 6902. id est Christi, 1394. Adsunt item Biblia Hebraica elegantissime exarata, & Evangelia Armeniace.

Officium Majoris hebdomadæ, caractere unciali, in codice membranaceo IX. vel x. sæculi.

Basilii de Baptismo, cujus initium Τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ ἐντολὴν δεδωκότος.

Basilii Homiliæ in codice x. sæculi membranaceo.

Gregorii Nazianzeni Orationes in codice XI. sæculi membranaceo.

Ejusdem epistolæ in codice XIV. sæculi bombycino.

Ejusdem carmina vitæ & alia.

Codex varias orationes ex Chrysostomi homiliis excerptas complectens.

Theodoreti in Hesaiam codex membranaceus XII. sæculi.

Ejusdem codex membranaceus, ubi commentarium in epistolas Pauli, x. sæculi.

Vitæ SS. in codicibus tribus membranaceis x. vel XI. sæculi.

Vitæ SS. in mense Maio, in codice membranaceo x. sæculi,

cujus laterculum ſua manu deſcripſit Alexander VII. Papa.

Quædam aſcetica Joannis Climaci in codice membranaceo XI. ſæculi.

Pandectes ex variis Patribus conſarcinatus in codice XIV. ſæculi.

Heliæ Cretenſis in Joannem Climacum, in codice recenti.

Joannes ἐλάχιςος, item Coſmæ Logica, in codice XI. ſæculi.

Nicolai Cabaſilæ Orationes quædam.

Manuelis Chryſoloræ quædam.

Xenophontis Cyropædia in codice recenti.

Codex elegantiſſime deſcriptus, membranaceus X. ſæculi, in quo *Dionyſii Halycarnaſſei* hiſtoriæ, cum figura ejuſdem Dionyſii ab initio ex antiquiori, ut videtur, codice accurate delineata, minioque picta. Nullum ejus ſcriptoris vidi pari antiquitate & præſtantia codicem.

Libanii Orationes & declamationes in codice membranaceo X. ſæculi.

Proclus in Timæum.

Plotinus in codice XIV. ſæculi.

Dionyſius Periegetes in codice bombycino XIV. ſæculi.

Andocides, in codice recenti.

Sophocles & *Nicander* cum ſcholiis in codice recenti.

In medio plateæ erigitur columna illa Antonina, in cujus faſtigium 194. gradibus aſcenditur; ea minutatim deſcripta proſtat.

Ab altero plateæ latere ſunt ædes Eminentiſſimi Cardinalis Imperiali, qui vir pietate, ingeniique præſtantia inſignis, faciles nobis ad ſe aditus ſemper exhibuit, librorumque pro voto copiam fecit: gaudet enim bibliothecâ cum numero tum præſtantiâ librorum conſpicuâ. Is neminem unum litteris deditum intercludit acceſſu, domique habebat viros doctrinâ præſtantes. In iis D. Philippus a Turre, litterarum, maximeque rei antiquariæ peritia clarus, cujus doctæ lucubrationes, de monumento veteris Antii, de deo Mithra, Beleno, diiſque Aquileienſibus, eruditorum manibus teruntur. Quare ſummus Pontifex Clemens XI. cui non gratia ſed virtus in pretio, ipſum nuper in epiſcopum Hadrienſem adlegit. Alter Juſtus Julius Fontaninus, jam editis opuſculis notus, hiſtoriam parat Aquileienſem, tanto operi par ingenium nactus, ut ex editis ſpeciminibus fides. Iſtis per otium Romanum amicis uſi, ac ipſorum

officiis plerumque culti ſumus, nec pauca inſtitutum noſtrum ſpectantia mutuati, ut in Diario paſſim narratur.

In Bibliotheca ejuſdem Eminentiſſimi Cardinalis hi pauci codices a me notati ſunt.

Titus Livius ſcriptus anno 1449.

Salluſtius ejuſdem ætatis.

Salvianus ejuſdem ætatis.

Vita Alexandri VII. per Card. *Palavicinum.*

Eodem itinere pervenitur in plateam *de Sciarra* dictam, ubi multæ veterum monumentorum reliquiæ deprehenſæ ſunt, ut auctor eſt Flaminius Vacca.

Platea *di Sciarra* nomen mutuata eſt a Sciarra Columna, «
qui iſtic olim habitabat. Ibidem, Pio IV. Pontifice, reperta «
ſunt arcûs Claudii fragmenta, atque hiſtoriæ ſculptæ, cum «
icone marmorea ejuſdem Claudii. Hæc emit D. Joannes Geor- «
gius Cæſarinus, hodieque in illius horto, proxime S. Petrum «
in Vinculis, poſita ſunt. Reſidua fragmentorum mihi compa- «
ravi, quibus exportandis centum triginta ſex vicibus carrus «
oneratus eſt. Totum opus ex marmore gentili, baſis ſolùm «
ex ſaligno erat. Pauci anni ſunt ſtrues marmorea, hiſtoriis «
anaglyphis onuſta, quæ arcus latus alterum eſſe videbatur, ſo- «
lo prominebat: indeque poſtea ablata a Romanis omnia, at- «
que in plano ſcalæ ſublimioris, qua itur in Capitolium, in opus «
admota ſunt. «

E vicino eſt eccleſia S. Marcelli, quo loco olim Marcellus Papa curandis equilibus deputatus eſt. Ad alteram vici partem exſtat eccleſia S. Mariæ *in via lata*, a vico olim mutuato nomine, erat enim extremum viæ Flaminiæ *Via lata* dictum. In altari tabella conſpicitur, S. Luca, ut quidem aiunt, artifice. Subjacet crypta, ubi olim SS. Petrum, Martialem, Paulum & Lucam ſedes habuiſſe narrant. Nec prætereunda quæ in anecdoto ſcriptore, oculato teſte, cujus ſchedæ penes me ſunt, ad annum 1491. ſedente Innocentio VIII. enarrantur.

Die 23. Auguſti cœptum fuit opus ſanctæ Mariæ in Via lata, «
videlicet deſtruere Eccleſiam, & aliam novam ædificare cum «
demolitione arcus triumphalis, ſupra quem in aliqua parte erat «
ædificata. In cujus Eccleſiæ fabricationem fertur Papam obtu- «
liſſe ducatos quadringentos, Vicecancellarius 300. Camera- «
rius 200. reſiduum magiſtri Architectores, cum hoc quod «

» marmora & Tiburtini qui reperientur ſint ipſorum.
» Die ſequenti 24. remotum fuit altare majus, quod erat in
» dicta eccleſia, ubi erat una porta [ſic] concha porfidea lon-
» ga, in qua repertæ fuerunt multæ reliquiæ, potiſſime in uno
» ſacculo Parini lini albi de Reliquiis multorum Martyrum, S.
» Hippolyti, Darii corpus & ſociorum, ubi eſt ſcripta in perga-
» mena de dictis Reliquiis, cum commemoratione quod ibi con-
» ditæ fuerunt per Leonem IX. qui fuit tempore Henrici VI.
» 1049. cum multis Epiſcopis & Cardinalibus: item in alio ſaccu-
» lo ſimiliter lineo, de Reliquiis aliorum Martyrum, cum inti-
» tulatione & inventario in charta membrana: item in alio ſac-
» culo aliæ Reliquiæ multorum Sanctorum & Martyrum ſine no-
» mine: item in una capſula lignea, de veſtimentis S. Joannis
» Baptiſtæ, unum os ſancti Philippi: item in quodam buſſoleto
» parvo de veſtimentis Chriſti inſutilibus: in quadam capſula lig-
» nea parvula multæ Reliquiæ in pannis involutæ, de ligno Cru-
» cis, de Spongia Chriſti, de veſtimento Beatæ Virginis Mariæ,
» & de multis Reliquiis aliorum Sanctorum: item Reliquiæ S.
» Stephani Martyris, de terra ſepulcri Chriſti, vel Beatæ Virgi-
» nis. Demum in una capſula longitudinis duorum palmorum
» cum dimidio & latitudinis unius palmi cum dimidio, fuerunt
» inventa oſſa ſancti Agabyti (ſic); quæ omnia fuerunt repoſita
» in dicta concha porfidea ubi prius erant, & dicta concha fuit
» poſita in eccleſia ſancti Cyriaci, ubi deſtinatum eſt fieri altare
» majus, & ibi retinere cum cuſtodibus, & oſſa ſancti Agabyti
» erant involuta in uno panno, cum litteris ſcriptis in una lami-
» na plumbi, dicentibus: *Iſtud eſt Corpus S. Agabyti.* (ſic)

Arcum hic memoratum vix dubito fuiſſe Arcum novum, ſic nempe dictum a Rufo. Nam de arcu ad S. Mariam in Via lata, ait Fulvius: *Cujus ornamenta marmorea erui nuper vidimus cum trophæis barbaricis, haud dubie poſteriorum eſſe Imperatorum ex ornatu apparet.* Marlianus vero eadem ipſa confirmat. *Prope eamdem ædem*, inquit, *reliquiæ arcus triumphalis ſexto ab hinc anno ſunt effoſſæ, in quibus inciſæ erant imagines Victoriæ, & trophæa: ex cujus Arcus inſcriptione hoc tantùm legi poterat: VOTIS X. & VOTIS XX.* Quæ inſcriptio, ut norunt rei nummariæ periti, ſæculum Conſtantinianum olet, recentioremque aliis omnibus in Via lata memoratis a Rufo arcubus, indicat; qui proinde Arcus novus cenſeri debeat. Nam in Via lata recen-
ſentur

ſentur a Rufo, arcus Veri & Marci, arcus Gordiani & Arcus novus; ita ſcilicet dictus, quod ſecundùm alios arcus, ſæculo videlicet Conſtantiniano, erectus fuerit.

Hinc pergitur in plateam, quæ SS. Apoſtolorum vocitatur, eccleſiâ ejuſdem nominis & ampliſſimis ædibus undique circumſcriptam.

FLAMINIUS VACCA. Recordor in platea SS. Apoſtolorum reperta fuiſſe marmora multa ſaligna egregiæ magnitudinis, opere quadro, multumque obeſa, iſtuc a noſtris infimo ævo congeſta. Obſervavi porro hujuſmodi fragmenta minime collapſa e vicinis ruderibus fuiſſe, neque caſu vel ruina ſimili quo loco reperta ſunt corruiſſe. Sed cum hæ ſtrues humi paſſim jacerent, nauſeamque & incommodum civibus parerent, neque poſſent iis in locis quidpiam exſtruere; præ temporum enim barbarie & imperitia, hujuſmodi marmora excitando nobili ædificio admovere facultas non erat; apertâ foveâ hæc intus præcipitabant, quæ cauſa eſt ut nullo ordine congeſta ſint.

Hærent eccleſiæ SS. Apoſtolorum, ædes Columnarum peramplæ & ornamentis inſignes, quæ paſſim recenſentur in Romanis hodiernis deſcriptionibus.

FLAMINIUS VACCA. Audivi Paulum III. ex porticu ædium Columnarum, ubi nunc habitat Cardinalis de Florentia, extuliſſe captivos illos duos, qui jam in vertice ſcalæ ædium Farneſiarum conſiſtunt. Æſtimo autem non diu in memoratam porticum advectos fuiſſe: nam, ut nullo negotio internoſcitur, eodem quo columna Trajana artifice ſculpti ſunt. Captivi autem hujuſmodi cuidam ex arcubus columnam claudentibus impoſiti erant, qua parte Columnenſes ſpectabant ædes, & educti forſitan a Columnis fuerant, cum ædificiis ſtruendis incumberent.

De iis vide quæ inferius ad Columnam Trajanam ex ejuſdem Flaminii ſchedis adferuntur.

E regione, ædes Cardinalis Chiggii occupat D. Livius Odeſcalchus, cujus muſæum in primis Italiæ fertur. Exſtat ibidem numiſmatum ſeries aurea, argentea, ænea, nummique bene multi perrari in qualibet ſerie obſervantur, Latini atque Græci. Numiſmata item maximæ formæ ſingularia, quæ recenſere & explicare magni otii eſſet. Nobis carptim ſolùm diſpicere li-

cuit. Gemmarum itidem elegantium festiva copia ibidem suspicitur, quæ incisæ typis nobilibus sunt, Augustorum Augustarumque capita referentibus. Præstat omnibus achates ille mirabilis quinque circiter pollicum longitudine, latitudine trium, ubi Alexandri & Olympiadis affabre egregieque incisa capita suspiciuntur, sed oblique posita, ut alterum duntaxat faciei latus pateat, neque ita prominenti sculpturæ ratione: vultusque Alexandri Olympiadem obtegens, extremas solùm ejus faciei lineas spectare concedit. Huic similem gemmam Parisiis diu penes nos habuimus pretio & sculpturæ ratione singularissimam, ubi in achate item, ut in Liviana jam memorata, M. Antonius & Cleopatra spectabili cultu, ad imam usque pectoris partem sculpti sunt egregieque cælati. Quorum schema hic antiquariæ rei studiosis proferre ne pigeat.

P. 242.



Præſtat Livianæ gemma hujuſmodi, quod adverſi ſpectantibus utriuſque, Antonii ſcilicet & Cleopatræ vultus, uno pollice promineant. Inprimiſque ſuſpicitur M. Antonius, cui doctus artifex, cum nativis vultus lineamentis, quid ſpirantis &, ſi fari liceat, vitam animumque indidit. Eſt porro gemma quaternorum quaquaverſus pollicum, cujuſmodi hic repræſentatur.

In eodem principis Livii muſæo ſtatuæ & icones marmoreæ non paucæ comparent, pleræque doctiſſimorum artificum; picturæ item nobiles, quæ ſingularitate & elegantia delectant.

A principis Burgheſii ædibus DECIMAM TERTIAM ordimur diem, quarum magnifica ſtructura, ac perampla eaque varia ſupellex omnium ore celebratur. Picturæ maxime inſignium artificum ſuſpiciuntur ibidem, & pretio & numero ſpectabiles, queis recenſendis de more ſuperſedemus. Ibi muſivo opere tabella ſuſpicitur Paulum V. Burgheſium referens, ita minuto lapillorum genere, ut barbæ, ita quidem ferunt, compingendæ, ad quater mille admoti fuerint. Haud procul hinc exſtat in campo Martio cœnobium Virginum, quæ cum olim Conſtantinopoli Romam tranſmigraſſent, poſthabita S. Baſilii, ſub cujus diſciplina vixerant, regula, in Benedictinarum cœtum & familiam ſeſe receperunt. In profectu vero Conſtantinopoli Romam, B. Virginis tabellam S. Luca, uti ferunt, artifice, eaſdem in ſedes extulerunt, quam hodieque cultu ſingulari venerantur. Hujus cœnobii chronicon Italico vulgari idiomate edidit Hiacinthus de Nobili Romanus, ex ordine Prædicatorum.

E vicino eſt monticulus jam *monte Citorio* appellatus, de cujus nuncupationis origine digladiantur Urbis ichnographi; alii a vicinis ſeptis, Septorium & poſt Citorium vocatum aiunt; alii a citando vocis originem derivant, quia cum iſtic cauſæ dicerentur, ſolitum erat eos citare quos in jus ambulare opus erat, indeque Citatorium, poſtmodumque Citorium nuncupatum. Veram vocis originem attigiſſe puto Fulvium, qui ait *acceptorium* dictum fuiſſe, ab acceptandis, uti quidem ipſe putat, ſuffragiis, demumque vitiato nomine Citorium dictum eſſe. Nam huic ſententiæ ſuffragatur diploma in archivo RR. PP. Auguſtianorum, cujus apographum hic proferimus. Ubi qui jam *monte Citorio* dicitur, *mons Acceptabilis* vocatur.

Urbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto «

» filiabus Agneti Abbatissæ, ac Sororibus S. Mariæ de campo
» Martis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ea quæ de
» Apostolici auctoritate mandati concordiâ vel judicio terminan-
» tur, firma debent & illibata manere, & ne processu temporis
» in contentionis scrupulum denuo reducantur, litterarum me-
» moriæ commendari, scriptoque Apostolico communiri. Cum
» autem inter Monasterium vestrum & ecclesias sancti Triphonis,
» sancti Salvatoris de Serra, sancti Nycholai de Præfecto, & san-
» cti Blasii de MONTE ACCEPTABILI, super parrochiali
» jure populi qui contineri dinoscitur a domo Pauli Johannis de
» Mitia, & infra a domo Bucacanum, & infra a via majore, quæ
» tendit juxta turrim Aimeldrigi de Scorza sancto, & infra ab
» utroque latere viæ a domo Monachi, & infra a domo Benen-
» case de Romanello, & infra, diutius fuisset agitata contentio:
» tandem felicis memoriæ Lucius Papa prædecessor noster, di-
» lectis filiis rectoribus Romanæ fraternitatis eamdem causam fi-
» ne commisit debito terminandam. Qui audito quod Monaste-
» rium vestrum, jam dictum populum tanquam parrochianos a
» quadraginta retro annis continue tenuerat usque ad tempus il-
» lud, & .... hinc inde propositis ab impetitione adversæ partis
» super eodem populo, vos & vestrum Monasterium absolve-
» runt, adjudicantes vobis & eidem Cœnobio populum, ipsum
» prout antea noscebamini tenuisse. Ut igitur eadem sententia
» perpetuam habere valeat firmitatem, ipsam prout rationabi-
» liter lata est, & in scripto exinde facto plenarie continetur,
» auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patro-
» cinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat
» hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu te-
» merario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit,
» indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli
» Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Veronæ IIII.
» Kal. Martii.

Ubi nos Kal. legimus, est ductus calami, qui Kal. an Idus notet, non ita perspectum habemus. Hic Urbanus III. est, qui diploma dedit anno 1187. Mons autem Acceptabilis ex memoratis ibidem Ecclesiis eumdem ipsum esse qui jam *monte Citorio* dicitur, exploratum est: qui mons acceptorius deinde, demumque vitiato nomine *Citorio* dictus fuerit. Jam vero vicino solo complanatus mons fuit, cum felicis mem. Innocentius XII.

peramplum causis tractandis ædificium, judiciariumque forum excitavit. Non longe inde sita vetera campi Martii septa fuere, quæ nomen indidisse monti opinio nonnullorum erat, iidemque montem a septis *Septorium*, & populari usu deinde Citorium vocitatum augurabantur: quorum opinio, detecta, ut quidem autumo, vera vocis origine, stare nequit.

Intermedio decurso viculo, occurrunt nobilissimæ porticus veteris reliquiæ, undecim columnis striatis ordine Corinthio cum basi Attica; capitella, zophorus atque coronis scite elaborata. Sunt qui Argonautarum porticum fuisse arbitrentur: at qui rudera porticui hærentia proximis sæculis conspexerunt, formam templi ejus generis quod pseudodipteron vocant, id est, alis atque columnationibus in ambitu toto decoratum, fuisse tradunt; & Antonini Philosophi ex inscriptione proxime eruta, peculio & opera excitatum æstimant: atque esse templum D. Antonini de quo P. Victor: *Templum D. Antonini cum cochlide columna, quæ est alta pedes CLXXV. habet intus gradus CCXVI. & fenestellas LVI.*

FLAMINIUS VACCA. Plateam ubi Orphanuli habitant, nunc *di prete* nuncupatam, olim *di pietre* vocitatam referente patre meo accepi; idque ob ingentem veterum fragmentorum copiam, ibidem proximis sæculis effossam. Dum eodem loco, me inspectante, foderent, deprehensæ sunt bases cum trophæis & captivis, provinciarum typis; hodieque paria multa reperiunt memoratisque similia, quæ ad idem ædificium spectabant. Eruta ibidem sunt anaglypha & bases, quas tute, vir clar. in musæo Farnesiano vidisti.

Vetustatis fragmenta a Flaminio recensita, ad ipsum D. Antonini templum pertinuisse putantur.

Parvo intervallo dirimitur Collegium illud Romanum RR. PP. Jesuitarum, cum amplitudine, tum ædificiorum, atque ecclesiæ in primis magnificentiâ, Romanis omnibus cœnobiis anteferendum, quæ minutatim in evulgatis Urbis descriptionibus expenduntur. Huic construendo ædificio dum vacarent, parandi loci & spatii causâ solo æquatæ fuerunt veteres S. Antonii & S. Mauri ecclesiæ.

FLAMINIUS VACCA. Memini inter plateam Sciarræ & obeliscum S. Mauti, ecclesiam olim fuisse exiguam, sed antiquissimam, S. Antonii nomine: ubi dum sepulcrum erigere-

„ tur, detectæ moles fuere, ex quadris ſaxis *peperinis* confectæ:
„ quorum tanta vis fuit, ut dirutâ veteri, educta ex venditis pe-
„ perinis pecunia fuerit ad novam eccleſiam conſtruendam ſatis.
„ Hæc ſane rudera & ſigna erant magni cujuſdam ædificii.

Vicinus huic eſt Dominicanorum conventus, cujus eccleſia B. M. in Minerva dicitur, quia iſtic olim templum Minervæ fuit: ejus rudera ſæculo decimo ſexto ſupererant, Minerviumque vocabatur, a Pompeio magno ſtructum, uti ferebat inſcriptio quædam. Sepulcris bene multis Eccleſia ornatur; in iis Pauli Papæ IV. & Cardinalis Cajetani tumuli, plus præſtantiâ ſepultorum, quam artificii elegantiâ inſigniuntur. Bibliotheca perampla, librorum nuper Eminentiſſimi Cardinalis Caſanatæ magna acceſſione aucta, nulli per Italiam concedit librorum delectu. In hoc cœnobio reſidet Præfectus Generalis ordinis P. Antoninus Cloche, ingenio vir aliiſque animi dotibus præſtans, & P. Maſſoulier Aſſiſtens, ut vocant, in primis fertur qui Theologiam diſciplinaſque Eccleſiaſticas profitentur.

„ Flaminius Vacca. In vico proxime Minervam,
„ quo itur in arcum Camillianum, referente patre meo edidici,
„ Tiberim atque Nilum, jam in Palatio *di Belvedere* poſitos, re-
„ pertos fuiſſe in ædibus, ubi jam fuſco colore delineatum videtur
„ Nili ſimulacrum; ut indicetur fortaſſe, monumenta illa eodem
„ loco deprehenſa fuiſſe.

„ Pone iſtas ædes exſtat eccleſia ſancti Stephani de Cacco:
„ quod nomen derivatur a duobus leonibus ex baſalte, Numi-
„ dicâ petrâ, nigro colore, quos memini conſtitiſſe ante prædi-
„ ctam eccleſiam. At tempore Pii IV. in Capitolium advecti ſunt,
„ atque ornamenti cauſâ poſiti ad imum ſcalæ, quæ cochleæ mo-
„ re confecta eſt, & ad plateam Capitolinam ducit. Paucis hinc
„ annis, cum ſub Eccleſia foderent, inciderunt in quamdam ve-
„ teris templi partem, cujus columnæ, ex flavo marmore, ere-
„ ctæ ſtabant. Sed dum eas adducerent, quia jamdiu igne con-
„ fectæ fuerant, in fruſta comminutæ ſunt. Iſtic item baſes ſive
„ aræ quædam inventæ ſunt, ſacrorum olim apud gentiles uſui:
„ inſculptæque erant arietibus, ornamenta quædam gentilibus
„ aſſueta collo geſtantibus. Memini me ſimiles in locis plurimis
„ ſculptos arietes vidiſſe: jam vero exſtant in ædibus Horatii Mu-
„ ti. Neque dubium eſt inſignia bene multa veterum monumen-
„ ta ſub eccleſia iſta latere, quæ pereunt ne ipſa diruatur.

Eccleſia iſtæc ad Sylveſtrinos pertinet, qui in partem familiæ Benedictinæ veniunt.

E vicino inſigne templum eſt, Pantheon olim dictum, vel quia deorum principibus dicatum erat; vel, ut ait Plinius, *quod formâ convexâ faſtigiatum, cœli ſimilitudinem acciperet.* Opus ſtupendum a M. Agrippa ſtructum, vel potius, ut peritiorum fert opinio, reſtauratum & auctum: nam, ut primo conſpectu animadvertitur, templi ſtructura, non eâdem quâ porticus architectonices normâ procedit. Porticus ſexdecim ingentis molis columnis ex marmore granito, partim ex Ægypto, partim ex Æthalia educto, uno ſaxo ſingulæ confectæ ſunt; ut mirari ſubeat qua arte quibuſve machinis tantæ moles ex Thebaïde Romam advectæ fuerint. Neque enim audiendi ſunt, qui æſtimant haſce moles, obeliſcos videlicet atque columnas, ex compactis lithocolla duriſſima marmorum fruſtis confectas; multoque minus moror eos qui conflandi ac fundendi, æris inſtar, lapides olim viguiſſe artem arbitrantur. Nam Suetonius aliique, ſuppares Auguſtis qui iſtæc Romam advexerunt, teſtificantur eadem ex Ægypto & Thebaïde advecta. Lampridius vero ait, Helagabalum in animo habuiſſe columnam erigere uno marmore ingentem, inſtar columnæ Trajanæ, ad quam interiori ſcala aſcenderetur, ut in faſtigio Helagabalum deum collocaret; ſed *tantum ſaxum* non inveniſſe, cum id de Thebaïde advehere cogitaret. Quæ vero cauſa tanti itineris vecturam aggrediendi, ſi aut compingi aut conflari Romæ tantæ moles potuiſſent? Nam quod lapicidina hujuſmodi, quo loco jam ſit ignoretur, nihil mirum, cum ab annis circiter 1100. Europæis præcluſus illarum partium aditus ſit. Cum enim ſæculo ſeptimo in Mahumedanorum ditionem Ægyptus tota, exindeque ad hoc uſque tempus, mutato licet domino, ejuſdem cultus atque ſuperſtitionis infidelibus ſubdita perſeverarit, lapicidinæ hujuſmodi incultæ & infrequentatæ manſerunt. Cætera quæ Pantheonem ſpectant, utpote trita & vulgata, conſulto mittimus. Sed præclara nobis, hactenuſque minus nota, aperit ſculptor inſignis.

F L A M I N I U S V A C C A. Leones ex baſalte, & concha «
porphyretica, quæ jam olim (ſi bene memini legiſſe me in Ap- «
piano Alexandrino) ante Rotundæ porticum fuere; ibidem «
manſere uſque ad Sixti IV. tempus. Sub Eugenio autem IV. «

» facta eſt platea Rotundæ in campo Martio. Quo tempore in-
» venerunt unum ex leonibus, concham porphyreticam, & par-
» tem capitis ænei Marci Agrippæ, equinum item pedem & frag-
» mentum rotæ currus. Hinc conjectare licet in frontiſpicio porti-
» cus, ſublimi loco, fuiſſe Marcum Agrippam triumphantem æneo
» in curru: in ima vero frontiſpicii parte conſediſſe leones illos,
» & in medio urnam cum cineribus ejuſdem Agrippæ. Sub hæc,
» tempore Clementis VII. Octaviano de Valle viarum curatore;
» cum is vici pavimentum reſtaurare vellet, leones & concham,
» quæ denuo ſuffoſſa fuerant, detexit eruitque: concham edu-
» ctam duobus ſublimem pedibus erexit; leones ſimiliter, paratis
» ex columnæ fragmento baſibus, extulit. Sixtus autem V. hoſce
» leones ad aquam Felicem, cujus ipſe ductor fuit, ad thermas
» Diocletianæas ſitam, tranſvehi curavit. Concha ante porticum
» Rotundæ manſit. Ænea fragmenta, quæ tempore Eugenii IV.
» eruta fuerunt, fuſa haud dubie & conflata, in alios uſus tranſ-
» lata ſunt.

Ubi nos vertimus: *Sub Eugenio autem IV. facta eſt platea Rotundæ in campo Martio.* Flaminius ſic exprimit: *Al tempo di Eugenio IV. fece la baſilicata della Rotonda per tutto campo Marzio*, quorum ſignificationem haud ita compertam habeo. Peritiores Italicæ vernaculæ linguæ conſului, a quibus haud plus lucis mutuatus, in hac interpretatione augurando conſtiti. Architectorum XVI. ſæculi opinio fuit, fundamenta Pantheonis ſolida eſſe, neque muris modo, ſed etiam fornici, ſubjecta. Quæ fundamenta etiam longe ultra Pantheonis limites producta fuiſſe, multorum experimento comprobatum eſt.

Eadem die Strozzianas ædes viſimus. Ibi muſæum Illuſtriſſimi viri Leonis Strozzii, varia ſupellectile inſtructum: ſuſpicitur in primis ſiſtrum Ægyptiaco more conflatum, a memorato viro typis datum, aliaque id genus inſtrumenta antiqua; liber item marmoreis ex tabulis mira tenuitate exſectis, concinnatus, ut evolventi omnia marmorum genera ordine ſpectanda offerantur. Numiſmatum aureorum ſeries, in qua multa perrara pretioſaque obſervantur. Ad hæc manuſcripti quidam codices, & in iis Homeri operum codex bombycinus XIV. ſæculi, ad cujus calcem hæc deſcripta ſunt. Μηνὶ Μαΐῳ ιθʹ ἐν ἔτει ͵ϛʹωʹνʹδʹ ἰνδ. ιδ. κατέπεσεν ὁ θεῖος καὶ οὐράνιος ναὸς τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης τοῦ Θεοῦ καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐπονομαζομένης τοῦ Θεοῦ Σοφίας, τὸ

καύχημα

καύχημα πάσης τῆς οἰκουμένης. Id est : *Mensis Maii die decima nona, anno 6854. (id est Christi 1346.) indictione 14. corruit divinum cælesteque templum sanctæ & magnæ Catholicæ Dei ecclesiæ, cui nomen Sapientia Dei, gloria universi orbis.* In alio codice exstat chronicon ab orbe condito ad annum Christi 1200. quo exaratus codex fuit. Hujus exscribendi copiam nobis fecit vir humanissimus.

Caput XVIII.

***DIES DECIMA QUARTA.** Cœnobium S. Augustini. Via publica & columnæ grandes prope S. Ludovicum detectæ. Pasquinus ubi positus olim. Vis ingens monumentorum in ædibus Justinianæis. Labra immanis amplitudinis in thermis Neronianis. Alia eorumdem ornamenta insignia. Plateæ Navonæ unde nomen. **DIES DECIMA QUINTA.** Statuæ colossales ad S. Salvatorem in Lauro effossæ. Sagittæ æneæ antiquæ. De ecclesia Nova. Cancellariæ ædes, bibliotheca Ottobonæa ibidem. De Pompeii statua eruta. Ædes Maximorum. De exortu typographiæ Romæ. De prima Institutionum Lactantii editione. Ædes Farnesianæ : ornamenta earum unde educta.*

DIEI DECIMÆ QUARTÆ initium ducimus ab ecclesia & cœnobio S. Augustini : ubi Bibliotheca visitur cui Angelica nomen, ea codicibus tum cusis tum manuscriptis μετρίως instructa est : in manuscriptis, Græci modico numero sunt, & ut plurimum recentes. Ex archivo ejusdem cœnobii, non pauca diplomata exscripsi. Ibidem jam degit R. P. Guillelmus Bonjour Tolosas, vir doctus Copticæque linguæ scientissimus, cujus Grammaticam ex paucis qui superant ejus codicibus, accurate confecit, eamque propediem in publicum emittere parat.

Non longe hinc sita est ecclesia S. Ludovici, de cujus stru-

ctura & ornamentis nihil nisi vulgare succurrit. Istic effossa quædam memorat sculptor noster.

» Flaminius Vacca. Memini vidisse me, dum exstrue-
» retur præcipuus canalis aquarum, quæ nuper in Urbis commo-
» dum deductæ sunt, viam silicibus stratam, quâ a porta Fla-
» minia ad locum ubi jam exstat platea S. Ludovici rectà pro-
» cedebatur. Inque platea detectæ sunt tres quatuorve columnæ
» ex granito marmore Æthaliæ insulæ; similes, ut mihi quidem
» visum est, iis quæ in porticu Rotundæ eriguntur. Et non pro-
» cul hinc, in platea *Madama*, ut vocant, sub ædibus *Bene in*
» *bene*, inventæ sunt grandes pilæ ex petra Tiburtina, in qua-
» rum una, reliquiæ graduum, spectatoribus olim in usu: inde-
» que prospectus in Amphitheatri medium erat. Similesque iis
» gradus deprehensi sunt in officinis hodiernis ahenorum, in ex-
» tremo plateæ Navonæ positis: in ecclesia S. Agnetis paria vi-
» sa sunt, necnon sub ædibus principis de Massa, ubi exstat ho-
» die turris Ursinorum. Aiunt ibidem repertum fuisse Pasquinum,
» qui mea quidem opinione erat in capite memorati amphitea-
» tri, ubi celebrabantur feriæ Agonales: ac etiamnum Agonis
» nomen platea retinet.

Proxime exstant ædes Justinianorum, in thermis Neronis structæ, quæ ornatu nullis concedunt, statuarum anaglyphorumque copià omnes superant. Dictum mihi, nec fidem neganti, fuit, adesse aut statuas cum integras, tum ab umbilico, aut anaglypha, ad plus mille quingenta numero, quæ Augustos Augustasque, philosophos item aliaque referunt. Eminent Hercules æneus, M. Aurelius paludatus; at ne actum agere videamur, cæteris enarrandis supersedemus. Thermarum Neronianarum, quæ post Alexandrinæ ab Alexandro Severo vocitatæ, magna hodieque rudera supersunt, queis vicina est S. Eustachii vetustissima ecclesia.

» Flaminius Vacca. A latere ecclesiæ S. Eustachii,
» proxime telonium, *la Dogana* vulgo dictum, recordor humi
» projecta jacuisse olim labra tria ex marmore granito Æthaliæ,
» quæ, ut quidem æstimo, eodem loco effossa olim fuerant,
» quia thermis Neronis a latere positis usui olim, balneisque de-
» putata, fuisse videntur. Pio IV. sedente, magnificus Dominus
» Rutilius Alberinus, quod pulcherrimum atque integerrimum eo-
» rum erat, a summo Pontifice postulavit; impetratumque er-

gatâ deduxit ad vineam ſuam extra portam Portuenſem, piſcinâ nobili decoratam. Reliqua duo labra confracta erant. Eorum diametrum triginta circiter palmorum erat, *(id eſt 20. pedum regiorum)* videbanturque ſingula eleganter & affabre cælata.

FLAMINIUS VACCA. Memini Pii IV. tempore, ſub palatio olim Cardinalis de Valle, multa zophororum & columnarum fragmenta, necnon capitella Corinthia detecta. Et quia thermis Neronis hærebant, & ex marmore ſaligno confecta, quo ſemper marmoris genere & non alio uſus eſt in ædificiis ſuis Nero, ideo æſtimo hæc monumenta ad thermas ejus pertinuiſſe. In his immanis ſpiſſitudinis capitellum, quo in porta Pia, ſculpendis hiſtoriis Pii IV. uſi ſunt.

Recordor proxime frontiſpicium Neronis deprehenſam fuiſſe columnationem grandem, quantam numquam vidi, ſi ſpectetur ſpiſſitudo altitudoque marmorum, columnæ novem palmorum (a diametro) erant (id eſt, ſex regiorum pedum) ſtupendum ædificium! ex iſtis porro columnis multa opera confecta ſunt, interque alia frontiſpicium capellæ Cardinalis Ceſii in S. Maria Majore. Ex baſe porro quadam, factus eſt crater fontis plateæ de Populo; ex altera crater plateæ Judæorum, quæ opera ex marmore Saligno erant.

Non procul hinc, platea viſitur Romanarum omnium ampliſſima, cui hodie Navona nomen, proximis ſæculis in diariis Romanis Nagona, & Nagone dicebatur, atque ita appellatur a Jacobo Lauro, qui Romanas antiquitates inciſas æri edidit & explicavit: ſequiori ſcilicet ævo in Agone dicebatur, exinde vitiato nomine Nagone, deinde plebeio uſu Navona vocitata fuit. Neque audiendus Nardinus, qui rejecto germano etymo, a navis forma quam præferre videtur, Navonam vocitari commentus eſt. Ea circi hodieque formam retinet, ab Alexandro Severo olim juxta thermas ſuas conſtructa. De fontibus, ædibus magnificis, eccleſia S. Agnetis, queis ea exornatur, adeantur Romanæ hodiernæ recenſiones.

Pone Navonam plateam, inter eccleſias B. Mariæ de Anima, & B. Mariæ de Pace, quædam ævo Flaminii deprehenſa ſunt.

FLAMINIUS VACCA. Ad ſanctum Thomam *(eſt ea Parochia hujuſce tractûs)* viculus eſt, quo itur ad B. Mariam de

» Pace, in quo memini tempore Gregorii XIII. erutas columnas
» duas ex flavo marmore, quæ ad capellæ Vaticanæ Gregorianæ
» ornatum exsectæ fuerunt.

» Memini tempore Julii III. inter B. Mariam de Pace, &
» B. Mariam de Anima, effossa fuisse aliqua columnarum frag-
» menta ex marmore maculoso Africano, & ex Porta sancta,
» quæ primis scalpri tunsionibus ad usum subterranei fornicis præ-
» parata, sed numquam in opus admota fuisse videbantur. Ea
» septem palmorum spissitudinem ferebant, emtaque fuere a Car-
» dinali de Montepolitiano. Opinio multorum est, portam S.
» Mariæ de Anima ex Porta sancta totam fuisse confectam. Is-
» tic item videntur urnæ duæ nobilissimæ, quæ aquæ lustrali jam
» deputantur, ex maculoso item marmore concinnatæ. Æstimo
» in Ecclesia ista reperta fuisse supradicta marmora, quæ postea
» in ejusdem usum conversa sunt.

DECIMAM QUINTAM DIEM incipimus ab ecclesiâ S. Salvatoris in Lauro, pulcra & eleganter ornata, in cujus horto, Flaminii, tempore quædam deprehensa sunt.

» FLAMINIUS VACCA. Dum effoderent in horto
» S. Salvatoris in Lauro, detectæ sunt quatuor colossales statuæ
» vestitæ, fœminas referentes, octodecim aut viginti palmorum
» ex marmore statuali, præciso omnes capite. A superiori parte
» singulæ guttis æneis consperfæ videbantur. Erantque juxta po-
» sitæ eodemque situ, ita ut viderentur in eumdem scopum ten-
» dere. Sic videlicet adornatæ fuerant, ut in ergatam deduce-
» rentur & deferrentur aliò. Nullum e vicino erat antiqui ædi-
» ficii vestigium, sed humi jacebant extensæ. Hinc mihi opinio
» est non fuisse antiquitus in eodem loco positas. Inciderunt ibi-
» dem in fusorias metallorum officinas: guttæque illæ æneæ, su-
» perficiei statuarum hærentes, nihil aliud erant quam stillæ fusi
» metalli, casu ex officina emissæ, quæ in statuas deciderant.

Haud ita procul propter ecclesiam S. Joannis Florentinorum quæ in elegantioribus censetur, eruta alia fuerunt.

» FLAMINIUS VACCA. Audivisse me recordor, prope
» anterides illas pontis Horatii, ut vocitant, quæ in Tiberi vi-
» dentur e regione S. Joannis Florentinorum ex alio latere, quà
» respicit nosocomium Spiritus sancti, inventam fuisse tantam
» copiam ænearum sagittarum, ut onerandis scaphis pares fue-
» rint.

Hic repetenda in memoriam quæ de æneis armorum generibus ad ædes Trevifanas fuperius diximus p. 70.

Hinc itur in ecclefiam S. Mariæ in Vallicella, quæ ftructura, fublimitate, ornamentifque variis, infignis eft. Ibi fufpiciuntur ftatuæ binæ S. Joannis Baptiftæ & S. Joannis Evangeliftæ, fculptore Flaminio Vacca, cujus obfervationes proferimus. Ecclefia a Patribus Oratorii Domini Jefu culta, magnificum habet adjunctum eorumdem Cœnobium, & Bibliothecam numerofam, nec codicibus manufcriptis vacuam. Hujus Cœnobii alumnus eft, in eoque fedes habet Eminentiffimus Cardinalis Colloredus, pietate vir egregiifque aliis animi dotibus inftructus, quo patrono per otium Romanum ufi fumus. Is nos plerumque xeniis honoravit, atque humanitatis officiis profequutus eft.

Hinc in Cancellariam itur, ædes fcilicet ita nuncupatas, porticibus inftructas, columnifque ex granito marmore decoratas. Cancellariæ officium ædefque ipfas occupat Eminentiffimus Cardinalis Ottobonus, qui facileis nobis ad fe Bibliothecamque fuam aditus femper conceffit; ac pro ea qua pollet humanitate & munificentia, codicum pro voto copiam fecit. Bibliotheca fane iftæc, codicum Ebraïcorum, Græcorum, Latinorumque præftantiâ & numero foli Vaticanæ concedit. Aderat officiis fuis vir doctus amicufque nofter Blanchinius tunc fupellectilis tantæ præfectus, quem jam fummus Pontifex eruditionis ac modeftiæ caufa in cubiculariorum numerum adfcripfit. Horumce codicum peramplam notitiam eruimus, quæ quidem prolixior, quam ut in hoc Diario locum habeat. Ex codicibus ejufdem bibliothecæ Græcis non pauca exfcripfimus SS. Patrum opera, quæ, Deo juvante, in publicum emittentur. Adeft item perampla gaza numifmatum magni moduli, Auguftorumque feries elegans. Hæret ædibus ecclefia S. Laurentii in Damafo, fic dicta quia a Damafo Papa excitata. Nam ipfe Pontifex conftruendis ornandifque per Urbem ecclefiis, non exiguam operam navavit.

Flaminius Vacca. Recordor me fub ædibus « Gallorum, dum excavarent tempore Gregorii XIII. vidiffe « ingentem marmoream urnam, quæ in plateam Navonam ex- « portata fuit, illâ nunc aquandis jumentis utuntur. Deprehen- « fa quoque iftic funt infculpta clypeis, tropæis & caffidibus ca- « pitella, quæ indicio erant fuiffe iftic olim templum aliquod «

» Marti dicatum. Hæc jam vulgaris opinio manavit. Capitella » memorata in ædibus Gallorum adhuc exſtant, quæ in via *de* » *Leutari* (ii ſunt fidium artifices) ante palatium Cancellariæ » ſunt.

His in partibus Ara, itemque ædes Martis erat, quod fortaſſe conjecturæ Flaminii faveat. Ejuſdem ſunt quæ ſequuntur.

» In qua via habitant fidium artifices, proxime palatium Can- » cellariæ, tempore Julii Papæ III. memini repertam fuiſſe ſub » cella vinaria Pompeii ſtatuam marmoream, palmorum quin- » decim *(id eſt, pedum regiorum decem)*, in cujus collo fundaba- » tur medianus murus; ita ut caput exſtaret in domo vicini ejus » qui fodiendo reliquam ſtatuam detexerat. Hinc lis inter am- » bos exoritur: nam uterque ſeſe ſtatuæ dominum arbitrabatur. » Qui ſtatuam repererat, pugnabat ſuam eſſe quam inveniſſet » ipſe, & cujus maxima pars in ædibus eſſet ſuis. Alter conten- » debat ad ſe pertinere ſtatuam, cujus caput, nobilior ſcilicet » portio, penes ſe domi eſſet; ex quo cujus icon eſſet dignoſce- » batur. Cum diu hac de re litigaſſent, decrevit demum impe- » ritus judex ut exciſum caput alter acciperet, alter vero trun- » cum obtineret, atque ita ſinguli quæ domi tenebant impetra- » rent. Miſerum Pompeium! Annon ſatis erat caput ipſi a Pto- » lemæo amputatum, ut etiam marmorea ejus ſtatua in ſimile » periculum veniret? At cum tam ſtulti judicii fama ad Cardi- » nalem *Capo di ferro* deveniſſet, abſciſſione ſuperſedere juſſit, » Juliumque Papam adiens rem ei denuntiavit. Tam immanem » ſententiam miratus Pontifex, juſſit quamprimum erui ad ſeque » deferri ſtatuam; &, ni labor memoria, quingentos inter par- » tes dividendos nummos ſolvit, ſtatuamque Cardinali Capo » di ferro dono obtulit. Pontifice digna ſane ſententia, opuſque » ferreo capiti congruens, in cujus ædibus ad pontem Sixtum » ſtatua conſiſtit.

Hiſtoriam Pompeianæ ſtatuæ ex Flaminii ſchedis adtulit Martinellus in opuſculo *Roma ricercata* inſcripto; cætera ejuſdem obſervatu digniora neglexit, quæ nos jam publici juris facimus. Statua porro conſpicitur hodie in ædibus Cardinalis Spadæ ad pontem Sixtum, ubi primùm a Cardinali Capo di ferro erecta eſt.

Quà itur ad eccleſiam S. Andreæ de Valle, occurrunt ædes

Marchionis de Maximis, quæ familia inter antiquiſſimas Urbis accenſetur. Is nos plerumque excepit perhumaniter, donoque obtulit ſigillum triplex argenteum Danielis cujuſdam Metropolitani Patrenſis qui ſæculo proximo vixit. Ædes picturis ſtatuiſque exornantur, in iis Pyrrhi regis ſtatua, Bruti, Theophraſtis & Xenocratis icones marmoreæ ab humeris, aliaque id genus bene multa. Cum primis obſervandum, exemplum picturarum ſepulcri Naſoniani via Flaminia, nativis coloribus expreſſum, jam pretioſius, quia poſt detectum nobile mauſoleum, aeris injuria primigenia illa pictura eraſa deletaque fuit. Id antequam accideret, Cardinalis de Maximis picturas exprimi curavit, quales hodie in Maximianis ædibus eleganter delineatæ comparent. Suſpicitur ibidem anaglyphum pueri cujuſdam equitis, cujus funus aliquot Græcis carminibus deploratur; reliquiæ item picturæ antiquæ ab Auguſtorum ævo ad hanc uſque ætatem a temporum injuria vindicatæ. Ex manuſcriptis codicibus ejuſdem nobiliſſimi viri, varias prologorum Trogi Pompei lectiones eruimus, ſuo loco publicandas. Habet ipſe Marchio domi virum antiquariæ rei peritum Joannem Baptiſtam Martinellum. In ædibus Maximorum anno 1470. cuſus primo fuit Auguſtinus de Civitate Dei, in fol. & anno 1471. ibidem biblia typis data, in quorum fine legitur:

Aſpicis illuſtris lector quicumque libellos,
Si cupis artificum nomina noſſe: lege.
Aſpera ridebis cognomina Teutona forſan:
Mitiget ars muſis inſcia verba virûm.
Conradus Suveynhem, Arnoldus Pannartſque magiſtri
Romæ impreſſerunt talia multa ſimul.
Petrus cum fratre Franciſco Maximus, ambo
Huic operi optatam contribuêre domum.
MCDLXXI.

Ait autem Floravantes Martinellus in Roma ſacra, in eadem Maximorum domo ſub Nicolao V. anno 1455. typorum artem admiratam Romam fuiſſe, ab iiſdem jamjam memoratis in carmine artificibus advectam. Quod ſi verum eſſet, excitatæ typographiæ gloria Petro Schoeffer & Joanni Fuſt Moguntinis eriperetur. Quod autem Martinelli ſententiam fulcire videatur, anno 1461. Inſtitutiones Lactantii Firmiani in Monaſterio Su-

blacensi cusæ sunt, quam ego editionem vidi in musæo D. de la Thuilliere. In fine libri istæc leguntur:

Lactantii Firmiani Institutiones cusæ in venerabili Monasterio Sublacensi anno 1461. antepenultima Octobris in Fol.

Editio quippe illa haud dubie emissa est postquam Romæ evulgata jam fuerat ars typographiæ; neque enim in isto Cœnobio ortam quis æstimarit. Quod vero Joannes episcopus Aleriensis in epistola sua ad Paulum II. Pontificem, ipsi gratulatur, quia præstantissimi characterum imprimendorum auctores SVB PAVLI SECUNDI VENETI PONTIFICATV Romæ artem exercere cœperint; id inquam, manifesto repugnat allatæ ex Lactantii edito historiæ, qua fertur cusas Institutiones anno 1461. id est totis tribus ante initum a Paulo Secundo pontificatum, annis. Si germana sit Sublacensis editionis inscriptio, stare nequeunt Joannis Aleriensis dicta: quæ nonnihil adulationis præferunt. Hæc ulteriori peritorum examini permittimus. Sane quæ jam diximus, ad plura nova hac de re pervestiganda aditum parant.

Proxime istas ædes exterorum aditu, elegantiæ causâ, frequentatur ecclesia S. Andreæ de Valle, de cujus picturis magnificisque capellis sexcenties actum.

» FLAMINIUS VACCA. In platea olim *di Siena*, vocata,
» quo loco Theatini ecclesiam S. Andreæ jam exstruunt, cum
» fundamenti ponendi causâ excavarent, memini detectam fuisse
» truncam columnam ex marmore granito Æthaliæ, quadragin-
» ta palmorum longitudine, sexque circiter densitate, & sub hu-
» jusmodi mole reperta est via antiqua lapidibus strata. Æstimo
» sane memoratam columnam istuc fuisse transvectam, quia in
» eodem plano nulla erant antiqui ædificii vestigia. Sed conti-
» nuata demissius effossione, pene in creta deprehensa est ingens
» statuaria theca, signum sane superbi antiqui ædificii. Colum-
» nam memoratam in varias partes exsecuerunt, ex quarum una
» limen magnum ostii Ecclesiæ confectum est.

Non procul sitæ ædes illæ Farnesianæ, decantatæ per orbem, nec minus artificis manu, quam magnificentiâ celebres. Hic ille Hercules egregie cælatus, Commodus nudus puerum gestans, historia Dirces uno saxo figuris bene multis, notissima omnia. In conclavi quodam inter icones medias marmoreas,

eminet

eminet illa Caracallæ; paris elegantiæ in Urbe, & fortaſſis in orbe nulla: & tamen facta eſt cum a priſtino ſplendore artes Romæ declinarent. His pro inſtituto noſtro miſſis, ea ſolum proferimus quæ Flaminius recenſet, vel ipſa novitate placitura.

FLAMINIUS VACCA. Renuntiatum mihi fuit, quo tem- «
pore Antonius de Sancto Gallo palatii Farneſiani fundamenta «
jaciebat, cum Paulus III. Papa Cardinalis adhuc eſſet, & ma- «
gnam anguli partem verſus S. Hieronymum exſtruxiſſet, lu- «
xari ac diffindi cœpiſſe angulum. Tum Cardinalis Farneſius, «
cujus peculio opus excitabatur, D. Antonium objurgavit, ac ſi in- «
conſideranter egiſſet. Nihil juvit Antonium quod in creta fun- «
damenta ædificii poſuiſſet, nulla non arte ad ejus ſoliditatem «
uſum. Stupens igitur ille & anxius animi, utpote artifex ſum- «
mus, quo cauſam vitii explorare facultas eſſet, caveam ſub an- «
gulo pecuniâ propriâ confici juſſit, atque eo ſeſe demittens in- «
venit cloacam antiquam in creta ſtructam latiſſimamque, quæ «
a campo de Flore in Tiberim tendebat. Poſthac vero an quiſ- «
piam ſecure ac fidenter agat, etiamſi in ipſa creta fundamenta «
jecerit. «

FLAMINIUS VACCA. Narrabat mihi anni multi ſunt «
lithurgus quidam, avum ſuum, qui tempore Sixti IV. vixit, «
in Antoniniana vidiſſe inſulam marmoream figurarum pedibus «
trunciſque corporum onuſtam, atque cymbam item marmo- «
ream, vectoribus, ſed diruptis & mutilis, refertam; quæ cym- «
ba in inſulam navigabat: ibidemque labrum ex marmore gra- «
nito. Et vera certe referebat ille: nam Paulus III. labrum ex «
granito reperit, quod in ejus Palatio reſtauratum ſuſpicimus. «
Labrum porro alterum ipſi ſimile Paulus II. ab Antoniniana «
extulerat in plateam S. Marci. Sub hæc Cardinalis Farneſius «
ipſum in plateam ſuam advehi juſſit, ut par cum pari conſiſte- «
ret. Ambo igitur in Antoniniana fuerant. At cymba quorſum «
abierit ignoratur. Nec dubitandum, ipſam, cum diu navigaſſet «
in aqua, in furno calcario navigandi finem feciſſe. Ibidem re- «
pertæ ſunt duæ illæ Herculis ſtatuæ, quæ jam in impluvio Far- «
neſiano erectæ ſuſpiciuntur; indidemque columnam grandem «
ex marmore granito eduxit Dux Coſmas, advexitque Floren- «
tiam ad plateam S. Laurentii: erectamque quo loco victoriæ «
de Petro Strozzio reportatæ nuntium accepit, in memoriam «
bene geſtæ rei, victoriæ porphyreticæ typo exornavit. «

Verisimile est Antoninum Caracallam, in memoriam victoriæ Britannicæ, qualis in ejus nummis exprimitur, in Thermis suis hoc fabrile opus confecisse, insulâque illâ marmoreâ Britanniam expressisse, ad quam ut navibus appulsum est, cymba istuc cursum dirigens repræsentabatur. Hic monere juvat thermas Antoninianas, plerumque Antonianas a Flaminio & aliis, demtâ syllabâ, nuncupari. Quod vitium non hodiernum est; inscriptio quippe antiqua, de qua superius actum p. 149. ANTONIANA, demtâ pariter syllabâ, præfert; videlicet, tædio repetitæ syllabæ NI, quæ ingratum edit sonum, ademtâ alterâ, nomen detruncari vel antiquitus impetratum a consuetudine fuit.

CAPUT XIX.

DIES DECIMA SEXTA. De columna & foro Trajani nova quædam. Germana ejusdem columnæ inscriptio. Peristylium interius fori Trajani. Monumenta antiqua recens eruta. Sepulcrum familiæ Cæsenniæ singulare. De templo boni Eventûs. De thermis Agrippæ & de hypocaustis subterraneis. De circo Flaminio. Castor & Pollux cum equis ubi reperti. De porticu Octaviæ. DIES DECIMA SEPTIMA. Semo Sancus. Singularia effossa ad portam Portuensem. Ecclesia S. Mariæ Transtiberinæ. Epitaphium Quotvultdei effossum. Labrum insigne. DIES DECIMA OCTAVA. Jani aræ frequentes ad portam Aureliam. Insignia epitaphia ibidem.

DECIMA SEXTA DIE initium ducatur a columna Trajana, quam Senatus populusque Romanus victoriis ejusdem Augusti insculptam undique, erexit. Interiori cochlearia scala in fastigium ascenditur, ubi olim statua Trajani urnaque cinerum ejusdem, queis subductis substituta fuit statua S. Petri Apostoli. Hæc trita. Sed nova præclaraque recenset insignis sculptor.

Flaminius Vacca. Memini proxime columnam Tra- «
janam, ad locum qui jam dicitur *Spoglia Chriſto*, effoſſa fuiſſe «
veſtigia arcûs triumphalis, cum multis ſculptis hiſtoriis, quæ «
jam in ædibus D. Proſperi Boccapaduli, tunc regionis præfe- «
cti, ſervantur. Ibi Trajanus eques fluvium trajiciens, & cap- «
tivi ducebantur iis ſimiles qui in arcu Conſtantini, eodem ſcul- «
pturæ modo, comparent. Reque diligenter explorata com- «
peri & certum habeo, eadem quâ columna illa artificis manu «
concinnata fuiſſe. Æſtimoque circa columnam majorem fuiſſe «
columnationem quadram; ita ut ſingulæ quadrati facies arcum «
haberent. Liquidum eſt Conſtantini arcum aliunde exporta- «
tum fuiſſe: nam ſculpturæ ad baſin, quæ Conſtantino Impe- «
ratore adornatæ ſunt, Conſtantiniani ſæculi barbariem olent. «
Neque vereor adfirmare arcum Conſtantini aliquem eſſe ex «
quatuor iſtis arcubus. Quod ſane ideo conſpicuum eſt, quia «
ſculpturæ ſublimiores quod ad hiſtorias ſpectat, eâdem ſunt «
quâ columna ipſa Trajana, manu elaboratæ. Et ſane Trajani «
effigies, hiſtoriæque in arcu repræſentatæ, ad Trajani geſta «
pertinent. Neque mirum eſt baſin, quæ facta de integro fuit, «
quæque ſolo vicinior, plus læſam igne fuiſſe. Quamobrem cum «
neceſſe fuerit partes inferiores de integro ſculpere ut arcus «
Conſtantino excitaretur, imperitis illius ævi artificibus hæc tra- «
dita provincia eſt. «

Quæ hîc de Trajani foro Flaminius habet, ſcite obſervata ſunt: nam quod ait ex foro Trajani in arcum Conſtantini ornamenta & anaglypha, quæ aureum ſculptoriæ artis ſæculum præferunt, exportata & operi admota fuiſſe; id jamdiu multi ſuſpicati ſunt, quorum ille ſententiam, quia manum artificum internoſcere tot annorum uſu valebat, probe aſſerit. Quæ vero de quatuor arcubus & appoſitis in foro Trajano utrinque columnationibus narrat ipſe, ſi quidem vera ſunt, ut probabiliter æſtimatur; fuerint ſingula fori latera eo ſtructa ritu atque forma a quatuor lateribus, qua videmus forum Trajani in numiſmatibus repræſentatum: etſi unum ibi dumtaxat extimumque fori latus, quia alio modo non poterat, exhibeatur. Palam autem eſt in anaglyphis iſtis atque in ipſa columna, Trajani expeditiones, bella, trajectiones fluminum, victorias, aliaque ipſius militaria geſta, fuiſſe a peritiſſimis artificibus in anaglyphis expreſſa. De columna Trajana, nihil non notum ſuccur-

rit recenſendum. Inſcriptionem autem ejus infimâ lineâ detritam multi reſtituere conati, in varias diverterunt opiniones. Ego vero æſtimo germanam lectionem eſſe quæ ab Anonymo IX. ſæculi ſæpius laudato adfertur: quo tempore, ut quidem credere eſt, integra illa perſeverabat. Sic autem habet ille:

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CÆSARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P.
AD DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT. EGESTVS

Hodie poſtrema verba, rupto marmoris fruſto, ſic mutila ſunt, TAN......... BVS SIT EGESTVS. quæ alii ſic reſtaurant TANTIS RVDERIBVS; alii TANTIS OPIBVS; alii TANTIS EX COLLIBVS; alii, TANTIS MOLIBVS; alii demum ut Marlianus veram attigere lectionem, TANTIS OPERIBVS. Nemo enim arbitretur Anonymum noni ſæculi conjecturis inſcriptionem reſtituiſſe, ſed qualem ſuo tempore legebatur integram intactamque exaraſſe.

» FLAMINIUS VACCA. Joannes Georgius Cæſarinus, » cujus alibi in ſchedis hiſce mentio, columnam emit grandem » ex marmore *Cipollino*, quæ ſtabat adhuc erecta in foro Trajano in ædibus Sebaſtiani *Piglia l'Arme*, ipſamque magno peculio eductam advexit in hortum ſuum proxime S. Petrum in » vinculis: quam ibidem, ligato ad columnæ pedem urſo, impoſitâque faſtigio aquilâ, iſthæc enim inſignia ejus ſunt, erigere » in animo habuit. Verum ipſo morte præoccupato, interceptum » tam bellum conſilium fuit.

Marmor vernaculo idiomate *cipollino*, vel *ſipollino* nuncupatum, Romæque non infrequens, hujuſmodi eſt, ut fractum ceu in ſquamas & folia abeat, quaſi cæpe, hinc *Cipollino* dictum: eſtque album, ſed maculoſum, nec tanti pretii.

» FLAMINIUS VACCA. Cum in platea columnæ Trajanæ nuper domûs cujuſdam fundamenta ponerent, detecta fuit » antiqua platea ſtrata marmoribus, & fruſtis flavi marmoris, » quæ æſtimo variis ordinibus belle compoſita & coagmentata

fuisse. Nihil non exspectandum erat ex magnificentia Trajani. «
Dum autem cellæ vinariæ conficiendæ terram excavarent, inciderunt in tria columnarum fragmenta ex marmore statuali, quinque palmorum diametro. Trunci porro columnarum tredecim palmorum longitudine erant. Hæ columnæ circum Trajani forum peristylium constituebant : in medioque fori erat columna immanis illa, Trajana dicta, historiis insculpta. «

Columnæ diametro quinque palmorum, id est, pedum trium & quatuor pollicum, si quidem ordine Corinthio sint, ut erant illæ Trajani fori, quinquaginta palmorum, sive triginta quatuor pedum sublimitate fuerint oportet; quæ columnæ uno saxo singulæ erant & columnationi interiori fori usui erant.

E vicino sunt ædes S. Marci a Paulo II. structæ, ubi commorantur Reipublicæ Venetæ Oratores. Iis adjuncta ecclesia antiquissima est, plateaque S. Marci dicta. Ibidem in ædibus Eminentissimi Cardinalis Bullonii, insignia veterum monumenta, vidimus, in portu Tiberino nuper effossa. In iis statuæ binæ prægrandes, alia Senatoris cujusdam, ut ex cultu notum; alia uxoris ejusdem, vestimentis ævi sui exornatæ, inaures gestantis aureas, in quarum altera Jovis, in altera vero Junonis effigies. Pueruli item eorum filii inerat statua affabre scalpta. Urnæque binæ cineritiæ, ollarum instar, unius atque dimidii circiter pedis altitudine, ramis atque frondibus circum insculptæ. Ad hæc sepulcra familiæ Cæsenniæ, cum inscriptionibus bene multis. Singula hîc ordine, qualia mihi a D. de Serte viro nobili, transmissa sunt, consignare visum.

Sepulcrum marmoreum palmis duobus, atque uncia una oblongum, altum duobus palmis totidemque unciis, in cujus extremis utrinque pueri singuli faculas gestantes: in medio sequens epitaphium legitur.

I

D. M.
CAESENNIA NY
MPHICE CAESENNIO
ITALICO FILIO B. M.
FECIT QVI VIX. AN.
XXVII. M. VI. D XXVIII

Sepulcrum aliud, ſive urna grandior, novem palmorum longitudine, altitudine vero duorum, in cujus extremis capita bubula pendulis hinc & inde ſertis. Ab altero minori latere ſcyphus, ab altero patera, quæ ſymbola in tumulis frequentia. Epitaphium ſic habet:

2.

D. M.
CAESENNIAE GALENES
M. D.
ITALICVS. F

Urna item marmorea, longitudine decem, altitudine duorum palmorum cum inſcriptione ſequenti.

3.

D. M.
L. FABRICI. L. F. PAL
CAESENNI. GALLI. EQ. ROM
PONTIF. L. L. SCRIB. AEDILIC.
OMNIBVS HONOR IN COST. F.
ITALICVS. P. DIGNISSIMO

Urna alia quæ marmoreâ tabulâ occludebatur.

4.

D. M.
L. CAESENNI
CRESCENTIS
MEDICI Q. VIX. AN
XXX

In alia urna.

5.

DIS
MANIBVS
CAESENNIAE
EROTIDIS
A. CAESENNIVS
HERMA
ARAM. ET STATVAS FECIT
SIBI ET CONIVGI SVAE DE SE
BENEMERENTI

In alia.

6.

A. CAESENNIO
HERMAE

In alia.

7.

A. CAESENNIVS GALLI
HERMA
A CAESENNIVS ITALICVS
CAESENNIA L. L. EROTIS VXOR
FECERVNT SIBI
LIB. LIBERT. POSTERISQ. EORVM
SEPVLCRVM MACEREIS CIRCVMCLVSVM
IN FR. P. CCC. IN AGRO P. XCVI
Q. F. IVG

Prima lectu facilis est; in secunda M. D. lege: *Matri dulcissimæ Italicus fecit.* Quartam sic lego: *Dis manibus Lucii Fabricii*

Lucii filii Palatini, Cæsennii Galli equitis Romani, Pontificis, Lucii Liberti, scribæ ædilicii, omnibus honorati, in costa fecit Italicus patri dulcissimo. Negotium facit illud, *Lucii Liberti*; non modo enim Pontificis munus liberto non convenit, sed etiam scribæ ædilicii officium libertis non competere pugnat Fabretus de Inscriptionibus. Hunc nodum aliis solvendum mittimus. *In costa fecit*, id est, a latere monumenti: *in coxa* alias legitur, id est, interprete eodem Fabretto, in angulo. In quinta aræ sepulcralis & statuarum mentio. Hincque edidicimus statuas superius memoratas, Cæsennii Hermæ & Cæsenniæ Erotidis esse. In septimæ postremis lineis: *Sepulcrum macereis circumclusum in fronte pedes trecentos: in agro pedes sex & nonaginta, qui faciunt jugerum*, id est, trecentis pedibus longum, nonaginta sexque latum. Quanta amplitudine nullum vidimus sepulcrum.

Eodem loco singularis pulcritudinis marmora, variis vividisque coloribus distincta, eruta sunt. Effossus ibidem est annulus aureus insertam habens corneolam insculptam lupercali aut Bacchanali nudo, columnæ innixo, flagellum manu tenenti.

Haud procul sita est ecclesia Jesu, qua ornatior altera Romæ non habetur. Ibi capella S. Ignatii recèns structa infinitis splendet ornamentis, ut vix similis in Urbe compareat; cujus descriptionem aliis pro more nostro mittimus. In ædibus Alterianis proxime sitis bibliotheca videtur libris instructissima, atque etiam mauscriptis non paucis, quorum nullam excerpsimus notitiam. Inde venitur in Cæsarinas ædes, in quarum vicinia quædam eruta recenset sculptor præclarus.

» FLAMINIUS VACCA. Pone ædes Juliani Cæsarini tem-
» plum vidi antiquum, rotundâ formâ, columnis ex peperino
» fultum, quas æstimo marmorario cœmento obductas fuisse.
» Adsunt adhuc muri prægrandes, ex quadris saxis peperinis con-
» fecti: specimen sane perampli ædificii. In vicinis porro cellis
» vinariis compluribus, ejusdem ædificii series comperitur. Opinor
» neminem auctorem hæc commemorare; quod ideo fortasse
» evenerit, quia domibus obtectum ædificium, in conspectum
» non cadit. Quoquo modo sit, res est observatu digna.

Quid si dicatur templum de quo Flaminius, fuisse boni Eventus proxime thermas Agrippæ, de cujus situ hactenus disputatum est. Locus certe apprime consentit: etsi, ut pedetentim in hisce procedendum, nihil ausim decernere. Templo boni Eventûs

Eventûs adjuncta erat porticus ampliſſima , cujus hodie ne veſtigium.

Flaminius Vacca. A patre meo Gabriele Vacca « accepi , cum Cardinalis de Valle , ſpe reperiundi theſauri , in « thermis Agrippæ excavare juſſiſſet ; inde erutam fuiſſe coronam « magnam civicam Imperialem , æneam , auro obductam : & « quia ſpeciem quamdam placentæ ferebat , quam tum Romæ « vulgari uſu *Ciambellam* vocabant ; exclamant operæ : *Ecce* « *Ciambellam* , & munuſculi accipiendi cauſa Cardinalem ſubito « adeunt , clamitantque : Incidimus in *Ciambellam* æneam. Elapſo « quodam tempore , caupo quidam hoc loco *Ciambellæ* inſigne « poſuit ; quo factum ut *Ciambellæ* nomen vicus retineret. «

Hunc Flaminii locum Martinellus in *Roma ricercata* adtulit : cæteraque exquiſitiora reliquit , & iis quæ Pompeii ſtatuam ſpectabant ſolùm adjectis ; reliquas omnes hactenus intactas Flaminii obſervationes prætermiſit.

Flaminius Vacca. Ædes quas jam incolo , ſtructæ « ſunt ad memoratas Thermas : cumque excitando parieti ſolum « explorarem , aquam reperi : & cùm palo ferreo terram con- « tingere vellem , in marmoream molem incidi , ulteriuſque ri- « mando , ut quid id eſſet perſpectum mihi foret , manu contre- « ctando capitellum Corinthium internoſcens , a cornu capi- « telli ad zophorum uſque deveni , ac deprehendi eſſe altitu- « dine palmorum quatuor , ſimileque iis quæ in porticu Pantheo- « nis comparent. Et quia mihi aqua impedimento erat, miſi con- « ſilium ſtruendi. Ibidem cum cellam vinariam adornarem , in- « cidi in ſtruem , canalibus bene multis , qui lateritiis ex tabu- « lis confecti erant , perforatam. Hi haud dubie deducendæ in « hypocauſta aquæ calidæ uſui erant. Subtuſque reperi pavimen- « tum olim permeandis ſubterraneis hujuſmodi ab antiquis uſur- « patum , tabellis marmoreis ab utroque latere veſtitum , ſubje- « ctumque pavimentum firmiſſime ſtructum , pilis bene multis ful- « tum erat. Inter binas autem pilas ignis olim ſupponebatur , ibi- « demque in cineres & carbones incidimus. Vacuum itidem « grande inveni , veſtitum plumbeis laminis , quæ clavis æneis « fixæ erant , columnas item ex granito marmore mediocris al- « titudinis deprehendi. Tuncque demum ſtructo muro deſtiti ab « ulteriori perquiſitione. «

» Sub arcu noſtro voluit pater meus cellam vinariam ædifica-
» re , inciditque in fragmenta multa coronidum , quorum unum
» longitudine palmorum tredecim , laditudine octo , lithurgo
» vendidit, qui illo eſt uſus pro ſepulcrali tabula Melphitani Du-
» cis, quæ in eccleſia *del popolo* conſpicitur.

» Recordor Victorios cum ædium ſuarum fundamenta jacere
» vellent , inveniſſe ſcalam grandem , qua ad thermas Agrippæ
» adſcenſus erat. Hujus gradus marmorei multum obeſi ac detri-
» ti erant. Haud dubie hic aditus thermarum præcipuus erat.
» Tanta fuit porro ſcaturientium aquarum copia, ut nihil ulterius
» rimantes fundamenta ponerent.

Inſignia de thermis Agrippæ nobis hic aperit Flaminius , & vaporarium ſive hypocauſtum deſcribit quale a Dione atque Plinio recenſetur. Prior lib. LIII. ſic habet : *Agrippa vaporarium Laconicum fecit. Laconicum autem dicitur id genus balnei , quoniam hic tum nudari corpora , tum inungi oleo præcipue videbantur.* Plinius vero l. xxxv. cap. IV. *In Thermarum quoque calidiſſima parte marmoribus incluſerat parvas tabellas , paulo antequam reficerentur ſublatas.* Vaporarii porro illius Laconici formam exprimit Flaminius , cum ait pavimentum firmiſſimum pilis ſuſtentatum fuiſſe ; ita ut inter pilas hujuſmodi , ignis pavimento & hypocauſto calefaciendo ſubjiceretur ; id autem vaporarium, perinde atque Plinius, marmoribus veſtitum narrat. Columnis ornatas thermas, eadem quâ porticus Pantheonis capitellorum formâ Flaminio narrante diſcimus. Scalam autem ita detritam uſu fuiſſe nihil mirum , quia thermas haſce , quæ priùs privatæ fuerant, teſtamento ſuo publicas fecit Agrippa.

Hinc luſtratâ S. Caroli *in Catinari* eccleſiâ, cujus ornamenta notiſſima , itur in Matthæias ædes, ſtatuis, anaglyphis , marmoreiſque mediis ſtatuis , elegantiâ ſingulari cælatis, refertas. Ad iſtas uſque ædes pertingebat circus Flaminius , qui regioni ſuæ nomen indiderat : ejuſque, ineunte ſæculo XVI. veſtigia , Fulvio ac Ligorio narrantibus, ſupererant , necnon gradus ſpectanti populo deſtinati. Ibidem erat templum Neptuni , ut iiſdem in locis deprehenſa inſcriptio teſtificabatur , quam quia Nardinus mendoſe adtulit , hic ſanam damus.

ABSCANTO AVGVSTI LIB.
AEDITVO AEDIS

NEPTVNI QVAE EST IN CIRCO
FLAMINII
FLAVIVS ASCANIVS ET PALLANS
CAES. N. SERVVS ADIVTORA
RATIONIB
PATRI PIISSIMO FEC

Haud procul verſus Tiberim, occurrit theatrum Marcelli ab Auguſto excitatum, jamque in ædes Sabellorum commutatum, ita ut theatri magnificum hodieque ſpecimen ſuperſit. Eratque duobus columnarum ordinibus inſtructum, Dorico ſcilicet & Ionico: & quod obſervatu dignum, Doricæ columnæ nulla baſi fultæ in plano erigebantur. Theatrum perinde atque alia hemicyclus erat, ſive medius circulus undique clauſus: Amphitheatra vero, rotunda foris, intus ovata, ut habet Theodoricus rex epiſt. 42. apud Caſſiodorum: *Cum theatrum, quod eſt hæmiſphærium, Græcè dicatur; amphitheatrum, quaſi in unum juncta duo viſoria conſtat eſſe nominatum: ovi ſpecie ejus arenam concludens, ut concurrentibus aptum daretur ſpatium, & ſpectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixa rotunditas univerſa collegerat.* In ædibus Sabellianis C. Popilii equitis, cui Sabello cognomen, erecta ſtatua conſpicitur, a quo unâ, ut credere eſt, ducti nominis ſimilitudine, originem derivant Sabelli.

E vicino Judæorum ſedes ſunt, pro numero populi anguſtis limitibus circumſcriptæ. Ii, ut habet Anonymus mox edendus, XIII. ſæculo ad pontem Ælium, hodie S. Angeli, habitabant.

FLAMINIUS VACCA. Memini proxime Tiberim, quo «
jam loco Ebræorum ſynagoga conſiſtit, tempore Pii IV. eru- «
tos fuiſſe gigantes duos, qui ſinguli ſingulos equos manu du- «
cunt: ii advecti in Capitolium, jam in ſummo ſcalæ ad ex- «
tremum plateæ erecti ſunt. Erant qui dicerent eſſe duos Pom- «
peios; alii quia petaſos, dimidii ovi formam habentes, in ca- «
pite geſtant, Caſtorem & Pollucem eſſe putabant; alii aliud «
arbitrabantur. Verum artifex mediocris peritiæ fuit, qui vitæ «
animique nihil in figuris expreſſit. «

Porticus Octaviæ, ut in fragmentis veſtigii veteris Romæ, ingens ſpatium occupabat, complectebaturque ædes Jovis & Junonis. Prima ædes memoratur ſupra ad fragmentum Anonymi

ab Mabilonio noſtro editi, eratque peripteros, alia vero nullam in circuitu porticum habebat. Ejuſdem porticùs veſtigia quædam ſuperſunt prope S. Gallam ſive S. Mariam in Porticu, quam æſtimabat Andreas Bufalinus, a Petro Bellorio allatus, eſſe Junonis ædem. Eccleſiam vero S. Nicolai in Carcere ædem Jovis eſſe arbitrabatur. In utraque æde proprii numinis, Jovis ſcilicet & Junonis, elegans ſtatua erat. Sic Plinius l. 36. c. 5. *Intra Octaviæ vero porticum in æde Junonis ipſam deam Dionyſius & Polycles; aliam Venerem eodem loco Philippus, cætera ſigna Praxiteles. Item Polycles & Dionyſius Timarchidis filii Jovem, qui eſt in proxima æde, fecerunt.* Porticum Octaviæ contingebat ædes Herculis Muſarum, ideo ipſa porticus, Octaviæ & Herculis vocatur in memorato veſtigio.

DECIMA SEPTIMA DIE a ponte Fabricio, jam *di quatro capi* dicto, tranſmittitur in Tiberinam inſulam, quæ olim Meſopotamia a decurrentibus hinc & inde fluminis ramis vocitabatur. Ibi non pauca obſervatu digna conſulto, quia paſſim feruntur, prætermittimus. In horto Franciſcanorum S. Bartholomæi hodieque erecta conſpicitur famoſa illa inſcriptio, SIMONI SANCO DEO FIDIO, &c. in marmore trium pedum ſublimitate, unius latitudine: cujuſmodi lapides, cippos olim vocatos novimus. Eam inſcriptionem putant nonnulli fucum feciſſe S. Juſtino Martyri, qui hæc de Simone mago in eadem inſula legiſſe ſe commemorat. De S. Cæciliæ eccleſia, quæ poſt trajectum alterum fluminis ramum ad Tranſtiberinam regionem in primis occurrit, & multis nominibus ſpectabilis eſt, nihil niſi vulgare ſuppetit adferendum.

Haud longe diſtat porta, Portuenſis dicta, quia ad portum Romanum ducit, in cujus vicinia non pauca eruta memorat ſculptor noſter.

» FLAMINIUS VACCA. E regione Cæſarinæ ſupra me-
» moratæ (p. 167.) ad ripam Tiberis, eſt porta Portuenſis, ita
» nuncupata quia iſtac iter eſt ad Portum Romanum; ibidem ſita
» eſt vinea Victoriorum, ubi memoriâ meâ detectæ ſunt ſtatuæ
» bene multæ, & capita philoſophorum atque Imperatorum,
» quæ duabus in cameris diviſis, alteraque alteri a dorſo hæren-
» tibus ſervabantur. Deprehenſa quoque ſunt ibidem multa ſcul-
» ptorum inſtrumenta. Puto iſtuc advectas fuiſſe ſtatuas, ad con-
» cinnanda aliiſque uſibus aptanda; imo potius deturpanda hæc

ſculptoriæ artis opera : ac deinceps intercedente quodam pontificio edicto, denuo ſuffoſſa fuiſſe. Horum magna pars jam exſtat in ædibus Victoriorum ; ſed Cardinalis Farneſius elegantiora ſibi ſelegit.

FLAMINIUS VACCA. Quingentis a memorata porta paſſibus, in vinca Antonii Velli, Paſquinus etiam tunc impoſitus baſi ex topho, deprehenſus eſt. Non æſtimo tamen iſtic antiquitùs fuiſſe, cum nulla alia ibidem antiquitatis veſtigia compareant. Sed quum primùm vineam iſtam conſererent, quia Paſquinus ab umbilico eminebat è terra, moleſtiamque inſerentibus adferebat, ab iiſdem ruſticis ligone marraque medius diruptus eſt. Sed gladiator qui in manibus ipſius efflat animam, quia totus extra terram in ſolo erat, ſalvus evaſit & integer. Cum autem Dux Ferdinandus Romam, acceptum magni Ducis coronam venit, multa monumenta diligenter inſpexit, & Paſquinum iſtum diligentius exploratum quingentis nummis emit. Is jam Florentiæ exſtat, ſocius alterius hujuſmodi, quem coemit a Paulo Antonio Soderino : is fuerat in Mauſoleo Auguſti detectus.

Paſquinos vocat Flaminius, uti quidem ex narrandi modo æſtimatur, ſtatuas quæ Paſquinum illum famoſum prope Navonam plateam ſitum, referebant. Eratque Paſquinus ille decantatus, ut in trunco multis partibus mutilo internoſci poteſt, ſtatua militis cujuſdam, quæ peritam fabri manum præfert.

Memini extra memoratam portam, duobus circiter ab Urbe milliaribus, in loco jam *Fogalaſina* dicto verſus Tiberim, tempore Gregorii XIII. in cannis, inventos fuiſſe Conſules multos marmoreos cum baſibus ſuis & inſcriptionibus. Inerant item columnæ longitudine triginta palmorum ex marmore gentili, quæ exſectæ, & Capellæ Gregorianæ adornandæ uſui fuere ; Conſules, qui a mediocribus artificibus elaborati, in locis variis per Urbem ſparſi conſpiciuntur.

Alia bene multa in Tranſtiberina regione, inſpectu digna ſunt, quæ nos ipſa die viſimus ; eccleſiæ videlicet S. Chryſogoni, S. Franciſci de Ripa, SS. Coſmæ & Damiani, quæ pro more noſtro, quia plerumque deſcripta, mittimus. Deinde conſcenditur in eccleſiam S. Petri in Montorio, ubi tabella Transfigurationis, præſtantiſſimi pictorum Raphaelis Urbinatis præſtantiſſimum opus, omnium exterorum pariter & incolarum

aditu frequentatum, neminique non notum, ut & cætera ecclesiæ ornamenta, quæ vulgata plerumque fuere.

Ad pedem collis conspicitur ecclesia B. Mariæ Transtiberinæ antiquissima, quo loco tempore ortûs Domini fons olei scaturiisse, & usque ad Tiberim manasse fertur, ut memorat inscriptio in fornice posita:

In hac prima Dei matris æde
Taberna olim meritoria
Olei fons e solo erumpens
Christi ortum portendit.

Ibidem nuperrime eruta fuit inscriptio sepulcralis, a viro amiciss. Justo Fontanino transmissa mihi, sicque habet, nullis emaculata mendis:

HIC REQVIESCET QVODVVLTDEVS HO
NESTE RECORDATIONES VIR QVI VIC
XIT ANNOS LVI. DEPOSITVS IN PACE
DIE V. IDVS OCTOBRES CONSS DD NN
ARCADIO AVG QVATER ET HONO
...O AVG TER CONSVLIBVS

Epitaphium ex consulatûs nota, anno Christi 396. editum deprehenditur. Illo ævo non pauci erant, qui piis sententiolis nomina propria concinnarent: v. g. *Quodvultdeus*, *Deogratias*, *Habetdeum*, *Adeodatus.* Observatur hic repetitio vocis *Conss.* quæ in fine inscriptionis iterum exprimitur integra, *Consulibus.* Illud item *ter* & *quater* a primæva illa Latinæ linguæ elegantia abhorret: nam ter & quater Consul, in numismatibus & inscriptionibus primævæ illius ætatis vulgo non exprimit præsentem consulatum; sed tertiùm & quartùm Consul dicitur.

Hæret ecclesiæ S. M. Transtiberinæ cœnobium S. Callixti nostrorum Cassiniensium, ubi degit vir nobis amiciss. del Miro, eruditione & Græcæ linguæ peritiâ clarus, Bibliothecæ Vaticanæ custos alter. In sacello quodam puteus exstat, in quem projectum narrant S. Callixtum papam.

In reditu, proxime pontem Sixti, occurrit ecclesia S. Joannis de Malva, ubi effossum ingens labrum narrat Flaminius Vacca.

„ Trajecto ponte Sixti, in Transtiberinis partibus, ubi sita est
„ ecclesia sancti Joannis de Malva, memoriâ meâ erutum fuit la-

brum immane bellissimum, ex marmore nigricante Africano, " viginti circiter palmorum longitudine. Magnus porro Dux Hetruriæ Ferdinandus, qui tunc temporis Romæ Cardinalis erat, " labrum emit, & in hortum suum ad Trinitatem in monte Pincio advehi jussit. Quia vero labrum ab ima parte spississimum " erat, auctor fui Domino Cardinali ut duas inde tabulas exscindi curaret: morem ille mihi gessit. Tabulæque illæ immanis latitudinis etiam nunc in eodem horto suspiciuntur. "

DIE XVIII. Janiculum petimus & portam Aureliam. Janiculi nomen a Jano manasse fertur, unde in eodem monte nec procul Aureliâ portâ, duodecim aræ Jano dicatæ erant; istisque item in partibus Janus Septimianus exstabat olim. Via Aurelia sepulcris insignibus frequentata erat, quæ jam omnia sublata. Villæ plurimæ ibidem occurrunt; in iis Corsinia, ubi epitaphiorum vis magna, dum Romæ versarer, effossa est. Huic vicina Pamphilia, & amplitudine, & statuarum frequentia, picturarumque pulcritudine nobilitata; sed isthæc, utpote nemini non nota, de more prætermittuntur. E vicino ecclesia S. Pancratii Martyris, olim Benedictinorum, jam Carmelitanis nudipedibus cessit. Istic cœmeterium Calepodii, cujus difficilis jam aditus; nam decidente terra obruti meatus multi sunt: non omnes tamen interclusi, & qui adiri possunt, altitudine conspicui, ac instar Neapolitani cœmeterii, semitas aliis profundiores, camerellis passim instructas, habent; atque ita subterranea subterraneis imposita sunt.

FLAMINIUS VACCA. Extra portam S. Pancratii, in vinea Antonii Gallesii, vidi sepulcra bene multa marmorea cum " epitaphiis, quorum unum hæc solummodo verba præferabat: " AETERNALI SOMNO: in alio sic legebatur: IN TEMPORE QUOD NON COMBURITUR. At puto istæc visa fuisse a D. Petro Leone Castello, qui, utpote peritus, opportunam iis interpretationem aptaverit. "

Inscriptiones aliæ quædam a Raphaele Fabretto editæ, hæc præferunt: *Somno æternali*; præmissis nonnumquam litteris D. M. *Dis manibus*, aliquando omissis. Alteri epitaphio, *In tempore quod non comburitur*, nescio an uspiam simile repertum.

Eadem die ædes permultas in Transtiberina regione inspeximus, quæ elegantiâ & ornamentis cujusvis generis exteros omnes ad sui spectaculum evocant, in Romanis hodiernis recensionibus fuse minutatimque descriptæ.

CAPUT XX.

DIES XIX. & XX. Moles Hadrianæa. De ſeptem mundi mirabilibus commutatis. Inſcriptio in domo Raphaelis Fabretti reſtituta. De Vaticani nominis origine. Mauſoleum Reginæ cujuſdam inſigne. Bibliotheca Vaticana. De Bibliis antiquis ejuſdem. De codice Virgilii olim S. Dionyſii in Francia. Statuæ pontificiæ elegantes. De variis Urbis deſcriptionibus, & de ratione conficiendæ accuratioris. Anonymi opuſculum de Mirabilibus Romæ, & notæ quædam.

DIES XIX. & XX viſendis Leoninæ urbis monumentis, Vaticano templo, Palatio, Bibliothecæ inſumimus. Trajecto Ælio ponte, qui jam S. Angeli dicitur, occurrit arx illa celebris S. Angeli in mole Hadrianæa, quæ jam ſuis omnibus, queis ſplendebat olim, ornamentis ſpoliata, turris ampliſſimæ formam retinet. Eo ſepulcro par in Urbe nullum, quando ſcilicet columnis, ſtatuis, anaglyphis, aliiſque omnis generis ornatibus fulgebat, faſtigiatum variis columnationum ordinibus; nullique Romano ædificio magnificentià concedebat, unum ſi forte excipias Capitolium, quod inter ſeptem orbis mirabilia medio ævo cenſebatur, ut in codice Græco XIII. ſæculi in bibliotheca viri clariſſ. & amiciſſ. Baluzii legitur. Ibi enim ſeptem orbis mirabilia hoc numerantur ritu. 1. Thebæ Ægyptiacæ. 2. Babylonis mœnia. 3. Mauſoléum. 4. Pyramides. 5. Coloſſus Rhodius, quem quidam (ſic ibidem) aiunt columnam æneam eſſe 600. cubitorum. 6. Capitolium Romanum. 7. Templum Hadriani Cyzicenum. Ubi pro Pharo Alexandrino, templo Jovis Olympii, templo item Dianæ Epheſinæ, quæ primitùs inter ſeptem orbis mirablia locum habuerant, ſubſtituta videmus alia; videlicet Thebas Ægyptiacas, Capitolium & templum Hadriani Cyzicenum. Neque potuit a deletis ac ſolo æquatis priſcis aliquot monumentis, mutationis hujuſmodi occaſio oboriri, quando Thebas Ægyptiacas, quarum excidium diu

diu aliorum, quæ inter mundi mirabilia prisce accensebantur, ruinam præverterat, substitutas illorum loco videmus. Sed mutandi ratio non una fuit: nam Thebæ Ægyptiacæ, quæ primas tenent in Baluziano codice, ex opinione quadam quod eæ, utpote præstantiores aliis quæ inter miracula orbis numerabantur, inconsiderate prætermissæ fuissent, inductæ sunt & primo loco positæ. Capitolium, quia certatim Augustorum, longa serie, ornamentis variis decoratum, ditatumque fuit, priscorum tandem orbis miraculorum multa superavit; itidemque templum Hadrianéum, alia quædam a septeno illo numero deturbavit.

Eodem itinere, quà itur ad S. Petrum Vaticanum, ad dexteram occurrit ecclesia S. Mariæ Transpontinæ, ut vocant, estque Carmelitanorum. Istic degit R. P. Franciscus Latenæus Tolosas, doctrinâ atque sacræ Theologiæ peritiâ cum primis celebris.

E vicino sedes habuit Raphael Fabrettus, rei antiquariæ ætate sua Romæ princeps. Huic, cum jam in studio bonisque artibus consenuisset, quadam necessitudine junctus sum: at seram amicitiam invida mors oppressit. Habebat ille domi veterum monumenta non pauca, incisas gemmas, lapides, inscriptiones. In iis quædam inscriptio Græca inversa, muro adfixa, quam aliena usus manu & opera vir doctus, Latine versam in libro suo de Inscriptionibus edidit: sed vitiatam, neque ita commode explicatam. Hîc nos sartam & purgatam adferimus.

ΜΗΝΟΦΙΛΟΝ ΤΑΦΟC ΟΥΤΟC ΕΧΕΙ ΠΟΛΥΠΕΝΘΕΑ
ΠΑΙΔΑ ΟΝ ΧΑΡΙΤωΝ ΤΡΙCCωΝ ΠΑΝΕΠΗΡΑΤΟΝ ΕΙΔΟC
ΕΧΟΝΤΑ ΑΙΝΟΤΟΚΩΝ ΕωΝ ΦΘΟΝΟC ΗΡΠΑCΕ
ΝΟΝ ΚΑΘΟΡΑΤΕ ΟΚΤΩ ΜΟΝΟΙC ΕΤΕCΙΝ
ΒΕΒΙωΚΟΤΑ ΜΗCΙΤΕ ΠΕΝΤΕ.

Hæc quatuor hexametra sic in lapide distributa sunt. In secunda vero linea ΠΡΙCCωΝ habetur in edito, & ex conjectura restituitur *χρεῖσσον*. Sed neutra lectio germana: palam enim est ΤΡΙCCωΝ esse legendum, *trinarum* scilicet, sive, *trium gratiarum.* Ibidem ΠΑΝΕΠΗΡΑCΤΟΝ legitur, quod aperte vitium præfert, nam metri rationem tollit, restituendumque ΠΑΝΕΠΗΡΑΤΟΝ, quæ vox apud Græcos poetas non infrequens. Hæc

autem AINOTOKωN EωN ΦΘΟΝΟC ΗΡΠΑCΕΝ, inauſpicatò verſa ſunt: *Malignorum parentum invidia rapuit.* Nam, ut liquidum, hæc eſt ſententia: *Infelicibus parentibus ſors invida rapuit.*

Menophilum ſepulcrum hoc continet, multis lacrymis deplorandum puerum: quem gratiarum trium amabiliſſimâ formâ præditum infelicibus ſuis parentibus invida ſors rapuit. Quem cernitis, qui annis tantùm octo vixit & menſibus quinque.

τριασὸς *tertius* & *trinus* etiam ſignificat: & hac poſtrema ſententia διασὸς etiam *binus* explicatur in lapide illuſtriſſimi Marchionis de Maximis.

Ὤχετο δ' ἐν νεκύεσσι λιπὼν πατρὶ πένθος ἄληκτον
Διασῆς πληρώσας πεντάδα τῶν συνόδων.

Id eſt:

Abiit autem ad manes relicto patri perpetuo luctu,
Cum expleviſſet duplicis (lunæ) quinas conjunctiones.

διασῆς ſubaudi σελήνης, ideſt, *duorum menſium quinas conjunctiones*, qui vocum circuitus decem menſes exprimit. Inſcriptio ſuperior Menophili ex cœmeterio S. Agnetis educta fuit.

De Vaticanæ hodiernæ eccleſiæ magnificentia, amplitudine, ornamentis a multis actum: ac nuper ſingulares libri hac de re prodierunt; etſi numquam pro merito tanti ædificii, quod miraculum orbis opportune dicatur: ut quantumvis frequenter adeatur, etiamſi quis ſexcenties ſpectandi cauſâ morem repetat, nunquam ſine ſtupore referat pedem. Sed ne actum agamus, ad deſcriptiones quę omnium manibus teruntur, lectorem mittimus. Non perinde nota ſunt quæ ſculptor noſter iiſdem in locis effoſſa narrat.

» FLAMINIUS VACCA. In platea S. Petri ætate mea ef-
» foſſæ ſunt urnæ grandiores ingenti numero; quarum una ha-
» ctenus ſupereſt, jacetque proxime cuſtodiam Helvetiorum.
» Inſculptæque erant urnæ figuris togatis, libros voluminaque ma-
» nu geſtantibus, nec deerant qui ſerta manibus ſuſpenſa tene-
» rent. Iſtic olim ſepultos philoſophos atque poetas cenſeo: nam
» Vaticanus a vatibus derivatur. Strobilus quoque ingens æneus,

eodem loco positus, ut multorum narratu edidici, tunc ad pedem Hadrianéæ molis deprehensus est, cum ecclesia Transpontina vetus instauraretur. Aiuntque strobilum fastigio Hadrianéæ molis olim impositum fuisse.

A. Gellius l. xvi. c. xvii. hæc de Vaticani nomine habet: *Et agrum Vaticanum, & ejusdem agri deum præsidem, appellatum acceperamus a vaticiniis, quæ vi atque instinctu ejus dei in eo agro fieri solita essent. Sed præter hanc causam M. Varro, in libris divinarum, aliam esse tradit illius nominis rationem. Nam sicut Aius, inquit, deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est infima nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia. Quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est: idcirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis.* Ita, ut vulgo fit, in Vaticani nominis origine variatur. Ineptum de more Vaticani etymon adferet mox Anonymus de Mirabilibus Romæ. Nihili porro facimus Flaminii conjecturam de sepultura philosophorum & vatum, unde Vaticani nomen ortum auguratur ille: nam memorata superius poetarum & philosophorum capita, diu post ortum Vaticani nomen sculpta sunt. Strobilus ille æneus auratus ingentis amplitudinis, olim in molis Hadrianéæ fastigio positus; jam in ædibus Vaticanis *Belvedere* dictis suspicitur, cum pavonibus hinc & inde æneis inauratis, ex eadem, ut putatur, Hadrianéa mole eductis.

Flaminius Vacca. In fundamentis S. Petri Vaticani, versus ecclesiam S. Marthæ, memini in profundo cretæ inventa fuisse lignorum frusta, quatuor circiter palmorum longitudine & unius densitate, quorum extrema securi aut aliis ferreis instrumentis excisa fuerant. Quæ sane indicio erant, isthæc humanâ operâ cæsa factaque fuisse; & quidem, ut æstimare licet, antequam arca illa Noæ construeretur. Siquidem ipsa creta, magni diluvii opus, & quasi sedimentum recedentibus aquis relictum est: lignaque illa atque creta ita coaluerant, ut massam unam simul conficere viderentur, neque signum aliquod effossionis antea factæ supererat. Ligna atro colore, petræque instar gravia, imo in lapidem versa erant: audivique reposita jacere in vestiario Pontificio.

Hæc divinando Flaminius; neque satis consultò in antedilu-

vianum tempus hæc cæsa suffossaque ligna rejicit : quasi vero non sat spatii a diluvio ad hæc postrema sæcula effluxerit , ad quaslibet soli mutationes invehendas : cum præsertim superius ipse cloacam memoret , in ipso cretæ medio deprehensam. Quæ sane cloaca , ut conspicuum arbitror , non antiquior Urbe fuit.

» FLAMINIUS VACCA. Postremis Pauli III. papæ annis, » ut aliis narrantibus accepi, detecta fuit in fundamentis S. Petri » Vaticani urna grandior ex marmore granito rubro Ægyptio : » quæ hodie visitur in veteri S. Petri ecclesia proxime altare Vul- » tûs Sancti. Ibidem jacebat Regina quædam , ceu ramentis au- » reis vestita : quum primum autem aeri exposita fuit , & formam » & decus totum amisit. Ibidem deprehensa est gemmarum & » lapillorum copia ingens , queis Paulus III. ornandæ conficien- » dæque coronæ usus est. Erat tunc præfectus harumque rerum » curator, magnificus Joannes Alberinus , qui præsens operi , mar- » garitas aliquas sibi seposuit , ætate nimia labefactatas , ita ut in- » star cæpe in pelliculas solverentur. Hæc patre meo Joannis » Alberini amicissimo narrante edidici.

» Nihil ultra succurrit mittendum tibi , vir amicissime ; si quid » postea domina occasio obtulerit , te quam primum commo- » nebo.

Sic observationes claudit suas Flaminius Vacca : si porro ibidem memorata Regina formam a tot sæculis sepulta servarit, res est sane nihil minus stupenda , quam quæ superius de puella ad viam Appiam , integro corpore vividisque coloribus reperta, diximus.

Jam ad bibliothecam Vaticanam pergimus , ædes enim adjunctas , etsi infinita pene spectabilia complectuntur , quia a multis jam descriptæ sunt , de more transcurrimus. Bibliotheca Vaticana ædificii amplitudine & magnificentia omnes quotquot in orbe sunt , longe multumque superat. Ea ad figuram T constructa , picturis ornata undique est , quæ quia a variis pictoribus adornatæ , non paris omnes artificii sunt. In majori conclavi erigitur columna illa ex alabastrite pellucido : quam opinor ex templo Veneris Sallustiæ eductam , ut supra ad Sallustianos hortos diximus. Codicum istic manuscriptorum ingens numerus : ii Armeniaci , Coptici , Syriaci , Ebraïci , Græci, Latini. Narrabat mihi quidam , ad duodecim pene millia per-

tingere : par codicum numerus in bibliotheca Regia comparet; ſed cuſorum copiâ Vaticana Regiæ multis partibus inferior eſt. Ea multis bibliothecis conſtat; Pontificia videlicet, Urbinenſi, Palatina, Alexandrina, quæ poſtrema acceſſio Alexandri VII. tempore facta. Qui codices majoris pretii habentur, non enim pro voto luſtrare omnes ac evolvere licuit, hi ſunt:

Codex Bibliorum Græce charactere, ut vocant, unciali, quadro, ſine accentibus, quinti ſextive ſæculi. Etſi porro paris vetuſtatis codices viderim; at non numeris ſuis & partibus abſolutos, ut iſte Vaticanus eſt. Nihil ſane antiquitate concedunt Vaticano Colbertinus codex, Levitici & libri Judicum partem complectens, cum obelis & aſtericis; Codex Bibliorum Eminentiſſimi Cardinalis de Coiſlin, ex bibliotheca olim Segueriana; Codex RR. PP. Jeſuitarum in collegio LUDOVICI MAGNI. Iſti omnes charactere unciali ſine accentibus ſunt. Permultos alios ejuſdem vetuſtatis bibliorum codices vidi, ubi cum ætate nimia characteres pene oblitterati eſſent, alia ſuperſcripta ſunt; aliquot hujuſmodi ſuperius annotavimus.

Acta Apoſtolorum aureis apicibus.

Codex Bibliorum Ebraïce, ingentis molis, qui non niſi magno conatu & labore moveri loco & aperiri poteſt. Eum putant antiquiſſimum; ſed annum fert inſcriptio in fine, quæ ſic habet:

לשנת חמישה אלפים וחמישים וחמישה לפרט
בחמישה עשר בכסלו

Id eſt, *anno quinquies milleſimo quinquageſimo quinto juxta ſupputationem, quinta decima menſis Caſleu.* Id eſt, Chriſti anno 1294.

Monſtrant ibidem Virgilii codicem remotiſſimæ vetuſtatis, unciali charactere, cum figuris miniatis, non peritæ manûs. Dum evolverem, comperi olim fuiſſe B. Dionyſii, nam in quarto folio legitur: *Iſte liber eſt B. Dionyſii*, quæ manus XIII. ſæculum præfert: & ne dubium ſuboriatur ad quem S. Dionyſium pertinuerit, quædam fol. 76. conſcripta, B. Dionyſium in Francia indicant: ubi enim a Virgilio tempeſtate jactatus Æneas deſcribitur, hæc vernaculo idiomate, eodem circiter quo ſuperiora ſæculo conſcripta, leguntur: *Vechi comme les gens leſquiex eſtoient en la mer eſtoient tourmentes pour le pechié d'une ſeule cheſt, a ſavoir*

Juno : alio quoque loco legitur , *Courtois.* In equitum figuris, ephippia ſcandulam non habent.

Codex Terentii unciali charactere , Virgiliano non multum ætate inferior. Eſt ibidem Terentii codex alter IX. ſæculo exaratus a quodam Hrodogario , ut ibidem legitur.

Obſervavi Græcum codicem x. ſæculi , quæ eſt Catena in pſalmos , eadem prorſus manu deſcripta qua codex alter ſimilis in bibliotheca Regia , cujus nobis in editione S. Athanaſii non ſpernendus uſus fuit. Quodque ſingulare eſt, amanuenſis id curavit ut paginæ ſingulæ in utroque codice eadem ſemper voce aut ſyllaba claudantur ; neque ſolum in paginis, ſed in lineis quibuſque par diligentia notatur.

Ex codicibus autem Vaticanis non pauca inſtitutum noſtrum ſpectantia deſcripſimus , ſubminiſtrante nobis codices viro docto Laurentio Zaccaignio , bibliothecæ primo cuſtode. Hæc ſuo loco publici juris facere deſtinamus.

Notantur etiam antiquiſſima biblia Theutonica ; at cum primis ſuſpicitur codex Minutii Felicis *de errore prophanarum religionum.* Mitto libros a Martino Luthero , & ab Henrico Octavo Angliæ rege ſcriptos ; necnon codices S. Caroli Borromæi & Cæſaris Baronii , quia iſtos ſponte exhibent adventantibus.

E regione columnæ ex alabaſtrite, eſt archivum Vaticanum, plenum inſtrumentis innumeris , quorum ſecretis intervenire non licet.

In ædibus ad extremum porticûs ſitis , quibus *Belvedere* nomen , eſt impluvium grande , ſtatuis elegantibus ornatum ; in ipſo atrio videtur Cleopatra marmorea decumbens , mordente brachium aſpide , quo videlicet ſitu erat quando ſibi mortem conſcivit : aliæ ſtatuæ nemini non notæ , de Laocoonte diximus ſupra, Fulvium Urſinum non parum ſcrupuli injeciſſe contra vulgatam atque receptam ſententiam , qua ferunt eumdem ipſum eſſe qui ab Ageſandro , Polydoro & Athenodoro ſculptoribus cælatus eſt. Venus illa Salluſtia , de qua ſuperius in hortis Salluſtianis , in angulo quodam impluvii erigitur , cum inſcriptione ibidem allata. Reliquæ ſtatuæ Apollinis , Veneris , Antinoi , Commodi notiſſimæ. In medio areæ , figura Nili decumbentis , quæ notas teſſeraſque nobiliſſimi fluvii præfert, videlicet Trogloditas homunciones cymba vectos captandis cro-

codilis ; ipsis crocodilis prope adest trochilus avis, qui, narrante Herodoto & aliis, ad purgandos dentes in os feræ sese immittit; ibis item avis, flos loti, hippopotamus: pueri sexdecim totidem incrementi Niliaci cubitus indicant. Tiberis item e regione suis & ipse notis deprehenditur.

Hæc pauca, cum a nobis per otium Romanum observata, tum ex lucubrationibus anecdotis mutuata, publici juris facere visum ; missisque illis quæ ad nauseam repetita in Romanis descriptionibus sunt, iis solum dedimus operam quæ vel inobservata, vel minus nota erant : sicubi vero ab instituto hujusmodi paulùm deflexImus, ubi scilicet series ipsa narrandi res non ignotas tangere & describere suadebat; ita carptim memoravimus, ut ne fastidioso quidem lectori stomachum movere possint. De reliquis a me prætermissis adeantur Romanæ hodiernæ recensiones, quibus & antiquæ illius Urbis monumentorumque ejus, & hodiernæ status atque conditio describuntur. Eæ bene multæ sunt, pretio atque accuratione dispares, quibus tamen id minime assequuti sumus, ut numeris suis omnibus & partibus absoluta antiquæ Romæ, nam hodiernæ haud similis ratio, descriptione gauderemus ; imo vero multo plura retro dimissa, quam recensita sunt: ad hæc, internoscendis quæ supersunt monumentorum reliquiis non par diligentia habita est. Juvat porro quæ de auctoribus singulis diuturna tractatione comperimus, hic ad lectorum commodum adferre.

Qui primi post restitutas in Italia litteras, de urbe Roma scripserunt, missis aliis minoris notæ, sunt Flavius Blondus, Andreas Fulvius, Bartholomæus Marlianus, qui postremus majore quam cæteri accuratione & studio, etsi non ita feliciter in multis, id operis aggressus est : deinde vero Lucius Faunus, & paulopost Pyrrhus Ligorius qui omnem pene ætatem in vestigandis describendisque Urbis monumentis contrivit. Is longe cæteris præstitisset si tanto labori studioque parem eruditionem nactus esset. Verum deficiente litterarum notitia, in multis lapsus est. Hujus scripta pars in lucem edita, pars inedita sunt. Sequitur Onuphrius Panvinius, qui omnes quotquot antea scripserant, eruditis suis lucubrationibus obscuravit. Hi omnes, necnon alii bene multi minoris notæ Urbis ichnographi, suo fructu non carent. Usuque deprehendi, eos qui proximo sæculo simile opus adierunt, non infrequenter neglectis iis qui se

anteverterant, vel in notissimis rebus lapsos esse. Sub hæc Donatus elegans opus edidit, *Roma vetus & recens*, inscriptum, ubi non pauca nova a supradictis scriptoribus prætermissa descripsit: præcipuamque operam navavit, ut si qua in poetis aliisque veteribus Urbi describendæ opportuna essent, ea in medium adferret; figuris insuper opus totum illustravit. At is plerumque conjecturis levissimis aut aperte falsa aut incertissima asserere nititur: insuperque jejuna nimis & pro tanta Urbe manca ut plurimum descriptio est, ut plura prætermittat quam scribit.

Demum Alexandro VII. pontifice prodiit Famiani Nardini liber, cui titulus *Roma antica*, qui primum vernaculo idiomate conscriptus, nuper Latine translatus est, laudatum opus a laudatis viris. Is Rufum atque Victorem antiquos Urbis ichnographos explanavit, iis additis quæ in basi Capitolina ubi recensio locorum, & quæ apud Onuphrium Panvinium ex multis auctoribus collecta comparent; adjectis etiam aliis quæ ipse frequenti veterum lectione omissa ab aliis deprehenderat: nova bene multa aperuit, nec infeliciter in quibusdam situm & formam veterum Urbis ædificiorum deprehendit. Donatum frequenter coarguit, etsi suis ipse nævis non careat: neglectis quippe illis quæ ad manum erant: certissima quæque, & nulli non nota frequenter ipse non in controversiam modo vocavit; sed etiam evertere pro viribus conatus est, ut est illud de plateæ Navonæ etymo, quam pugnat ipse a navis forma non ab Agone derivari: qui si vel proximæ ætatis scriptores consuluisset, comperisset utique decimo-quinto & decimo-sexto sæculo indiscriminatim Nagone & Navona vocatam fuisse, & illud Nagone quasi in agone dictum: alia non pauca hujusmodi errata non infrequenter occurrunt. Videturque sane nihil pensi habere, dum dubia & difficultates perpetuo injiciat, ubi ne vel umbra difficultatis fuerit; vel si revera adsit, talis sit quæ non possit meliori conjectura enodari. Quæ sane dicimus non ut dicam impingamus viro de re litteraria bene merito, sed ut gnarus lector qua cautela opus sit, nonnisi præmisso examine & ponderatis rationum momentis, cum eo calculum ferat.

Opus itaque a tam multis tentatum, longe peritiorem & accuratiorem manum desiderare mecum existimant periti non pauci; quod ut feliciore exitu procedat, quædam observanda sunt,

ut

ut apparatu debito ad rem tantam tantique laboris se instruat cui id opus aggredi animus erit.

Primum intercapedines monumentorum Urbis notorum, sciat oportet; quantum scilicet spatii sit inter Pantheonem & columnam Antoninam, inter istam itidem & Trajanam, & sic de reliquis quorum certus situs, & nota vestigia sunt. Inde enim quæ inter hæc a veteribus posita feruntur, & quod ad situm, & quod ad amplitudinem ædificii expeditius internoscentur.

Cum primis curandum esset, ut sicubi inscriptiones eruuntur, non liceat eas loco movere & amoliri, donec ii quibus hujusmodi provincia demandata esset, & locum & inscriptionem litteris consignassent. Plerumque enim inscriptiones, templorum & aliorum, quæ e vicino steterant, ædificiorum mentionem habent, quod non raro per Urbem observatur. Hac autem in re Principis auctoritas interveniat oportet: id si a principio factum esset, bene multa ignota rudera, quid olim fuerint jam conspicuum esset.

Alia peropportuna ratio esset, hactenus neglecta, quâ diversas olim nominum rerumque importatas in Urbe mutationes deprehenderemus. Evolvenda scilicet instrumenta publica, bullæque Pontificum cujuslibet ætatis, quæ nimirum ad ipsam Urbem spectant. Incredibile enim est quantæ inde notitiæ erui possint. In perpaucis certe instrumentis quæ in manus incidêre meas, multa deprehendi queis invecta nominum discrimina dignoscuntur.

Ad hæc, non pauci fuere qui ætatem pene suam in parandis Urbis descriptionibus contrivere, quorum lucubrationes ineditæ alicubi latent. Hujusmodi erat Anastasius Simonetta Perusinus, cui observationes suas miserat Flaminius Vacca; Petrus Leo de Castello ab eodem Vacca memoratus; Andreas Bufalinus de quo Bellorius in fragmento vestigii veteris Romæ. Horum schedæ, sicubi occurrant, concinnandæ Urbis descriptioni magno usui erunt. Nec modo ineditæ illæ schedæ, sed etiam editæ quælibet, præsertim ab indigenis, Urbis ichnographiæ, summâ curâ evolvendæ. Eæ siquidem, etsi nævis suis non careant, aliqua semper experimento atque usu scriptorum comperta utiliaque præferunt. Pari studio eruenda ex bibliothecis opuscula scriptorum medii ævi, qui vel Urbis descriptiones vel diaria & historias adornarunt, qualia illa sunt Anonymorum

quorum nobis uſus frequens in Diario.

Evolvendi inſuper ſcriptores quilibet, ſupremæ, mediæ, & infimæ ætatis, qui vel data opera, vel carptim & occaſione quadam monumentorum Urbis meminere; Martyrum item certamina percurrenda: hinc enim non parum lucis mutuabitur, cui operam his navare cordi erit.

Hoc apparatu hiſque notitiis inſtructus is cui tanti negotii cura demandata, caveat ne conjecturis levibus plus æquo nitatur; ac non niſi perquiſitis ponderatiſque omnibus ſententiam ferat, qua in re judicii multum deſideratur. Varias Urbis conditiones, mutationeſque diſtinguat: aſſignetque pro modulo qualis Urbs fuerit ſub Auguſto, qui lateritiam Romam cum reperiſſet marmoream reliquit; qualis ſub Nerone, qui pene totam aut magnam partem ædificavit; qualis ſub Aureliano qui muros dilatavit; cujuſmodi item eſſet cum capta primùm a Gothis fuit; qua conditione Beliſario duce & murorum inſtauratore; qualis demum ſub Nicolao V. antequam ædificia nova Pontifices aggrederentur. Sed hæc, uti diximus, ut auſpicato quis ineat, Principis auctoritas intercedat oportet. Quod maxime ſperandum his temporibus, dum Pontifice gaudemus litterarum amantiſſimo CLEMENTE XI. cui præter ſtudium litteratorum, magna ineſt eruditio peritiaque rerum.

Anonymi opuſculum de mirabilibus Romæ, cujus frequens nobis uſus in Diario, ex ſchedis D. CLAUDII STEPHANOTII deceſſoris mei erutum, hic proferre viſum: hæc autem ibi nota præmittitur: *Ex regiſtro Nicolai Cardinalis de Aragonia in bibliotheca S. Iſidori Romæ, armario IV. num. 69.* Eratque ſcriptor XIII. circiter ſæculi, ut ibidem notatur: antiquariæ rei imperitus, & ut illo ævo, nugis & anilibus fabellis refertus; ſed quia monumenta, quæ iis temporibus Romæ ſupererant, pro modulo recenſet, non parum inde lucis mutuabitur, qui Romanis antiquitatibus indagandis operam navabit. Licet enim ipſe ex opinione vulgi, ut plurimum, res deſcribat, at multa illo ævo monumenta priſcum nomen vel apud populares retinuerant: quæ & alia multa paſſim occurrentia ſcire juvat antiquitatis ſtudioſum. In fine notulas quaſdam adjecimus, ſicuti ad manum venerunt: multo plures dare in promtu fuiſſet; ſed res erat majoris otii, & alioquin germanus hujus ſcriptoris uſus, iis deſtinatur quibus Romana monumenta & Urbem accuratius deſcribere animus erit.

LIBER DE MIRABILIBUS ROMÆ.

Primò de muris Urbis Romæ.

MURUS civitatis Romæ habet turres 361. castella, id est,
merulos 6900. portas 12. [1] pusterulas quinque. In circui- 1.
tu vero sunt milliaria 22. exceptis Transtiberim & civitate Leo-
ninâ, id est, porticu S. Petri.

De portis civitatis Romæ.

Portæ inclytæ urbis Romæ hæ sunt: porta Capena, quæ vocatur porta S. Pauli; porta Appia, ubi est ecclesia quæ dicitur, *Domine quò vadis*, ubi apparent vestigia Jesu Christi; porta Latina, quia inde intrabant Latini, id est Apuli: ibi est dolium in quo B. Joannes Evangelista missus fuit; porta Metroni; porta Asinaria, quæ dicitur Lateranensis; porta Lavicana, quæ dicitur Major; porta Taurina, quæ dicitur S. Laurentii vel Tiburtina; porta Numentana, quæ ducit ad Numentanam ci-
vitatem; porta Salaria; porta Pinciana, quia ibi adhuc est [2] pa- 2.
latium Pincii regis; porta Flaminea, quæ dicitur S. Valentini; porta Colliana quæ est supra S. Petri.

De portis Transtiberim.

Portæ Transtiberim sunt tres; Septimiana, ubi septem laudes fuerunt factæ Octaviano; porta Aurelia, vel Aurea; porta Portuensis.

De portis in porticu S. Petri.

In porticu S. Petri sunt duæ portæ, quarum una vocatur porta castelli S. Angeli; altera porta Merdaria.

De montibus infra Romam.

Montes infra Urbem isti sunt: [3] Janiculus qui vulgariter di- 3.

citur Jannarus, ubi eſt eccleſia S. Sabæ; Aventinus, qui & Quirinalis dicitur, quod Quirites ibi ſtabant, ubi eſt eccleſia S. Alexii; Cœlius mons, ubi eſt eccleſia S. Stephani in Cœlio monte; Capitolium vel Tarpeus, ubi eſt palatium Senatorum; Palentium, ubi eſt palatium majus; Exquilinus, qui ſupra alios dicitur, ubi eſt eccleſia S. Mariæ Majoris; Viminalis, ubi eſt eccleſia S. Agathes, ubi Virgilius captus a Romanis inviſibiliter exiit, ivitque Neapolim; unde dicitur: *Vado ad Næpulum.*

De pontibus civitatis Romæ.

4. Pontes iſti ſunt; pons Milvius; ⁴ pons Adrianus, qui dicitur Judæorum, quia ibi Judæi habitant; pons Fabiani juxta ipſum; pons Neumanus, pons Antoninus; pons Gratiani; pons Senatorum; pons marmoreus Theodoſii; & pons Valentinianus.

De Palatiis Romæ.

Palatia magna Imperatorum iſta ſunt; palatium majus in
5. Palentio monte poſitum; ⁵ palatium Severini prope S. Sixtum; palatium Claudii inter Colliſeum & S. Petrum in Vincula; palatium Conſtantini in Laterano, ubi moratur Dominus Papa; palatium Suſurrianum ad Ceme de Caluce; palatium Voluſiani; palatium Romuli inter S. Mariam Novam & S. Coſmatem, ubi ſunt duæ ædes Pietatis & Concordiæ, ubi poſuit Romulus ſtatuam ſuam auream dicens: *Non cadet, niſi Virgo pariet*; ſtatim ut peperit Virgo, ſtatua illa corruit; palatium Trajanum, ubi eſt columna ſua alta xx. paſſuum; palatium Conſtantini; palatium Saluſſii; palatium Camilli; palatium Antonini, ubi eſt columna ſua XXXIV. paſſuum; palatium Neronis, ubi eſt
* Obeliſcus. * agulia S. Petri; palatium Julii Cæſaris, ubi eſt ſepulcrum Julii Cæſaris; palatium Chromacii; palatium Pompeii; palatium Titi & Veſpaſiani; & foris Romam Catacumbas; (*ſic*) palatium Octaviani ad S. Laurentium in Lucina.

De Arcubus Triumphalibus Romæ.

Arcus Triumphales ſunt iſti, qui fiebant Imperatori alicui a triumpho, ſub quibus cum honore ducebantur a Senatoribus,

& victoria ejus ad memoriam in posterum sculpebatur; [6] arcus aurei Alexandri ad S. Celsum; arcus Theodosii & Valentiniani & Gratiani Imperatoris ad S. Ursum foris Appiam portam ad templum Martis; arcus Triumphalis in Circo; arcus Titi & Vespasiani; arcus Constantini juxta Amphitheatrum; arcus septem Lucernarum Titi & Vespasiani, ubi est candelabrum Moysi cum arca, habens VII. brachia, in piede (sic) turris Cartulariæ; arcus Julii Cæsaris & Senatorum ante S. Martinam, ubi modo sunt turres de Bratis; arcus Triumphalis Octaviani ad S. Laurentium in Lucina; arcus Antonini prope columnam ejus, ubi modo est turris de Cosectis; arcus ad S. Marcum, qui vocatur Manus Carnea; in Capitolio est arcus panis aurei. 6.

Sunt præterea alii arcus qui non sunt Triumphales sed memoriales, ut est arcus Pietatis ante S. Mariam Rotundam, ubi cum esset Imperator paratus in curru ad eundum extra expugnaturus, quædam paupercula vidua procidit ante pedes ejus, plorans & clamans: Domine antequam vadas, mihi facias rationem: cui cum promisisset in reditu facere plenissimum jus, dixit illa, Forsitan morieris prius. Imperator hoc considerans præsiliit de curru, ibique posuit consistorium. Mulier inquit, Habebam unicum filium, qui interfectus est a quodam juvene. Ad hanc vocem sententiavit Imperator: Moriatur, inquit, homicida, & non vivat; morietur ergo filius tuus, qui ludens cum filio, occidit ipsum: qui cum duceretur ad mortem, mulier ingemuit voce magna: Reddatur mihi iste moriturus in loco filii mei, & sic erit mihi recompensatio, alioquin numquam me fateor plenum jus accepisse; quod & factum est, & ditata multum ab Imperatore recessit.

De Thermis civitatis Romæ.

Thermæ dicuntur palatia magna habentia maximas cryptas sub terra, in quibus tempore hyemali fiebat ignis per totum; æstivo vero aquis frigidis implebantur, ut Curia in superioribus manens delectaretur, quod in thermis Diocletiani videri potest ante S. Susannam; sunt igitur [7] thermæ Domitianæ, 7.
Olympiades ad S. Laurentium in Panisperna, Novatianæ, Tiberianæ retro S. Susannam, Diocletianæ, Lucannæ, Antonia-

næ, Machinnanæ, Agrippæ retro S. Mariam Rotundam, Alexandrinæ, ubi eſt hoſpitale de Thermis.

De Theatris civitatis Romæ.

8. Theatra ſunt iſta, [8] theatrum Titi & Veſpaſiani ad Catacumbas; theatrum Tarquinii Imperatoris ad ſeptem ſolia; theatrum Pompeii ad S. Laurentium in * Damaſco; theatrum Antonini juxta pontem Antonini; theatrum Alexandri juxta S. Mariam Rotundam; theatrum Neronis juxta caſtellum Creſcentii; & theatrum Flamineum.

* Damaſo.

De Cimiteriis urbis Romæ.

Cimiteria iſta ſunt; cimiterium Calepodii ad S. Pancratium;
9. [9] cimiterium S. Agathæ ad * Tirolum; cimiterium S. Felicis; cimiterium Callixti juxta Catacumbas; cimiterium Pretextati juxta portam Appiam ad S. Apollinarem; cimiterium Concordianum foris portam Latinam; cimiterium inter duas lauros ad ſanctam Helenam; cimiterium ad Urſum Pileatum prope ſanctam Vivianam; cimiterium in agro Verano prope ſanctum Laurentium foris muros; cimiterium ſanctæ Agnetis; cimiterium ad Nimpha B. Petri; cimiterium Priſcillæ ad pontem Salarium, cimiterium ad clivum Cucumeris; cimiterium Traſonis ad ſanctum Saturninum; cimiterium ſanctæ Felicitatis prope cimiterium Calixti; cimiterium ſancti Marcelli viâ Salariâ vetere; cimiterium Bagya viâ Ardeatinâ; cimiterium Innocentum ad ſanctum Paulum; cimiterium Pontianum; cimiterium ſanctarum Hermetis & Domitillæ; cimiterium ſancti Cyriaci viâ Oſtienſi: iſta cimiteria erant ſubterranea, quæ quandoque diſtendebantur per tria milliaria, ubi ſancti Martyres abſcondebantur.

* Girolum.

De locis Urbis nominatis in paſſionibus Sanctorum.

Hæc ſunt loca quæ inveniuntur in paſſionibus Sanctorum foris portam Appiam, ubi Beatus Sixtus decollatus fuit, & ubi Dominus apparuit Petro, *Domine quò vadis?* Ibi templum Martis, intus portam arcûs Syllæ. Inde regio Faſtiolæ ad ſanctum Nereum: vicus Canarius, ad ſanctum Georgium, ubi fuit do-

mus Lucillæ, & eſt ibi velum aureum; aqua Salvia ad ſanctum
Anaſtaſium, ubi decollatus fuit ſanctus Paulus. [10] Hortus Lu- 10.
cillæ, ubi eſt eccleſia B. Pauli, & ibi requieſcit: Interlude, id
eſt inter duos ludos. Clivus Scauri, qui eſt inter Amphiteatrum
& ſtadium ante ſeptem-ſolia; ibi eſt cloaca, ubi jactatus fuit
ſanctus Sebaſtianus qui revelavit corpus ſuum ſanctæ Lucinæ
dicens, Invenies corpus meum pendens in gumfo viâ Corne-
liâ per pontem Milvium, & exiit in ſtratam viâ Aureliâ juxta
Girolum. Gradus Eliogabali in introitu Palatii, & [11] inſula Ca- 11.
thenate poſt ſanctam Trinitatem: arcus Syllæ ante ſeptem-
ſolia: arcus Romanus inter Aventinum & Albiſton, ubi bea-
tus Sylveſter & Conſtantinus oſculati ſunt, & diviſerunt ſe
ad invicem. In Cellure, id eſt Cannapara, ubi fuit domus Tel-
luris, privata Mamertini ante Martem ſuper Capitolium. [12] Vi- 12.
cus Latericii ad ſanctam Praxedem; vicus Patricii ad ſanctam
Pudentianam; baſilica Jovis ad ſanctum Quiritium; thermæ
Olympiadis, ubi aſſatus fuit beatus Laurentius in Paniſperna;
palatium Tiberianum Trajani, ubi Decius & Valerianus re-
ceſſerunt mortuo ſancto Laurentio, ubi dicitur, thermæ de
Cormitis; circus Flamineus ad pontem Judæorum in Tranſti-
berim; templum Ravennantium, & fundens oleum, ubi eſt ſan-
cta Maria in Tranſtiberim.

Infra palatium Neronianum eſt templum Apollinis, quod dicitur ſancta Petronilla in baſilica ſancti Petri, ante quod eſt baſilica quæ vocatur Vaticanum, quia vates, id eſt ſacerdotes canebant ibi ſua officia ante templum Apollinis: ibique aliud templum quod fuit ærarium Neronis, ubi nunc eſt eccleſia S. Andreæ, juxta quod eſt memoria Cæſaris, id eſt agulia, ubi ſplendide cinis ejus in ſuo ſarcofago, id eſt aureo malo, requieſcit: ut ſicut eo vivente totus mundus ei ſubjectus fuit, ita & eo mortuo omnia alia defunctorum corpora ſibi ſubjicerentur. Superius vero in gyro mali aurei ſcriptum eſt: *Tantus erat quantus & orbis; ſed nunc in modico clauditur antro.* Inferius vero Græcis litteris iſta carmina ſunt deſcripta:

Si lapis eſt unus, dic quâ fuit arte levatus:
Et ſi ſint plures, dic ubi contigui.

De [13] pinea quæ ſtabat in Roma. 13.

In faſtigio Pantheon, id eſt ſanctæ Mariæ Rotundæ, ſtabat

pinea ærea, quæ nunc eſt ante portam ſancti Petri, quæ tota cooperta fuit tabulis æreis & deauratis, ita quod a longe, quaſi mons aureus videbatur, cujus pulchritudo adhuc in parte cernitur.

De Capitolio in Roma, & de templo Martis in Roma.

In campo Martio fuit templum Martis, ubi eligebantur Conſules in Kal. Julii, & morabantur uſque ad Kal. Januarii. Si purus a crimine erat ille qui electus erat Conſul, confirmabatur illi Conſulatus. In hoc templo Romani victores ponebant roſtra navium, ut eſſet ſpectaculum omnium gentium. Juxta
14. Pantheon eſt [14] templum Minervæ Chalcediæ, ubi adhuc apparent columnæ marmoreæ. Poſt ſanctum Marcum, templum Apollinis in Camiliano. Ubi eſt Quiriacus, fuit templum Veſtæ; in Calcarari templum Veneris; in Monaſterio dominæ Roſæ,
15. [15] Caſtellum aureum quod erat Oraculum Junonis.

De Capitolio in Roma.

Capitolium ideo dicitur, quia fuit caput totius mundi, quia Conſules & Senatores ibi morabantur ad gubernandum Urbem & orbem, cujus facies cooperta erat muris altis & firmis, vitro & auro undique coopertis, & miris operibus laqueatis. Infra arcem fuit Palatium, quod erat pro magna parte aureum, & lapidibus pretioſis ornatum, quod dicebatur valere tertiam partem mundi; ubi tot ſtatuæ erant quot ſunt mundi provinciæ, & habebat quælibet tintinnabulum ad collum. Et erant ita per artem magicam diſpoſitæ, ut quando aliqua regio Romano imperio rebellis erat, ſtatim imago illius provinciæ vertebat ſe contra illam, unde tintinnabulum reſonabat, quod pendebat ad collum; tuncque Vates Capitolii, qui erant cuſtodes Senatui...... erant enim & ibi plura templa, nam in ſummitate arcis ſuper porticum criminorum (ſic) fuit templum Jovis & Monetæ; in parte foris templum Veſtæ & Cæſaris: ibi fuit cathedra Pontificum paganorum, ubi Senatores poſuerunt Julium Cæſarem in cathedra per ſex dies infra menſem Martium.

Aniles fabulæ.

Ex alia parte Capitolii ſupra Cannaparam templi Junonis juxta publicum, forum Herculis. In Tarpeyo templum Aſyli, ubi interfectus fuit Julius Cæſar a Senatu. In loco ubi nunc eſt

ſancta Maria, fuerunt duo templa ſimul juncta cum Palatio, Phœbi & Carmentis, ubi Octavianus Imperator vidit viſionem in cælo juxta [16] Carmelariam templi Jani, qui erat cuſtos Capitolii, ideo dicebatur aureum Capitolium, quia præ omnibus regnis totius orbis fulgebat ſapientiâ & decore. 16.

De caballis marmoreis in Roma.

Caballi marmorei ad quid facti fuerunt, nudi & homines nudi, & quid *invenirent, & quid ſit quod ante caballos quædam femina ſerpentibus circumdata ſedet habens concham ante ſe. Temporibus Imperatoris Tiberii venerunt Romam duo philoſophi juvenes, Praxiteles ſcilicet & Phidias, quos Imperator cognoſcens dixit eis: Cur nudi inceditis? Qui reſpondentes dixerunt: Quia omnia nuda & aperta ſunt nobis, & pro nihilo mundum tenemus, quia tu quidquid, Domine Imperator, nobis abſentibus in die vel in nocte in camera tua conciliaris, dicemus tibi ad unum verbum; quibus Imperator ait: Si facitis quod dixiſtis, dabo vobis quidquid vultis. Qui reſpondentes dixerunt: Nullam pecuniam, ſed noſtram memoriam poſtulamus. Veniente altera die, per ordinem retulerunt Imperatori quidquid in illa nocte conciliatus eſt; unde fecit eis promiſſam prælibatam memoriam eorum ſicut poſtulaverunt, equos videlicet nudos, qui calcant terram, id eſt potentes principes ſæculi qui dominantur hominibus hujus ſæculi: veniet Rex potentiſſimus, qui aſcendet ſuper equos, ideſt ſuper potentiam principum hujus ſæculi. In hoc ſeminudi, qui ſtant juxta equos, & altis brachiis & replicatis digitis, numerant ea quæ futura erant, & ſicut ipſi ſunt nudi, ita omnis mundalis ſcientia nuda & aperta eſt mentibus eorum. Femina circumdata ſerpentibus, ſedens & habens concham ante ſe, ſignificat Eccleſiam multis Scripturarum voluminibus circumdatam, quam quicumque audire voluerit non poterit, niſi prius lavetur in concha illa.

De judicibus Imperatorum in Roma.

Primicerius, ideſt prima manus, chera enim Græce manus dicitur: primi apud Græcos prima vocatur; ipſe debet habere

curam de clavibus totius Palatii, & ipſe honorabilis ibi apud Imperatorem die noctuque in palatio exiſtere debet. Secundicerius, id eſt ſecunda manus, apud Græcos vocatur * depterευ; in palatio honorabilis eſt, & ibi debet eſſe die noctuque. Coronæ & omnium veſtimentorum quæ per feſtivitates induuntur, ipſe debet habere curam. Numenculator Latine apud Græcos Quæſtor dicitur: ipſe debet habere curam de viduis & orphanis & omnibus xenodochiis, & apud eum diſputari debetur de teſtamentis. Primus defenſor Latine, apud Græcos prohecdicos vocatur; debet habere homines ſub ſe qui defendant ſedem Imperii. Archarius, qui Archana dicitur, debet ſcire ſecreta conſilia Imperatoris, & colligere de provinciis cenſum. 17 Savellarius debet habere curam Monaſteriorum & ancillarum Dei, & in feſtivitatibus debet introducere honores ad Imperatorem. Protoſcrinius, id eſt primus ſcriniariorum. Bibliothecarius apud Græcos Logothetos & Referendarius, ipſe debet renunciare omnem reſcriptionem ante Imperatorem.

* δεύτερος.

17.

De columna Antonini in Roma.

Columna Antonini Cochlidis, habet in altum pedes centum LXXV. gradus numero CIII. feneſtras XLV. Columna Trajani Cochlidis habet in altum pedes CXXXVIII. gradus in numero CLXXXV. feneſtras XLV. Coliſeus habet in altum pedes ſubmiſſales CVIII.

Item ea quæ ſequuntur ſunt de Vaticano & Agulia in Roma, quorum etiam pars major ſcripta eſt ſupra; ſed ibi quidem brevius, hic autem prolixius narratur.

Infra palatium Neronianum eſt templum Apollinis, quod dicitur ſancta Petronilla, ante quod eſt baſilica quæ vocatur Vaticanum, quia vates, id eſt ſacerdotes, canebant ibi ſua officia ante templum Apollinis, & idcirco tota pars eccleſiæ ſancti Petri Vaticanum vocatur. Ibique eſt aliud templum quod fuit Veſtarum Neronis, quod nunc vocatur ſanctus Andreas, juxta quod eſt memoria Cæſaris, id eſt agulia, ubi ſplendide cinis ejus in ſuo ſarcofago requieſcit; ut ſicut eo vivente totus mundus ei ſubjectus fuit, ita eo mortuo uſque in finem ſæculi. Cu-

jus memoria inferius ornata fuit tabulis æreis, & deauratis litteris Latinis decenter depicta, superius vero ad alam, auro & pretiosis lapidibus, ubi scriptum erat : *Cæsar tantus eras, quantus & orbis; sed nunc in modico clauderis antro :* & hæc memoria sacrata fuit suo more, sicut adhuc apparet & legitur.

In Paradiso sancti Petri est [18] cantar, quod fecit Symmachus Papa, columnis porphyreticis, quæ tabulis cum griffonibus connexæ, pretioso cælo æreo copertæ cum floribus, delphinis æreis & deauratis, aquas fundentibus. In media Cantari est pinea ærea quæ fuit coopertorium cum simo æreo, & deaurato, super statuam Cybeles matris deorum in foramine Pantheon; in quam pineam subterranea fistula subministrabat aquam, [19] ex forma Sabbatina, quæ toto tempore plenam præbebat aquam per foramina * murium omnibus indigentibus, & per subterraneam fistulam quædam pars fluebat ad balneum Imperatoris, & juxta aguliam. 18. 19.

In Naumachia est sepulcrum Romuli, quod vocatur Meda, quæ fuit miro lapide tabulata, ex quibus factum est pavimentum Paradisi & graduum sancti Petri : habuit circa se plateam Tiburtinam xx. pedum cum cloaca & florali suo. Circa se habuit Tiburtinum Neronis, tantæ altitudinis quantum castellum Adriani, miro lapide tabulatum : ex quibus opus graduum & paradisi peractum fuit, quod ædificium rotundum fuit duobus gironibus, * si Castra quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis, juxta quod fuit crucifixus B. Petrus Apostolus; est & castellum quod fuit templum Adriani Imperatoris, miræ magnitudinis templum constructum, quod totum lapidibus est coopertum, & diversis historiis perornatum. In circuitu vero cancellis æreis circumseptum, cum pavonibus aureis & tauro, ex quibus fuerunt duo qui sunt in Cantaro Paradisi. In quatuor partes templi fuêre quatuor caballi ærei deaurati, in unaquaque fronte portæ æreæ, in medio gyro sepulcrum Hadriani porphireticum, quod nunc Lateranense sepulcrum Papæ Innocentii coopertum est in paradiso sancti Petri supra sepulcrum præfecti. Inferius autem portæ æreæ, sicut nunc apparent, habet monumenta.

Quæ diximus omnia pro templis dedicata erant, atque confluebant Romanæ virgines cum votis, sicut dixit Ovidius in libro Fastorum. Ad portam Flamineam fecit Octavianus quod-

dam caſtellum, quod vocatur Auguſtum, ubi ſepelirentur Imperatores, quod tabulatum fuit diverſis lapidibus. Intus in gyrum eſt concavum per occultas vias. In inferiori gyro ſunt ſepulturæ Imperatorum, in unaquaque ſepultura ſunt litteræ ita dicentes: *Hæc ſunt oſſa & cinis Nervæ Imperatoris*, & victoria quam fecit; ante quos ſtabat ſtatua Dei ſui, ſicut in omnibus aliis ſepulcris in medio ſepulcrorum ſunt; ubi ſæpe ſedebat Octavianus, ubique erant ſacerdotes facientes ſuas ceremonias. De omnibus regnis totius orbis juſſit venire unam chirothecam plenam de terra, quam poſuit ſuper templum, ut eſſet in memoriam omnibus Romam venientibus.

In faſtigio Pantheon frontis ſtabant duo tauri ærei & deaurati. Ante palatium Alexandri fuêre [10] duo templa Floræ, & Phœbi. Poſt palatium ubi nunc eſt concha, fuit templum Bellonæ ubi ſculptum fuit:

Roma vetuſta fuit, ſed nunc nova Roma vocabor:
Eruta ruderibus culmen ad alta fero.

Ad concham Parionis fuit templum Cnei Pompei miræ magnitudinis & pulchritudinis; monumentum vero illius, quod dicitur majus, tam decenter ornatum, fuit oraculum Apollinis, alia fuêre oracula. Eccleſia ſancti Urſi fuit ſecretarium Neronis. In palatio Antonini, templum divi Antonini juxta ſanctum Salvatorem; ante ſanctam Mariam in Aquirô, templum Ælii Adriani, & arcus Pietatis. In campo Martio, templum Martis, ubi eligebantur Conſules in Kal. Julii, & morabantur uſque ad Kal. Januarii: ſi purus ille erat, qui erat electus Conſul, confirmabatur ei Conſulatus. In hoc templo Romani victores ponebant roſtra navium, ex quibus efficiebantur opera ad ſpectaculum omnium gentium. Juxta Pantheon templum Minervæ Chalcidiæ. Poſt ſanctum Marcum, templum Apollinis; in Camilliano, ubi eſt ſanctus Cyriacus, fuit templum Veſtæ; in Calcarari templum Veneris; in monte Dominæ Roſæ, caſtellum aureum, quod oraculum Junonis; Capitolium quod erat caput mundi, ubi Conſules & Senatores morabantur ad gubernandum orbem, cujus facies cooperta erat muris & firmis, diu (ſic) ſuper faſtigium montis vitro & auro undique coopertis, & miris operibus laqueatis; infra arcem Palatium fuit miris operibus

auro & argento, & ære ac lapidibus pretiosis perornatum, ut esset spectaculum omnibus gentibus.

Templa quoque quæ infra arcem fuere, quæ ad memoriam dicere possunt, sunt hæc: In summitate arcis super porticum Crinorum (sic) fuit templum Jovis & Monetæ, sicut reperitur in * martyrologio Ovidii de Fastis. In partem fori, templum Vestæ & Cæsaris, ubi fuit cathedra Pontificum paganorum, ubi Pontifices seu Senatores posuerunt Julium Cæsarem sexta die infra mensem Martium. Ex alia parte Capitolii supra Cannaparam, templum Junonis, juxta forum publicum, templum Herculis; item in Tarpeio templum Asyli, ubi interfectus fuit Julius Cæsar a Senatu; in loco ubi nunc est S. Maria, fuerunt duo templa simul juncta cum Palatio, Phœbi & Carmentis, ubi Octavianus Imperator vidit visionem in cælo; juxta Carmellariam templum Jani quod erat Capitolii, ideo dicebatur aureum Capitolium, quia præ omnibus regnis totius mundi pollebat sapientia & decore; palatium Trajani & Hadriani pene totum lapidibus constructum & miris operibus perornatum, diversis coloribus laqueatum, ubi est columna miræ altitudinis & pulchritudinis cum cælatura historiarum horum Imperatorum, sicut columna Antonini in Palatio suo. Ex una parte fuit templum divi Trajani, ex alia divi Hadriani; [21] in clivo argentarii templum Concordiæ, & Saturni; in Tolusa templum Bacchi; in fine hujus insulæ Argentariæ, templum Vespasiani; in clivo sanctæ Mariæ in Campo, templum Titi; ubi est sanctus Basilius, templum Carmentis; infra hunc terminum fuit templum cum duobus foris Nervæ cum templo suo divi Nervæ, cum majori foro Trajani, ante fores cujus templum Sospitæ deæ; ubi est S. Quiricius, templum Jovis. In muro sancti Basilii fuit magna tabula infixa, ubi est amicitia scripta in loco bono & notabili, quæ fuit inter Romanos & Judæos tempore Judæ Macchabæi. Ante privatam custodiam Mamertini templum Martis, ubi nunc jacet simulacrum ejus, juxta eam templum fatale; juxta privatam publicam, templum Fabiorum. Post sanctum Sergium, templum Concordiæ, ante quod arcus triumphalis, unde erat adscensus in Capitolium juxta ærarium publicum quod erat templum Saturni.

* Librum Ovidii de Fastis insulsè martyrologiũ vocat, quia ibi perinde atque in Martyrologio iduum, nonarum, & kalend. mentio.

21.

Ex alia parte fuit arcus miris lapidibus tabulatus, in quo fuit historia qualiter milites accipiebant a Senatu donativa sua per

ſacellarium qui adminiſtrabat hæc, quæ omnia penſabat in ſtatera antequam darentur militibus; ideo vocatur Salvator de ſtatera. In Cannapara templum Cereris & Telluris, cujus atrium duabus domibus ornatur per circuitum, porticibus columnatis, ut quicumque ibi ſederet ad judicium, undique videretur. Juxta eam domum fuit palatium Catellinæ, ubi fuit eccleſia ſancti
22. Antonini, juxta quam eſt locus qui dicitur [22] infernus, eo quod antiquo tempore ibi eructabat *** & magnam provinciæ Romæ: unde quidam nobilis miles ut liberaretur civitas, reſponſo ſuorum deorum, armatus projecit ſe, & clauſa eſt terra, ſic civitas liberata eſt. Ibi eſt templum Veſtæ, ubi dicitur inferius draco cubare, ſicut legimus in vita B. Sylveſtri; & ibi templum Palladis, & forum Cæſaris & templum Jani, quod prævidet annum
23. in principio & in fine, ſicut dicit Ovidius in Faſtis: nunc autem dicitur turris Centii Frangapanis. Templum Minervæ [23] cum arcu conjunctum eſt ei: nunc autem vocatur ſanctus Laurentius de Mirandi, juxta eum ſancti Coſmatis eccleſia quæ fuit templum Aſyli; retro fuit templum Pacis & Latonæ; ſuper idem templum Romuli; poſt ſanctam Mariam Novam, duo templa Concordiæ & Pietatis; juxta arcum Septem lucernarum, templum Eſculapii. Ideo dicitur Chartularium quia fuit ibi Bibliotheca publica, de quibus XXVI. fuere in Urbe; ſuperius vero fuit templum Palladis; templum Junonis.

Infra Palatium eſt templum Julii; in fronte Palatii templum Solis; in eodem Palatio templum Jovis, quod vocatur Caſa major. Ubi eſt S. Cæſarius fuit Auguratorium Cæſaris; ante Coliſeum, templum Solis, ubi fiebant ceremoniæ ſimulacrorum, quod ſtabat in faſtigio Coliſei; Septiſolium fuit templum Solis
24. & Lunæ, ante quod fuit templum Fortunæ. Sancta [24] Sabina fuit imitarium Cæſaris, ubi fuêre thermæ Severianæ & Commodianæ. Ubi eſt ſanctus Saba fuit ara Apollinis & Splenis. Circus Priſci Tarquinii fuit miræ pulchritudinis, qui ita erat gradatus quod nemo Romanus offendebat alterum in viſu ludi; in ſummitate erant arcus qui fuerunt per circuitum vitro & fulvo auro laqueati; ſuperius erant domus Palatii. In circuitu ubi ſedebant feminæ ad videndum ludum XIV. Maii quando fiebat ludus; in medio erant duæ aguliæ, minor habebat 87. pedes, ſed major 122. in ſummitate triumphalis arcus qui eſt in capite, ſtabat quidam equus æreus & deauratus qui videbatur facere

impetum, ac si miles vellet currere equum. In alio arcu qui est in fine, stabat alius equus æreus & deauratus. Similiter in altitudine palatii, erat sedes Imperialis & Reginæ, unde videbatur ludus.

In Cælio monte templum Scipionis ante thermas Maximianas, ubi fuêre duæ conchæ & duo templa Isidis & Serapidis. In Orphanotrophio, templum Apollinis; in palatio Lateranensi sunt quædam miranda, sed non scribenda; in palatio Susurriano fuit templum Herculis; in Esquilino monte fuit templum Marii, quod nunc vocatur Cimbrum, eo quod vicit Cimbros. In palatio Licinii templum Honoris & Dianæ. Ubi est sancta Maria Major fuit templum Cybeles; ubi est sanctus Petrus ad Vincula, fuit templum Veneris; ad sanctam Mariam in Fontana, templum Fannii, quod simulacrum locutum est Juliano & decepit eum. In palatio Domitiani quatuor templa fuerunt, Asclepii & Saturni, Martis & Apollinis, quæ vocantur Modri; in Capite Trivii fuit templum Veneris, ubi hactenus dicitur hortus Veneris; in palatio Tiberii templum deorum. In [25] Ilio 25.
monte fuit templum Jovis & Dianæ, quod nunc vocatur Imperatoris, super palatium Constantini, ibi in palatio fuit templum Saturni & Bacchi, ubi nunc jacent simulacra eorum, ibi juxta sunt caballi marmorei; in thermis Olympiadis, ubi fuit assatus B. Laurentius, fuit templum Apollinis. Ante palatium Trajani, ubi nunc fores Palatii permanent, fuit templum.

In Aventino fuit templum Mercurii aspiciens in circo, & templum Palladis & fons Mercurii, ubi mercatores accipiebant responsa. Ad arcum Statii domus Oristillæ, ex una parte templum Mæcenatis, ex alia parte templum Jovis; juxta scholam Græcam fuit palatium Lenticuli, ex alia parte, ubi nunc est turris Centii de Origo, fuit templum Bacchi; ad Gradellas fuit templum Solis; sanctus Stephanus Rotundus fuit [26] templum 26.
Faunii (sic); in Elephanto templum Sybillæ, & templum Ciceronis in Tullian. & templum Jovis, ubi fuit pergula aurea, & templum Severianum. Ubi est sanctus Angelus ad Velum Aureum, templum Minervæ; in ponte Judæorum templum Jani; ad Carcanari, templum Craticulæ; ad pontem Antoninum, arcus Antonini, ubi nunc est sancta Maria in Cataneo; ad sanctum Stephanum in Piscina, palatium Chromatii præfecti. Templum quod dicebatur Olovitreum, totum factum ex crys-

tallo & auro per artem magicam, ubi erat aſtronomia cum omnibus ſignis cæli, quod deſtruxit ſanctus Sebaſtianus cum Tiburtio filio Chromatii.

27. 27 *De hiſtoria caballi ænei qui eſt ad Lateranenſe in Roma.*

Lateranus eſt quidam caballus æneus, qui dicitur Conſtantini, ſed non eſt ita, quia quicumque voluerit veritatem cognoſcere hoc perlegat. Tempore Conſulum & Legatorum, quidam Rex potentiſſimus de Orientis partibus in Italiam venit, & ex parte Lateranenſi Romam obſedit, multa ſtrage & bellis populum Romanum afflixit. Tunc quidam armiger magnæ formæ & virtutis, audax & prudens, ſurrexit, qui dixit Conſulibus & Senatoribus : Si eſſet qui liberaret vos ab hac tribulatione, quid a Senatu promereretur; qui reſpondentes dixerunt ei, Quidquid ipſe popoſcerit mox retinebit. Qui ait : Date mihi triginta millia ſextertias, & memoriam victoriæ mihi facietis poſt peractum bellum, & optimum equum æreum deauratum; qui promiſerunt ſe facturos ſicut ipſe petierat. Qui ait: Media nocte ſurgite & omnes armamini, & ſtate inter muros in ſpecula, & quidquid vobis dixero facietis : & illi continuò fecerunt imperata : qui aſcendit equum ſine ſella & tulit falcem. Per plurimas enim noctes viderat illum Regem ad pedes cujuſdam arboris pro neceſſario venire; in cujus adventu coconaia quæ in arbore ſedebat ſemper cantabat. Ille vero exivit urbem, & falcem religatam portabat more ſcuti; qui ſtatim ut audivit coconaiam cantantem, acceſſit propius: cognovit illum Regem veniſſe ad arborem, ivit contra eum, qui jam peregerat neceſſarium. Socii qui erant cum Rege putabant ipſum eſſe de ſuis, cœperunt clamare, ut ipſe ſe auferret de via ante Regem : ſed ille non dimittens propter eos, fingens ſe de loco abire junxit ſe Regi, & præ fortitudine ſua, illis omnibus ſpretis, vi arripuit Regem & portavit eum. Mox cum veniſſet ad muros civitatis, cœpit clamare : Exite foras, & interficite omnem exercitum Regis, quia ecce ipſum teneo captivum. Qui exeuntes alios interfecerunt, alios in fugam miſerunt; unde Romani innumerabile pondus auri & argenti habuerunt : ſic glorioſi ad Urbem redierunt, & quod prædicto armigero promiſerant

miſerant, triginta videlicet millia ſextercias & equum æreum pro memoria deauratum & ſine ſella, ipſo deſuper reſidente, extenſâ manu dexterâ quæ ceperat Regem: in capite equi memoriam coconaiæ, ad cujus cantum victoriam fecerat: ipſum quoque Regem qui parva perſona fuerat retro ligatis manibus, ſicuti eum ceperat, [18] ſub ungula equi memorialiter deſtinaverunt. 18.

Qualiter factum ſit templum Pantheon, quod nunc dicitur ſancta Maria Rotunda.

Tempore Conſulum & Senatorum, Agrippa præfectus ſubjugavit Romano Senatui Suevos, Saxones & alios Occidentales populos, cum quatuor legionibus. In cujus reverſione tintinnabulum ſtatuæ perfidæ, quæ erat in Capitolio, ſonuit. In templo Jovis & Monetæ uniuſcujuſque regni erat ſtatua in Capitolio cum tintinnabulo ad collum: ſtatim ut ſonabat tintinnabulum, cognoſcebatur illud regnum eſſe rebelle: cujus tintinnabulum audiens ſacerdos, qui erat in ſpeculo in hebdomada ſua, nuntiavit Senatoribus; Senatores autem hanc legationem præfecto Agrippæ impoſuerunt, qui prævidens non poſſe tantum negotium, tandem convictus petiit conſilium trium dierum, in quorum termino quadam nocte ex nimio cogitatu obdormivit, apparuitque ei femina quæ ait ei: Agrippa quid agis? in magno cogitatu es. Qui reſpondit ei, ſum Domina; quæ dixit, Confortare, & promitte mihi templum te eſſe facturum, quale tibi oſtendo & dico tibi, ſic eris victurus. Qui ait: Faciam Domina, quæ in illa viſione oſtendit ei templum in hunc modum. Qui dixit, Domina quæ tu es? Quæ ait: Ego ſum Cybeles mater deorum, fer libamina Neptuno, qui eſt magnus deus, qui te adjuvet: hoc templum fac dedicari ad honorem meum & Neptuni, quia tecum erimus & vinces. Agrippa vero ſurgens lætus hoc recitavit in Senatu, & cum magno apparatu manuum & navium & cum quinque legionibus ivit & vicit omnes Perſas, & poſuit eos annualiter ſub tributo Romani Senatûs. Rediens Romam fecit hoc templum, & ædificari fecit ad honorem Cybeles matris deorum & Neptuni dei marini & omnium deorum: & poſuit huic templo nomen Pantheon, ad honorem cujus Cybeles fecit ſtatuam deauratam,

quam posuit in fastigio templi super foramen, & cooperuit eam mirifico tegmine æreo deaurato. Venit Bonifacius Papa IV. tempore Phocæ Imperatoris Christiani, videns illud templum ita mirabile dedicatum ad honorem Cybeles matris deorum, ante quod multoties a dæmonibus Christiani percutiebantur; rogavit Papa Imperatorem & donavit ei hoc templum, ut sicut in Kalendis Novembris ad honorem B. Mariæ semper Virginis quæ est Mater omnium S S * * * : quod Cæsar ei concessit, & Papa cum omni Romano populo in die Kalendarum Novembris dedicavit & statuit, ut in isto die Romanus Pontifex ibi celebret Missam, & populus accipiat Corpus & Sanguinem Domini. Ista die omnes Sancti cum Matre sua semper Virgine & cælestibus spiritibus, habeant festivitatem, & defuncti habeant per ecclesias totius mundi sacrificium pro redemptione animarum suarum.

NOTÆ IN ANONYMUM de Mirabilibus Romæ.

1. PUSTERULAS quinque. *Quæ hic pusterulæ vocantur, posternæ dicuntur in Anonymo altero a D. J. Mabillon publicato; suntque portæ minores sive ostiola. Turrium aliorumque numerus paulum diversus ibidem adfertur. Meruli sunt pinnæ murorum, propugnaculi genus.*

2. Palatii Pinciani meminerunt alii, Theodoricus lib. 3. epist. 10. domum Pincianam memorat, ex qua marmora Ravennam transmitti jubet. Anastasiusque ait Belisarium in Palatio in Pincis habitasse. Quod palatium decimo tertio sæculo, ut ex modo narrandi innuit Anonymus noster, adhuc superabat. Porta Flaminia, S. Valentini nuncupata fuit ab ecclesia S. Valentini jam diruta, quæ putatur fuisse in hodierna villa Fratrum S. Augustini, via Flaminia, juxta pontem Milvium.

3. Illa pars Aventini in qua sita est ecclesia S. Sabæ, mons Jannarus, ut Anonymus ait, suo ævo nuncupata, ipsum a nominum affinitate in errorem induxit, ut Janiculum esse putaret: atqui Janiculus trans Tiberim erat. Imperitia item simili Aventinum eumdem putat esse atque Quirinalem.

4. Judæi jam proxime pontem Fabritium, mutatis sedibus, habitant. Pons quem Neumanum vocat Anonymus, is est, ut æstimo,

qui jam pons Sixti dicitur, Janiculensis olim vocatus: Neumanus cur nuncupatus fuerit ignotum. Forsan monumenta alia in dies eruentur queis talis nominis origo deprehendatur, & aliorum quæ sequuntur.

5. Palatium Severini (forte Severi), prope S. Sixtum: Marlianus scribit ævo suo quædam Palatii vestigia superfuisse quæ ad Caracallæ ædes pertinuisse putat. Idipsum fortasse fuerit, quod Anonymus palatium Severini nuncupat. Putassem ego lapsu apud imperitum auctorem non infrequenti, Antoninianas thermas Palatium nuncupatas; sed cum ipsas in thermarum enumeratione recenseat, hujusmodi conjecturæ nihil superest loci. Ceme de Caluce a thermis, ut quidem æstimo, Caii & Lucii. Nam proclivis mutatio est τοῦ Θ, & aliquando τοῦ T in c. & s. Thermæ itaque, Cermæ, post Ceme *dictæ fuerint. Sic pro Tellure, Cellure infra positum invenies. Reliqua palatia, magna parte, id nominis imperite ferunt in Anonymo: nam palatium Romuli, ut ex memorato ibidem situ liquet, idipsum est quod templum Pacis. Palatium Trajanum, est forum Trajani: Palatium Constantini, in Quirinali erat, ejusque reliquiæ proximis sæculis supererant. Palatium Salussii sive Salustii, erat Circus ejusdem nominis. Palatium Antonini, ædificia quædam proxime columnam: palatium Neronis, circus ejusdem. Cætera minus nota.*

6. Arcus aurei Alexandri ad S. Celsum quid fuerit ignoramus, pariterque arcus Theodosii & Valentiniani & Gratiani ad sanctum Ursum &c. pro reliquis amplo commentario opus.

7. Thermas Domitianas vocat, quas nos Trajanas esse probamus supra p. 127. Thermæ Machinnanæ, quid sint nusquam occurrit; quæ vox vitiata, ni fallor, est.

8. Theatrum Titi & Vespasiani ad Catacumbas, id est, circus, Caracallæ vulgo existimatus. Theatrum Tarquinii ad Septem solia, est Circus Maximus prope Septem solia aut Septizonium situs. Theatrum Antonini idipsum est quod theatrum Marcelli; nomina quippe, aut ex opinione vulgi, aut suo marte, perpetuo commutat Annonymus. Theatrum Flamineum est circus Flaminius, de quo superius.

9. Cœmeterium S. Agathæ ad Girolum, nam ita legendum, idipsum esse putatur, quod Cœmeterium SS. Processi & Martiniani, quod itidem S. Agathæ in Lardario dicitur, vide Bosium. De reliquis cœmeteriis adeatur Roma subterranea. Cœmeterium Bagya, vitiato nomine puto positum pro, Basillæ.

10. Hortus Lucillæ, quid fuerit nescio an uspiam tradatur. In-

terlude , id est , inter duos ludos. Hæc vox occurrit apud Anastasium in S. Cornelio. Suspicatur Nardinus mendum esse pro in tellure, sed vocem asserit Anonymus ; ibidem Nardinus Interlude locat in Palatio Augustorum , sed conjecturis solummodo fultus. Res in incerto versatur. Interlude sive inter duos ludos vocari locum æstimant , quia inter Amphitheatrum & Circum Maximum situs erat. Pendens in gumfo , id est , in clavo , a Græca voce γόμφος , clavus.

11. Insula Cathenate , quid sit ignoramus , pariterque Albiston prope Aventinum montem.

12. Vicus Lateritius in actis S. Praxedis memoratur.

13. De Pinea sive strobilo superius actum est : nam eadem hic memoratur.

14. Juxta Pantheon est templum Minervæ Chalcediæ. *Existimarunt quidam templum Minervæ Chalcediæ sive Chalcedicæ , idipsum fuisse a quo B. Maria in Minerva hodierna nomen mutuatur ; quibus adstipulari videtur Anonymus : verùm reclamat Nardinus , quia templum Minervæ Chalcidicæ ab Augusto ; aliud vero a Pompeio excitatum est. Anonymus certe non suo marte nomen Chalcidiæ addidit ; sed ævi sui opinionem famamque sequitur. An dicatur templum a Pompeio structum , ab Augusto deinde restauratum fuisse ; res accuratiori examini permittatur.*

15. Castellum illud aureum quid fuerit ignoratur.

16. De Carmelaria similiter occurrit nihil.

17. Savelarii officium an alias occurrat ignoro.

18. Cantharum S. Petri Anastasius bibliothecarius memoravit , eratque vas grande , quale hic ab Anonymo describitur.

19. Aquæ Sabbatinæ meminit Frontinus de aquæductibus , de qua augurando quædam tradidit Raphael Fabrettus Dissert. 1. 11. Frontinus ex Anonymi loco illustrari potest.

20. Templa Floræ & Phœbi hic ex rumore vulgi constituuntur ab Anonymo ; cujus dictis hac in re non usquequaque fides habenda : multa enim vera cum falsis intermiscet , nullo rerum delectu.

21. Clivus Argentarius is erat qui nunc dicitur la salità di Marforio , *cui vicina vere fuerunt templa Concordiæ & Saturni.*

22. Qui dicitur infernus. *Lacum Curtii intelligit , ubi vorago quædam erat infernus dicta per plebeium usum ; hinc adjuncta ecclesia nuncupatur* Sancta Maria libera nos a pœnis inferni.

23. Cum arcu conjunctum. *Arcum Fabianum indicat , qui suo tempore stabat erectus , jam dirutus. Ab eo ingressus in viam sacram erat.*

24. S. Sabina fuit imitarium Cæsaris. *Hic sanctam Sabinam pro sancta Balbina positam æstimo. Imitarium Cæsaris legas Mutatorium Cæsaris, quod in clivo sub hodierna sancta Balbina situm erat.*

25. In Ilio monte. *Ilium vocat Quirinalem, nescio an alias ita dictus occurrat.*

26. *De templo Fauni diximus, ubi de S. Stephano Rotundo.*

27. Regem qui parva persona fuerat, retro ligatis manibus sicuti eum ceperat, sub ungula equi memorialiter destinaverunt. *Hic de insigni equestri statua M. Aurelii agitur, quam nugacissimus scriptor ignoti cujusdam militis fuisse insulse fabulatur. Quam ipse* coconaiam *avem vocat, ea noctua est, quæ in equi juba, si congruenti quidem ratione quis prospiciat, insidere videtur. Quod autem de captivo, quem ipse regem dicit, manibus a tergo revinctis, sub ungula equi prostrato, nescio an uspiam traditum sit. Neque potest, oculato testi, qui quæ ætate sua supererant recenset, negari fides. Captivum itaque huic equestri statuæ suppositum fuisse hinc edi scimus. Is quo translatus vel quo tempore amotus fuerit incertum; id solùm compertum habemus, sæculo videlicet decimo tertio superfuisse.*

CAPUT XXI.

Iter Neapolim. Ginettorum monumenta Velitris. Bibliotheca Olivetanorum Neapoli. Musæum Eminentissimi Cardinalis Cantelmi. Bibliotheca D. Valletæ. Vesuvius mons. Bibliotheca S. Joannis de Carbonaria. Codex Evangeliorum in charta purpurea aureo charactere. Dioscoridis exemplar vetustissimum. Urna Sanfeliciorum. Inscriptio Græca restituta. Spelæum canis. Sulphuraria. De monte Novo. Bibliotheca S. Severini.

ANNO 1698. 24. Octobris, iter Neapolim capessimus, Velitrasque ipsa die adventamus: ibi Ginettorum ædes infinitis pene veterum monumentis decoratæ visuntur; statuis videlicet iconibusque Imperatorum ac numinum, urnis item se-

pulcralibus & anaglyphis. Quorum ſumma incuria eſt, ut ſi qua ſtatua decidat, parteque corporis multetur, neglecta proſtrataque peſſum habeat. Eodem itinere Terracinam venitur, ubi in platea urbis erigitur columna milliaria LIII. quo numero inciſa eſt: olim in Pontinis paludibus poſita. Pars enim agri perampla, & quondam frequentata exundantibus aquis in paluſtre verſa, cum ipſa via Appia ſubmerſa eſt. Cætera notiſſima ut & Gaietanæ res, Munacii Planci ſepulcrum, Ciceronis ad Formias ædes, quæ paſſim in diariis feruntur. Adjicere liceat Gaietæ in eccleſia S. Eraſmi exſtare figuram, ſub cujus capite aquila, ſub pedibus canis, ibidemque circumvolutus ſerpens; eſtque ſenili vultu qualem vulgo exprimunt Æſculapium: hæc ſymbolicè. 28. ejuſdem menſis in Campaniam Felicem venimus, cujus perelegantem duobus hinc ſæculis deſcriptionem edidit Antonius Sanfelicius, Latine ita belle ſcriptam, ut vix ſimile quidpiam illo ævo emiſſum ſit. Medio inter Averſam & Neapolim itinere occurrunt honoris cauſâ nobis vir cl. Joſephus Valletta innato litterarum amore celebris, cujus bibliotheca librorum copia ac delectu inſignis, peregrinorum omnium aditu frequentatur; Antonius item Bulifonius cum filio; quibus comitibus ipſa die in urbem ingredimur. Inſequenti Monaſterium S. Severini adimus, & a D. Jacobo Caracciolo Abbate cæteriſque cœnobii Monachis hoſpitaliter habiti, non paucos ibi dies diverſamur. S. Severini eccleſia perito artifice ſtructa, multis ſculpturæ picturæque ornamentis nobilitata, jure inter elegantiores urbis eccleſias accenſetur. Ibidem nonnullas ſepulcrales Græcas inſcriptiones legimus, quæ infimi ævi imperitiam præferunt. Nimirum Græca lingua his in partibus diu in uſu fuit, cujus hodieque veſtigia in populari idiomate deprehenduntur; ſic bajulus *baſtaſo* dicitur, ἀπὸ τοῦ βαστάζειν, id eſt, *onera deferre*, orto vocabulo. Ipſa die Olivetanorum cœnobium viſimus, in cujus bibliotheca paucos nec ſpernendos codices notavi. Hi præcipui habentur:

Gregorii Magni operum codices quatuor undecimi ſæculi.

S. Maximi Sermo de Aſcenſione.

Boetii carmina XIV. ſæculi.

Iſidori Hiſpalenſis codex XII. ſæculi. Alius ejuſdem Etymologiarum XIII. ſæculi.

Brunonis Sionenſis epiſcopi commentarii in Pſalmos.

Nonii Marcelli codex, anno 1455. conſcriptus.

Criſpi Salluſtii codex ejuſdem ætatis.

Regiſtrum *Alphonſi* Regis, ubi nomina propemodum innumera nobilium ac civium illius ævi Neapolitanorum, anno 1450.

Inſequente D. Archiepiſcopum Cardinalem Cantelmum obſequii cauſâ convenimus. Is, præter cæteras animi nataliumque dotes, litterarum item cultu inſignis, de adventu gratulatus, nulla non benevolentiæ ſignificatione nos proſequutus eſt; poſtridieque convivio exceptis, muſæum ſuum ſeriemque numiſmatum harumce rerum non incurioſis aperuit. Ibi lamella aurea ex quodam Siciliæ ſepulcro non diu educta, Ægyptia ſacra præfert, exprimitque mendem, ſive hircum, ibin avem, apidem bovino capite, Iſidem, aliaque id genus portentoſi cultûs inſignia; ita ut ſingulæ pene figuræ in ſerpentis caudam, neſcio qua religione, deſinant. Ibidem numiſmata bene multa, Samaritane, Græce, Latine inſcripta, quorum per tempus notam excipere non licuit. Sub hæc, evocatos e Seminario juvenes, qui ejuſdem clariſſimi antiſtitis cura & peculio, litteris humanis diviniſque, linguis item Latinæ, Græcæ, Ebraïcæ dant operam; juſſit, pro ſua quemque facultate, Latine, Græce, Ebraïce hoſpitum gratiâ diſſerere, quod naviter illi in laudem Gallicæ gentis, & congregationis S. Mauri proſa, carmine loquuti præſtitere. Paria in nos officia contulit vir multis nominibus obſervandus Caſſonius nuntius Apoſtolicus, qui nos lauto & piſculento prandio excepit, ac deinde nec rogatus ſtudiis noſtris favit ſicubi opus fuit.

Octobris 31. D. Valletam adiimus, a quo perhumaniter in bibliothecam intromiſſi, librorum numerum ac delectum ſuſpeximus. Præter cuſos libros adeſt ibidem codicum vis non modica, quorum catalogum nobis manu propria exſcriptum hic inſerendum obtulit. Omnes, uno excepto Græco, Latini ſunt.

Biblia ſacra cum novo Teſtamento: in epiſtola S. Joannis abſunt iſtæc: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Flores ſancti *Hieronymi.*

Ejuſdem teſtamentum, præfixa epiſtola Euſebii Cremonenſis ad Damaſum Papam.

Augustinus de Civitate Dei, indice conſcripto a Georgio de Haynninmonth, juſſu F. Card. Bononienſis, codex membranaceus.

Dialogorum S. *Gregorii* libri I V. Sequuntur homiliæ duæ & alia mutila, codex membranaceus.

Boetius de Muſica, codex membranaceus antiquus cum notulis.

Sedulii poetæ Chriſtiani de actibus Prophetarum, &c. codex membranaceus.

S. Thomæ Aquinatis Commentaria, ſive poſtillæ in Matthæum & alia.

Vitæ ſanctorum Patrum, in quatuor libros diſtributæ, codex membranaceus.

Leonis Imperatoris Conſtitutiones Græce, codex Bomb. optimæ notæ.

M. T. Ciceronis de Oratore codex recens membranaceus.

Ejuſdem Orationes, codex membr. XV. ſæculi.

Ejuſdem Rhetorica, & auctor ad Herennium cum notis marginalibus, codex XIV. ſæculi membranaceus.

Ejuſdem de natura deorum.

Columella & *Cato* de re Ruſtica, codex recens membranaceus.

Suetonius bonæ notæ, ſcriptus anno 1470.

Valerius Maximus in codice membranaceo. Is fuit Jani Parrhaſii; cujus manu, ut videtur, notæ quædam in margine comparent.

Plinii epiſtolæ, cod. membranaceus.

C. Plinii junioris epiſtolæ a Philippo Beroaldo emendatæ, & ejuſdem Panegyricus. Eidem adſcribitur in hoc volumine opus de Viris illuſtribus bonæ notæ, codex recens.

Solinus de ſitu orbis.

Senecæ de quatuor virtutibus: & in eodem codice Baſinii Parmenſis de Criminibus.

Quinctiliani Inſtitutiones oratoriæ, codex membranaceus recens.

Sextus Aurelius Victor & *Lucius Florus* in codice membranaceo recenti.

Apuleii Metamorphoſeos floridorum. Apologiæ II. de deo Socratis. De dogmate Platonis. Coſmographia. Item Triſmegiſti

gisti dialogus Apuleio interprete. *Alcinoi* disciplinarum Platonis epitome ab episcopo Tropeensi in Latinum versa, Nicolao Cusensi Cardinali nuncupata, cod. membran.

Vegetius membran. in fine mutilus.

Ejusdem *Vegetii* de cura animalium, codex vernaculo idiomate jussu regis cujusdam Aragoniæ conscriptus.

T. Livii decadum quædam in duobus codicibus.

Themistii Paraphrasis Physicorum Aristotelis, interprete Hermolao Barbaro.

Chalcidii in Timæum, codex ad usum Andreæ Matthæi de Aquaviva ducis Adriæ conscriptus, membranaceus.

Priscianus cum notis marginalibus, codex antiquus.

Chronica vel descriptio Terræ sanctæ per D. *Jacobum de Vitriago*, S. Rom. ecclesiæ ibidem legatum, codex membranaceus.

Facundi rythmi de urbe Hispalensi 1250. item Anonymi liber de positione Terræ sanctæ.

Roma instaurata. *Ciceronis* partitiones oratoriæ, *Laurentii Vallæ* collectanea in Institutiones oratorias Quinctiliani, in uno codice.

Collectio variarum inscriptionum. Item descriptio regionum Romanæ urbis, mutila, in uno codice, quem dispicere & evolvere per tempus non potuimus.

Propertius, *Catullus*, *Tibullus*, *Statii* Sylvæ, codex ab Antonio Sinibaldo Florentiæ descriptus, anno 1484.

Persii & Juvenalis Satyræ membranaceæ.

In *Statii* Thebaïda Placidi Lactantii Commentaria, anno 1478. & fragmentum Achilleïdos.

Horatii sermones & epistolæ, de arte Poëtica, cod. membr. recens.

Alter *Horatii* codex: itemque alius ejusdem.

Virgilii Æneis, cod. membr. recens.

Virgilii Eclogæ & Georgica membranac. anno 1470.

Ovidii opera cum veteri scholiaste. Liber membr. olim Jani Parrhasii XIV. sæculi.

Ovidii Fastorum libri cum notis marginalibus, membr. cod. XIV. sæculi.

Senecæ Tragœdiæ schematismis pluribus decoratæ XIV. sæculi membran.

Alter codex ejuſdem antiquus.

Valerii Flacci Argonautica, cum notis marginalibus, cod. recens membranaceus.

Catonis Carmina cum commentariis monachi cujuſdam.

Propertius acephalus, item *Petrarchæ* epiſtolæ in eodem codice.

C. Vettii Aquilini juvenci in IV. Evangelia membran.

Cinus Piſtorienſis, *Petrus de bella pertica*, & *Jacobus de Ravennis* ſuper codicem, in epitomen redacti.

Abulcaſim de formis inſtrumentorum ad omnes ægritudines.

Joannis Climaci opera in Italicum idioma vernaculum verſa anno 1446.

Hiſtoria Trojana *Guidonis de Columnis* anno 1324. in vernaculam linguam verſa a *Philippo Ceffio* Florentino.

Anonymi liber inſcriptus Romuleon, juſſu Gomeſii Hiſpani militis conſcriptus.

Fr. *Bernardi Guidonis* Flores Chronicorum, ſive Catalogus Pontificum Rom. a D. Petro ad Sixtum IV. Item *Guillelmi* Abbatis quædam.

Statuta Ordinis S. Michaelis a Ludovico XI. Gallico idiomate.

Stephani de Infeſtura diaria rerum Romanarum poſt curiam a Galliis reverſam uſque ad Alexandri Papæ VI. creationem.

Vitæ illuſtrium doctrinâ Virorum.

N. Terminii trophæum D. Petri Toletani.

Ariſtotelis item codices bene multi variis interpretibus, & alii minoris notæ. Ad hæc Chronicon Sandionyſianum Gallico idiomate, ingenti volumine, conſcriptum tempore inaugurationis Caroli VI. Galliæ regis, ad quem ab initiis Francicæ gentis hiſtoria producitur. Quæ primam ſtirpem ſpectant a Gregorio Turonenſe, Fredegario & continuatoribus deſumta ſunt. Ad ſecundam ſtirpem Eginhardo & Turpini fabulis uſus ſcriptor eſt. Quæ tertiam ſtirpem ſpectant melioris notæ ſunt, maximeque cum ad res ætatis ſuæ ſcriptor iſte pervenit, nam ibi diarii ritu omnia perſequitur. Hujus operis exemplaria quædam in bibliothecis noſtris exſtant. Iſtud autem quode agimus ad uſum familiæ Borboniæ exaratum videtur: nam ad calcem codicis inſignia Auguſtæ gentis delineata ſunt, ſcripto no-

mine, *Bourbon*, prima manu. In Hiſpaniam vero tranſlatum exemplar, indeque Neapolim exportatum, in Valletæ manus devenit.

Secunda Novembris pomeridianis horis, comite Antonio Bulifonio, in montem Veſuvium properamus, quo nos evocabat non celebritas modo loci, ſed nuperæ etiam eruptionis veſtigia. In acclivi montis arbores vitibus adrepentibus ornatæ, quæ palmites circumquaque emittunt, alios aliis annexos, continuatum funem diceres. Qua die tranſiimus onuſti adhuc uvis palmites erant; quod mirum videatur, in æſtuoſo nimirum ſolo tam ſero uvas matureſcere: idipſum ævo ſuo Martialis obſervat.

Hic poſt Novembres, imminente jam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.

De Veſuvii montis forma, eruptionibus aſſiduis, mirabilia narrantur. Quo pacto ſcilicet modo fumos, mox flammas eructet, lapides ingentes emittat; mox compreſſi in cavernis ignes terram ſuccutiant; hinc evomitis infernalis liquidæque materiæ effluviis, infinita damna importet, perniciemque adferat caſtellis, vicis, hominibus, jumentis: & quod incredibile dictu, ingentem vim aquæ evomat, ut circumvicina loca demerſa, interitu hominum, domorum, agrorumque ruina devaſtet; id inquam a multis jam recenſitum, & nuper a laudato Bulifonio, qui diarium Veſuvii emiſſionum accurate elaboratum, minutatim deſcriptis omnibus edidit. Quare nos iis ſuperſedemus, pariterque ſilentio mittimus quæ per moras Neapolitanas obſervavimus in eccleſiis, ædificiis, ædibuſque principum. Quid enim hac in re novi proferamus, quando ex omnibus orbis Chriſtiani partibus in dies adventant qui accuratius omnia circumſpiciunt, quorum plerique, neque ſemel recenſita, literis mandant?

Quartâ Novembris in bibliothecam S. Joannis de Carbonaria RR. PP. Auguſtinianorum concedimus, in qua codices bene multi, ad centenos Græcos totidemque Latinos enumerantur. Dum hos evolverem, & D. Paulo ſocio quædam exſcribenda tradidiſſem, accurrit cuſtos interpellatque ſcribentem; ſe quod talem D. Mabillonio ſcribendi copiam feciſſet pulſum olim e Monaſterio dictitans: noſque ulteriori perquiſi-

tione prohibuit ; atque in posterum interclusum accessum intelleximus. At pomeridianis horis, intercedente D. Cassonii auctoritate, qui comitatum nos misit D. Angelum Accorrettum virum doctum & urbanum, ad rem redire concessum. Olim numerosiorem bibliothecam, a Batavo quodam emtis codicibus mulctatam magna supellectilis parte accepimus. Quæ tamen superant optimæ notæ sunt. Isthæc olim fuit bibliotheca Antonii Seripandi, qui eam ex Jani Parrhasii testamento acceperat. Codicum notam hic proferimus.

Codex XI. sæculi membran. Psalterium optimæ notæ. Exstat ibidem Psalterium exoriente typorum arte cusum, ut puto, Mediolani, abest quippe typographi urbisque nomen.

Codex Evangeliorum charactere unciali, septimi vel octavi sæculi, initio & fine mutilus.

Codex Evangeliorum XI. sæculi membran. initio legitur epistola *Eusebii* Carpiano, quæ in bene multis Evangeliorum codicibus cum in ista tum in aliis bibliothecis præmittitur. In capite primo Matthæi legitur : Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιωακεὶμ, Ιωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν καὶ τοὺς, &c. *Josias autem genuit Joachim, Joachim autem genuit Jechoniam & fratres ejus*, &c. quam item lectionem notavi in codice decimi sæculi egregiæ notæ, qui cum olim Cardinalis Perronii fuisset, jam in bibliotheca Monasterii S. Taurini Ebroïcensis conspicitur. In aliis quoque non paucis codicibus ita legitur. Vulgata nostra, ut nemo nescit, Joachimum omittit.

Codex Evangeliorum alius ejusdem ætatis, bonæ notæ, membranaceus, cum epistola *Eusebii* Carpiano. Duo item alii codices Evangeliorum minoris notæ & vetustatis.

Acta Apostolorum in codice bombycino recenti.

Codex homiliarum in Evangelium in charta membranacea purpureo colore, aureis characteribus quadris, cum accentibus spiritibusque primâ manu in 4° septimi sive octavi sæculi: quo ævo, ut putamus, spiritus accentusque annotari cœptum est. Neque tamen omnibus in vocibus accentus comparent, sed hinc & inde sparsi sunt. Hujusmodi codices Hieronymus Præfatione in librum Job memorat his verbis : *Habeant*, inquit, *qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos : vel uncialibus (ut vulgo aiunt) litteris, onera magis exarata quam codices. Dummodo mihi meisque permittant pau-*

peres habere schedulas, & non tam pulcros codices, quam emendatos. Huic similis est Sangermanensis noster codex psalmorum, quinti sextive, ut putatur, sæculi.

Flavii Josephi codex bombycinus recens, postremos solùm Antiquitatum Judaïcarum libros complectens.

Ejusdem de bello Judaïco codex recens bombycinus.

Eusebii de præparatione Evangelica codex recens bombycinus.

Gregorii Nysseni in peregrinos Jerosolymitanos. *Planudis* quædam, itemque *Hesiodi*, *Theocriti*, *Sophoclis*, *Euripidis*, *Pindari*, Epistolæ quoque variæ, omnia in uno codice bombycino XIV. sæculi.

Epistolæ *Theodoreti* in codice membranaceo XI. sæculi, eximiæ notæ.

Dorothei ascetica in codice membranaceo XI. sæculi.

Alius ejusdem codex paris ætatis, membranaceus.

Theodori Studitæ Catecheses scriptæ anno mundi 6534. id est, Christi 1026. in codice membranaceo.

Μέλισσα τοῦ ἁγίου βασιλείου περὶ βίου ἀρετῆς, codex bombycinus recens.

Theophanis Ceramei homiliæ scriptæ anno mundi 6891. hoc est, Christi 1383.

Ejusdem homiliæ in codice paris ætatis bombycino.

Collectanea Patrum & scriptorum in codice recenti.

Anastasii bibliothecarii collectanea cum vitis quibusdam.

Monodia *Georgii Scholarii* in S. Macarium μακρὺ dictum.

Homiliæ quædam *Joannis Damasceni* in codice recenti.

Ex Soliloquiis S. *Augustini* Græce codex recens. Non sancti Augustini modo opera quædam, verum etiam Hieronymi, Gregorii magni, Cassiani, Anselmi, Thomæ Aquinatis, & aliorum non pauca Græce versa in bibliothecis occurrunt.

Liber choralis Græce XIII. sæculi membran. itemque alii duo ad usum officii Græcorum.

Codex *Dioscoridis* eleganter descriptus, membranaceus, characteribus uncialibus quadris, sine accentibus, adpositis plantarum florumque figuris, minio depictis a perita manu. Hujus auctoris nullum puto pari vetustate & elegantia exemplar exstare: nam Regium quod antiquitatis caussâ suspicitur, huic multum concedit ætate & pulcritudine. Initio mutilum hisce ver-

bis incipit, ΑΜΒΡΟΣΙΑ ΟΙΔΕ ΒΟΤΡΥΣ· ΟΙΔΕ ΒΟΤΡΥΣ. estque v. ut puto, sæculi.

Codex *Diodori* Siculi perelegans membranaceus, xi. sæculo conscriptus, optimæ notæ.

Dionis Cassii codex recens bombycinus.

Herodoti codex recens bombycinus.

Thucydidis codex recens bombycinus, item alter ejusdem ætatis.

Polybii historiarum codex recens bombycinus.

Arriani libri VII. historiæ Alexandri, codex recens; alter ejusdem codex recens bombycinus.

Diogenis Laertii cod. recens bombycinus.

Æliani historia animalium in cod. recenti bombycino.

Platonis libri quidam descripti anno mundi 6822. id est, Christi 1314.

Aristotelis rhetorica in codice XIV. sæc. bombycino.

Alexandri Aphrodiséi codex bombycinus, scriptus anno mundi 7031. id est, Christi, 1524.

Herméi sive Hermiæ philosophi in Platonem codex bomb. qui fuit Vincentii Ponteii, emtusque Venetiis.

Procli in Platonem codex recens bomb. qui fuit Nicolai Tridentini.

Nicandri Theriaca cod. recens bombycinus.

Nicephori μοναχοῦ εἰσαγωγικῆς ἐπιτομῆς lib. Physicus. Seripandus Sebastiani fratris dono accepit, cod. bombycinus.

Codex bombyc. recens. Ἐκ τῶν Περσῶν καὶ Αἰγυπτίων, περὶ τειχῶν καὶ ὑπήνης, καὶ μαχαλῶν, καὶ ἥβης περὶ γενείων. i. *Ex Persis & Ægyptiis; de capillis, barba, maxillis, de pube, & de genis.* Agitur ibi de somniis, codex recens bombycinus.

Oribasii ἰατρικῶν, i. *de medicina*, recens.

Τῶν γηπονικῶν. *de agricultura*, codex recens adespotus.

Stephanus Byzantius περὶ πόλεων, cod. recens bombycinus.

Geographia initio mutila, in codice XV. sæculi, his verbis init.. Πινδάρῳ μὲν τῷ σοφῷ πρὸς λύραν εἰπεῖν· ᾠδῆς ὀφειλέτῃ γενόμενοι. Desinit, ἀμέτρως ἄδιν (*sic*) νοεῖσθαι δύνανται.

Pausanias in codice recenti.

Hephæstionis enchiridion de mensuris, codex recens bomb.

Joannis Curopalatæ compendium historiæ, cod. bomb. XIV. sæculi.

Polyæni Strategemata, cod. recens bomb. incipit : Τὴν μὲν κατὰ Περσῶν καὶ Παρθυέων νίκην ἱερώτατοι βασιλεῖς Ἀντωνῖνε καὶ Οὐῆρε. i. *Victoriam de Persis & de Parthis reportatam, admodum sacri Imperatores Antonine & Vere.*

Aristidis Orationes in cod. bombycino XIV. sæculi. Deinde *Cyprii* ad Andronicum Oratio. Postea *Libanii* epistolæ quædam.

Polemonis Sophistæ εἰς κυνάγειρον, codex bombycinus recens.

Codex bombycinus recens, in quo *Georgii Gemisti* quædam, *Synesii* epistolæ aliquot, *Cleomedis* opera, &c.

Luciani Dialogorum quædam, in codice membranaceo recenti.

Manuelis Moschopulii quædam in codice recenti.

Ejusdem περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων. Ejusdem erotemata in cod. recenti bombycino.

Libanii Antiocheni epistolæ in codice recenti. In fine legitur: αὗται αἱ ἐπιστολαὶ τοῦ Λιβανίου ἦσαν γεγραμμέναι κυροῦ Γεωργίου Λεγιαπηνοῦ. i. *Hæ Libanii epistolæ scriptæ fuerant a domno Georgio Legiapeno.*

Libanii declamationes in codice XIV. sæculi.

Lexicon Græcum *Cyrilli* in codice membranaceo XI. sæculi.

Pollucis Onomasticon in cod. bombycino, qui descriptus est anno mundi 6999. Christi vero 1491.

Joannis Carmelitani Lexicon Latino-Græcum, in 4°. cusum anno 1497. nomen auctoris, manu scriptum est.

Hesiodi editio antiquissima cum notis, Jani Parrhasii manu exaratis.

Procli in Hesiodi ἔργα. *Artemidori* onirocritica cod. recens bombycinus.

Hesiodi Theogoniæ physica expositio in cod. recenti.

Codex bombycinus recens in quo *Æschylus* poëta.

Commentarius in Æschylum recens bombycinus.

Euripides in codice recenti.

Aristophanis codex recens bombycinus.

In alio codice recenti scholion in Aristophanem.

Lycophron cum interpretatione *Tzetzis* : item prosodia *Dionysii* Alexandrini in cod. bomb. XIII. sæculi. Alius item codex *Lycophronis* cum interpretatione *Tzetzis* XIV. sæculi.

Aratus in codice recenti.

Quinti Calabri Κοΐντου & *Orphéi* hymni Κοΐντου μεθ' Ὅμηρον πρῶτον

Editio Anthologiæ vetuſtiſſima elegantibus typis.

Hic codices Græci, ſubſequuntur Latini.

Codex x. ſæculi, *Hieronymus* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cum continuatione *Gennadii.* Scriptores adſunt 230. poſtremus eſt Pomerius natione Maurus, ad calcem legitur:

Ego Gennadius Maſſiliæ presbyter ſcripſi adverſus omnes hæreſes libros VIII. & adverſus Neſtorem (ſic) libros V. & adverſus Eutychen libros X. & adverſus Pelagium libros III. & tractatus de mille annis de Apocalypſi B. Joannis, & hoc opus, & epiſtolam de fide mea, miſſam ad beatum Gelaſium epiſcopum urbis Romæ. In eodem codice exſtat epiſtola Quodvultdei ad Auguſtinum, item Anonymi liber de Hæreſibus.

Ægidii Viterbienſis hiſtoria viginti ſæculorum per totidem pſalmos digeſta, archetypus ad Leonem X. Pontificem maximum.

Martini Ordinis Prædicatorum, chronicon.

Memoriæ ad concilium Tridentinum ſpectantes, a Cardinali *Seripando* collectæ. 2. tom. in 4°.

Conſilium delectorum Cardinalium & aliorum prælatorum de emendanda eccleſia, S. D. N. Paulo, ipſo jubente, conſcriptum & exhibitum M. D. XXXVIII.

Reginaldi Poli de reformatione S. Eccleſiæ.

Probi grammatica Latino-Græca XII. ſæculi.

Commentarius amplus in Cantica Canticorum ſæculi XIII.

Auguſtini Romani in epiſt. ad Corinthios, codex ſcriptus anno 1429.

M. T. Ciceronis codices bene multi, de Oratore duo. Orationum 2. ad Herennium 1. recentes.

Ciceronis de Officiis, Paradoxa, de Amicitia, de Senectute, codex XIII. ſæculi.

Ejuſdem de Inventione, & in eodem codice XII. ſæculi. *Boëtii* de Topicis.

M. T. Ciceronis de Legibus, Academicæ Quæſtiones, Partitiones oratoriæ. Item *Modeſtini* de re militari, de optimo genere Orationis, in codice recenti.

Titus Livius in codice membranaceo XII. ſæculi.

Ejuſdem codex XIV. ſæculi.

Ejuſdem codex recens.

Quinti Curtii codex recens.

Plinius

Plinius junior in codice XIV. sæculi.

Taciti codex recens.

L. Junii Moderati Columellæ de re rustica, codex 250. annorum.

Prisciani Grammaticæ codices tres perantiqui XI. aut XII. sæculi: in quodam eorum hæc carmina leguntur.

Me legat antiquas qui vult proferre loquelas:
Qui me non sequitur, vult sine lege loqui.

Commentaria in Priscianum XIV. sæculi.

Damascenus Mesue XIV. sæculi.

Liber Rasys, qui dicitur Almansorius, a magistro Girardo Cremonensi apud Toletum translatus ex Arabico: codex XIII. aut XIV. sæculi.

Virgilii codex elegantissimus X. sæculi, cum annotationibus brevibus. Alius item codex ejusdem recens.

Servii Commentaria in Virgilium, codex scriptus anno 1007. ut in fine notatur.

Ejusdem quatuor alii codices recentes, quorum unus præfert annum 1462.

Donatus in Virgilium, codex XV. sæculi.

Martialis, codex XV. sæculi.

Decimo quinto sæculo cum litterarum studia per Italiam reviviscerent, Latinæque linguæ usus, jamdiu vitiata, externisque vocibus fœdata pristina illa sinceraque elegantia, ab hominibus prisci saporis, in primigenium statum sensim reduceretur; Joannem Tortelium Aretinum dico, Nicolaum Perottum, Angelum Politianum, Ambrosium Camaldulensem, & alios; litterarum sortem sequuta scribendi & libros exarandi ratio, quæ in perplexam, infinitisque abbreviationibus implicatam characterum figuram deflexerat; ante exortum typographiæ, in pulcriorem exarandi libros ritum deducta, & ad normam codicum octavi & noni sæculi, modico intercedente discrimine, restituta fuit. Innumeri sane ejus formæ codices, curantibus maxime Laurentio & Cosma Mediceis, aliisque per Italiam principibus conscripti sunt. Sub hæc exorta typorum ars ex hujusmodi codicibus exemplum cudendi mutuata est. Hinc fit ut in bibliothecis insignibus, talium codicum magna vis compareat.

Rr

Iſtis diebus nos convenit vir clar. Sanfelicius Canonicus, pietate vir ac genere inſignis : ea familia a gente Normannorum originem ducit. Eratque Sanfelicius quidam gentis auctor, in primis qui XI. ſæculo bellicæ virtutis laude floruere. Obtulit nobis idem Sanfelicius elegantiſſimi antiqui tumuli ſchema, qui cum olim in oppido ſancti Felicis jacuiſſet, demum Neapolim tranſlatus, excipiendis, in eccleſia S. Claræ, Cæſaris Sanfelicii ducis Rhodi cineribus deputatus eſt. Olim ſepulcrum mulieris cujuſdam fuit, florente ſculptoria arte tumulatæ : in cujus antica parte ſolis atque lunæ typi extrema urnæ utrinque occupant. Ara ſuccenſa ad libandum inferiis retro ponitur ; reliquarum figurarum ratio haud ita perſpecta : pueri qui cum reliquis a lateribus poſitis exſtant, defunctæ mulieris filii exiſtimantur. Hic totum proferimus.







In ecclesia S. Mariæ *Donna Romita*, ut vocant, est inscriptio Græca, quam plerumque editam, cum mendis bene multis, neque felicius explicatam, hic restituere visum.

ΘΕΟΔΩΡΟΣ. ΥΠΑΤΟϹ. ΚΑΙ. ΔΟΥΞ
ΑΠΟ. ΘΕΜΕΛΙΩΝ. ΤΟΝ. ΝΑΟΝ
ΟΙΚΟΔΟΜΗΣΑΣ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΔΙΑ
ΚΟΝΙΑΝ. ΕΚ. ΝΕΑΣ. ΑΝΥϹΑΣ. ΕΝ
ΙΝΔ. ΤΕΤΑΡΤΙ. ΤΗΣ. ΒΑϹΙΛΕΙΑΣ
ΛΕΟΝΤΟΣ. ΚΑΙ. ΚΩΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΩΝ
ΘΕΟΦΙΛΩΝ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΣΕΜΝΩΣ ΒΙΩΣΑΣ. ΕΝ. ΤΕΠΙΣΤΙ
ΚΑΙ. ΤΡΟΠΩ. ΕΝ ΤΩ ΜΕΝΣΕ ΟΚΤΩ
ΒΡΙΟΥ. ΕΣΘΑΔΕ. ΖΗΣΑΣ. ΧΡΙΣΤΩ
ΕΤΗ. Ι. ΚΑΙ. Μ.

Adsunt quædam vitia & permutationes litterarum, labente linguæ Græcæ usu inductæ. Ut autem videatur quam necesse fuerit germanam his addere intepretationem, vide mihi, quæso, qualem ediderint.

Theodorus Consul & Dux a fundamentis templo ædificato, & Diaconia de novo perfecta in indit. quarta imperii Constantini pii Imperatoris, præclarus & fide & moribus, sexto mensis Octobris, hic vivens, Christo annos quinquaginta.

In editis legitur : Ἐκ τῷ μῆνσε ὀκτωβρίου. quæ lectio non quadrat, vox enim *mense* legendum indicat ἐν τῷ μῆνσε. cum alias ἕκτῳ non possit hic pro die mensis adscribi, nam ἕκτῃ legendum esset, supple ἡμέρᾳ. Aiunt item ex indictione & die mensis annotata deprehendi annum 616. quod item ἀπροσδιόνυσον est : nam illo anno non Constantinus sed Heraclius imperabat. Inscriptionis igitur hæc est sententia.

Theodorus Consul & Dux cum a fundamentis templum hoc excitasset, & Diaconiam de novo perfecisset ind. quarta; Leone & Constantino piis Imperatoribus præclarus fide & moribus ætatem duxisset; mense Octobri hic repositus est, cum vixisset in Christo annos quinquaginta.

Imperatores hic notati, sunt, ni fallor, Leo Isaurus, ejusque filius & successor Constantinus Copronymus. Inscriptio porro ex ecclesia SS. Joannis & Pauli, cujus fundator erat Theodorus, in ecclesiam S. Mariæ *donna Romita* translata est, postquam illa SS. Joannis & Pauli Jesuitarum collegio adtributa ac diruta fuit.

Octava Novembris, comite Bulifonio filioque ejus Philippo. qui nos per Neapolitanas moras officiis suis prosequuti sunt, res Puteolanas Baianasque inspectum imus; quæ cum plus millies enarratæ ac scripto traditæ fuerint, ne lectori fastidium adferamus de more mittimus. Liceat solùm quædam observata nobis adducere in medium. Spelæum canis, ut vocant a frequentibus, intromisso cane, lethiferi vaporis experimentis; non ita ferales uti quondam halitus emittit; nam diu multumque canis qui admotus huic rei fuerat, agitatione motuque frequenti expedire & amovere sese tentavit, antequam interceptis sensibus prostratus jaceret: quod alii quidem expertos sese immissis canibus dictitant. Tum si canis vel quodlibet animal deterrimo vapore confectum, in aquam immittatur quamlibet; neque enim necessaria in Anianum vicinum lacum immersio, statim reviviscit, illæsumque abit.

Sulphurariam adeuntes incidimus in tropæum antiquum marmoreum, egregie cælatum, quinque pedum longitudine, latitudine vero trium, nuper effossum integerrimumque; olim victoriæ cuidam nobili erectum: at nulla adest inscriptio qua rei gestæ ac significatæ judicium feramus. Sulphurariam egregie describit Arbiter: quamquam ejus hodierni interpretes de monte Vesuvio dictum nec satis considerate tradant. Sic ille:

Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocyta perfusus aqua: nam spiritus extra
Qui furit effusus funesto spargitur æstu.
Non hæc autumno tellus viret aut alit herbas
Cæspite lætus ager: non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos & nigro squallentia pumice saxa.
Gaudent ferali circumvoluta cupressu.
Has inter sedes Ditis pater extulit ora
Bustorum flammis & canâ sparsa favillâ.

Me ſane fugit qua ratione id de Veſuvio monte dictum autument, cum accurate ſitus voraginis exprimatur, nimirum *Parthenopen inter*, id eſt, Neapolin, *magnæque Dicarchidos arva*; videlicet, Puteolana arva: nam Puteolis Dicearchis olim nomen fuit: ſicque clare & ſine ambage ſulphurariæ locus exprimitur. Quæ ſuperſunt Puteolis confinia rudera, arguunt ſane jure magnam Dicearchidem vocatam: nam lata in agro Puteolano detinent ſpatia.

Erant, cum nos Neapoli ageremus, qui de ducendo a mari ad Avernum lacum canali tractarent, quod olim Auguſtum effeciſſe tradit Suetonius. *Portum Julium*, inquit, *apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit.* At fortaſſis jam mutata facie ſoli, & Lucrino lacu eruptione terræ lapidumque ingenti arefacto, majoris operis & conſilii res eſſet: cum maxime Baianum littus ad multum ſpatii ea in parte vadoſum, ut quidem aiunt, onerarias naves non ferat. Certe ſi poſſet in Avernum lacum aptus nauticis profunduſque canalis deduci, nullus in Mediterraneo portus aut tutior, aut amplior foret.

Lucrinus lacus olim peramplus & conchiliorum ſapore clarus, jam pene exſiccatus & caſu terrâ oppletus eſt. Etſi vero nota res eſt qua demum ratione id prodigii evenerit: oculatis teſtibus eventum reſcripto dato narrantibus; quia tamen res tanta Italico eodemque ſubbarbaro idiomate publicata eſt; animi cauſâ Latine dare viſum, quod adeo ſtupendum caſum nuſpiam me legiſſe meminerim.

Die 30. menſis Julii 1587. Puteolis.

Magnificus Dominus Antonius Ruſſus de Puteolis, ætatis annorum octuaginta, & plus in circa, teſtis ſummariè productus, & medio ſuo juramento interrogatus, & examinatus ſuper tenore memorialis magnificæ Univerſitatis Puteolanæ, dicit. Hæc Latinè præmittuntur, ſequentia vernaculo idiomate ſcripta, a me Latio data ſunt.

Meminiſſe ſe a puero ad feſtum S. Spiritûs in oppidum Tripergolam ubi eccleſia eidem ſacrata aderat, frequenter ventitaſſe, & in celebritatis gratiam loci præfectos conſueſſe ceraſa eodem confluentibus quibuſque offerre; feriaſque hujuſmodi fuiſſe ludis tripudiiſque frequentatas. Situm noſocomium ſe vidiſſe in partibus oppiduli demiſſioribus, balneis ſalubritatis

causâ instructum ; ac triginta circiter lectos in peregrinorum atque incolarum usum, qui infirmitatis gratiâ balneis & sudatoriis operam darent. Vicum ibidem populosissimum diversoriis tribus ornatum, pro nobilibus atque honestis viris, aquas calidas pro medela petentibus. Inerat, aiebat ille, Pharmacopolium, unde nosocomio, ut æstimabat ipse, remedia & pharmaca subministrarentur. Seque exinde cum per ætatem rerum conditionem capere atque æstimare facultas esset, comperisse Tripergolanum nosocomium Magistrorum, ita scilicet vocabant, cura administratum. Eoque munere functum novisse se Paridem Adamianum, Puteolanum civem, qui cum anno quodam, nam annuum erat officium, rem Magistri nomine rexisset, subinde ejusdem nosocomii patrocinium & curam semper habuerat. Verum elapsis aliquot annis, currente 1538. die festo S. Hieronymi, memoratam urbem terræ motu ingenti succussam fuisse, repetitisque vicibus sic agitatam, ut præ formidine universi pene solum verterent, & partim Neapolin se proriperent, partim circumquaque in diversa loca fugam facerent. Tum confusa & horrore plena omnia, ac si mundus totus in præcipitium ac perniciem isset. Pauperes pro facultate quemque sua nudos aufugisse. Seque cum pari consilio ab imminenti exitio cum uxore ac liberis declinaret, offendisse in Puteolana porta mulierem Zizulam nomine, Hieronymi Barberii uxorem seminudam, passis crinibus, indusioque duntaxat lineo obvelatam, asello vectam ut ingruenti ruinæ se subduceret. Tum ejulare omnes, gemitus edere, misericordiam divinam implorare. Sub hæc, primâ secundâve noctis horâ, proxime nosocomium hiatu atque voragine facta, in quodam loco cui *fumosa* nomen, horrendam erupisse flammam, arenæ petrarumque vim maximam altitudine incredibili emissam & circumquaque sparsam : hinc, aiebat, tonitrua, fulgura, tremendi ignes terram undique collustrabant, arenâ inter hæc pluviæ instar decidente. Voraginem illam ingentem infernalemque, quæ propter maris oram primo eruperat, vicina spatia sensim occupasse, nulla eruptionum, nulla ejectæ materiæ data intermissione, donec correptum clade tanta oppidulum atque nosocomium, quasi stipulam igni traditam absumeret, obrueretque magnis molibus. Datoque horarum viginti quatuor spatio, deletis, absumtis, perditisque omnibus, mons ille novus co-

rum loco visus, omnibus stupori fuit.

Idipsum quoque testificati sunt octo senes tam horrendi eventûs oculati testes, qui dicta superius confirmarunt. Oppidi Tripergolani nosocomiique fortunam habuit famosus ille Lucrinus lacus totus pene absumtus, cujus magna pars jam montis novi radicibus occupatur. Rem sane monstri similem, cujus singularitatem, ne prisca quidem illa poëtica commenta attigerint. Est autem mons ille novus præaltus asperoque solo.

Proxime Baias tranquillo mari, in aquæ fundo via more Flaminiæ & Appiæ strata conspicitur saxis prægrandibus, quo arguitur, mare quod aliis in locis recedens, solum aquis nudatum late deseruit; his in partibus vicinas inundasse terras. Cætera, nempe sepulcrum Agrippinæ, templa in maris ora posita, piscinam mirabilem, Eliseos campos, &c. utpote trita de more silentio præterimus. Monere tamen juvat, templa Veneris, Mercurii, Apollinis, nullo indicio id nominis præferre. Is est enim mos hodiernus, ut si qua rudera antiqua templi formam præferentia occurrant, malint antiquarii, divinando cujusque assignare nomen, quam ignorantiam profiteri suam. Ibidem in quibusdam templis locisque subterraneis observatur obduci muros cæmento, in quo figuræ egregiæ formæ prominent, ad florentem artium ætatem referendæ. Templa Herculis Bauli ac Dianæ Luciferæ non temere id nominis præferunt; nam erutæ ibidem inscriptiones, iis numinibus olim sacrata docent.

Antequam Neapoli discederemus, bibliothecæ manuscriptorum Monasterii S. Severini sequentem notam excepimus.

Biblia sacra multis voluminibus x. sæculi.

Psalterium Græco-Latinum XII. sæculo conscriptum, ubi Græca singulari characterum formâ sunt.

Origenis in Cantica, aliorum item in Cantica quædam; & *Bernardi* item in Cantica. Codex XII. sæculi, haud diu post S. Bernardi obitum conscriptus videtur. In alio item codice XIV. sæculi, *Bernardi* in Cantica.

Commentaria Anonymi in Apocalypsin, codex initio mutilus XI. sæculi. Item alius in Cantica similis.

S. *Ephrem* quædam in codice XII. sæculi.

Augustini in Psalmos codex egregiæ notæ x. sæculi, tomis duobus.

Augustini sermones quidam & retractationes in codice XII. sæculi.

Prosper de vita contemplativa, codex XI. sæculi.

Gregorii magni dialogi in codice XII. sæculi.

Bacharii (sic) de reparatione lapsi ad Januarium. Ita init: *Nisi vererer, beatissime frater, ne inter simulatos amicos Job*, &c. In eodem codice XII. *Ephremi* diaconi & *Joannis Chrysostomi* de eodem argumento.

Bruchardi solo nomine (sic) *episcopi Vormacensis* de jure Episcopali ad Brunichonem.

Catalogus epistolarum S. Bernardi cum indice earumdem, ordine alphabetico, a Francisco *Ascocota* episcopo Sarnensi, jussu Joannis XXII. Papæ, codex eodem tempore conscriptus.

Liber de Consideratione quintæ essentiæ omnium rerum, pauperibus Evangelicis viris erogatus, editus a magistro Joanne *de Rupescissa* ordinis fratrum Minorum. *Dicit Salomon Sapientiæ in capitulo 70. Deus dedit mihi.* cod. XV. sæculi.

M. T. Ciceronis de Divinatione & Somniis a Marino Tomacello conscriptus XV. sæculo.

Ejusdem de Oratore.

T. Livius exscriptus anno 1435. XV. Kal. Martii a Joanne Frigerio.

Plinii epistolæ in duobus codicibus recentibus.

Senecæ epistolæ, quæ incipiunt ab epistolis Senecæ ad Paulum & Pauli ad Senecam.

Virgilii Bucolica & Georgica in cod. recenti.

Ovidii Fastorum cod. XV. sæculi, membran.

Aulus Persius in codice XIV. sæculi.

Juvenalis XII. sæc. &c.



CAPUT

CAPUT XXII.

De Capua veteri ejusque amphitheatro. Monasterium Casini montis. Bibliotheca ibidem. Vestium Monachalium veterum schemata. Archivum insigne. De prærogativis Casinensis Abbatis, creandi nobiles, cogendi exercitus, &c.

DECIMA Novembris, iisdem qui obviam venerant ad octo milliaria comitantibus, in Casinum montem iter instituimus. In Capuæ veteris vestigiis sistimus parumper spectandis maxime Amphitheatri ruderibus: quod quidem uni Romano Coliseo magnificentiâ, amplitudine & ornamentis paulum concedebat; cæteris vero quorum hodie vestigia comparent, longe præerat: quatuor architectonices ordinibus perinde atque Romanum decorabatur. In primi sive inferioris ordinis epistyliis, capita numinum egregie cælata visuntur hodieque; in secundi, icones ab umbilico eorumdem numinum inerant; in tertii epistyliis integræ statuæ erectæ, quod ornamenti genus a Romano Coliseo aberat: eratque sane res admodum singularis, totam veterum numinum turbam, uno circuitu germanâ singulorum formâ dispicere. Ambitus exterior ingentibus saxis constat, interiora vero lateritia sunt. Quæ supersunt reliquiæ in dies amoventur, variisque usibus pro libidine destinantur. Qua die istac iter habuimus, primi ambitus lapides eruebantur sternendæ publicæ viæ. Haud procul amphitheatro erigitur triumphalis arcus, jam ornamentis spoliatus suis, quem perinde atque amphitheatrum extra muros veteris Capuæ fuisse narrant. Cætera nobilissimam antiquam urbem spectantia accurate descripta sunt in veteris Capuæ ichnographia simul & scenographia, studio & opera Cæsaris Costæ, olim archiepiscopi Capuani, edita & typis data Neapoli anno 1676. additis rerum & monumentorum explicationibus.

Insequente antiquam viam stratam sequimur, quam ramum Appiæ esse æstimant periti. Hujus certis in locis revulsi lapides sunt, ut ne iter agentibus officiant: hinc vero via vetus, hodier-

nâ aliò deflectente, agros torrentesque trajicit. In montem Casinum undecimâ Novembris advenimus, atque à D. Erasmo Gattola hospitaliter habiti, nulloque non humanitatis officio excepti sumus. Primis post accessum diebus spectandis Monasterii locis vacamus: mirari sane subiit quod tam arduum in locum carris non pervium, tantæ moles, columnæ, marmora & alia id genus advecta sint. In quodam impluvio columnæ porphyreticæ truncus adest, qua spissitudine nullam ejus materiæ vidimus, tres enim circiter pedes regios a diametro habet. Ad pedem montis Casini, castri veteris quædam rudera supersunt, amphitheatrum, antiqui templi in sacellum versi reliquiæ saxis ingentibus, collis aggestâ terrâ ad fluvium de industria erectus, quem aiunt olim ad Varronis villam istis in partibus positam pertinuisse. Hæc in transcursu dicta sint, cæteris namque, utpote tritis, enarrandis supersedemus.

Hinc, quod maxime cordi erat, ad codices vertimur, quorum adhuc festiva copia superest. Eorum notam peramplam cum Græcorum qui pauciores comparent, tum Latinorum, excerpsimus, quæ suo loco, Deo dante, proferetur. In codice XI. sæculi, & in alio ejusdem ætatis vestes Monachorum, manu, ut illo ævo non imperita, repræsentantur. In priore talis a fronte nota præmittitur.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo secundo indictione decima. Cum post transitum sanctissimi & eximii Patris Benedicti in hoc ejus venerabili cœnobio Casinensi ubi sacratissimum ejusdem Patris & Legislatoris nostri, qui (sic) ipsius egregiæ sororis Scholasticæ corpora honorifice humata quiescunt, septimo & tricesimo loco Domnus Desiderius venerabilis Abbas præesset; inter cætera suorum monimenta magnalium, quibus præ omnibus suis antecessoribus mirifice floruit, hunc quoque pulcherrimum librum describi præcepit, continentem scilicet eas lectiones quæ in Vigiliis præcipuarum festivitatum, id est, Nativitatis Domini, sancti Stephani, sancti Johannis Evangelistæ, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, ac Pentecostes debeant legi. Quem videlicet librum ego frater Johannes Marsicanæ dudum ecclesiæ Archipresbyter, nunc autem ultimus ejusdem sancti loci famulus; ob meam meorumque salutem, ex propriis sumptibus componere feci. Ipsique sanctissimo Patri Benedicto, eo die quo ejus habitum suscepi, super illius sacrum altare devote obtuli. Contestans de cætero ut si quis hunc quolibet obtentu



ex hoc ſancto loco auferre præſumpſerit, cum illis manſionem ſortiatur æternam, quibus in extremo judicio dicturus eſt Chriſtus : Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus.

Quiſquis autem hæc legeris, ſubjectum quoque diſticon legere ne pigriteris.

Hujus ſcriptorem libri, pie Chriſte, Leonem
In libro vitæ dignanter ſupplico, ſcribe.

Qui ſedens exhibetur extenſâ dexterâ, ſiniſtrâque baculum recurvum tenens, S. P. Benedictus eſt, pedibus terens veſtem, cucullam æſtimo. Eam genuflexus Johannes ſubducit, qui fortaſſe ritus in admittendis novitiis in uſu fuit. Hæc porro carmina prope Johannem ſupplicem poſita leguntur:

Accipe dignanter quod fert, Pater alme, Johannes
Munus, & æterni ſibi confer munera regni
Supplici, ac votis pius inde faveto Leonis,
Eſt ſtudio cujus opus actum codicis hujus.

Ex altera parte Deſiderius Abbas codicem, qua forma hodieque in bibliotheca conſpicitur, manibus tenet & S. Benedicto offert. Diaconus manum Deſiderii humeris admotam habens, videtur eſſe Leo qui codicem exſcripſit.

In alio codice paris ætatis, Monachi non cucullati, ut in ſchemate vides, exhibentur, ſcapulari undique clauſo, quod pridem aliis item in codicibus obſervatum eſt. Eodem cultu exſtant ibidem Monachi, labori manuum vacantes, oneraque deferentes.

Eſt ibidem archivum nobile, diplomatibus pene innumeris inſtructum, curante D. Eraſmo Gattola, harumce rerum peritiſſimo. Is dono obtulit nobis apographa quædam privilegiorum Caſinenſis Abbatis. Quæ quidem hujuſmodi ſunt, ut vix ſimilia Monachis conceſſa ferantur : & quia res ſingularis eſt, & hactenus intacta ſive parum obſervata, non ingratum lectori fore ſperamus, ſi quædam hujuſmodi in medium adferantur.

Inerat Abbati Caſinenſi facultas ex ſubditis ſuis nobiles

creandi, quotquot ad id muneris honorisque aptos æstimaret. Quod utique liquidum ex diplomate Bernardi Abbatis Casinensis anno 1273. Septembris 11. in gratiam Universitatis sancti Angeli in Theodice. *Volumus*, ait ibidem, *statuimus & firmiter ordinamus, ut omnes nobiles ejusdem castri qui per nostras litteras vel privilegium nobiles designabuntur, ad hoc quod melius vivere valeant, & melius possint alia sua onera supportare, de ordeo, spelta, avena & surico, de vino etiam, & hortis nihil Monasterio Casinensi persolvant, aut reddere compellantur; nec ut terraticum, nec ut decimam spiritualem; sed omnino a præstatione prædictorum sint liberi & essenti* (sic). Exstat in Archivo instrumentum, quo in nobilium ordinem ab Angelo Abbate Casinensi adlegitur Joannes Petri Divii de sancto Victore regalis Cancellariæ notarius, neque ipse solùm, sed omnes etiam *ejus posteri utriusque sexûs in perpetuum.*

Licebat item Casinensi Abbati exercitum cogere, quod quidem supremi dominii signum est vel maximum, atque urgente casu bella movere, ut ex documenti cujusdam verbis propalam est, ubi subditi ejusdem Monasterii jurati talia fantur: *Quod si contingat dictum Monasterium vel Dominum Abbatem ejusdem, movere exercitum, servire sibi tenentur prædicti homines in prædicto exercitu, expensis propriis ipsorum hominum tribus diebus: quibus elapsis tenentur servire ad expensas ipsius Monasterii vel Abbatis.* Quibus consonat instrumentum aliud Bernardi Abbatis. *Item si contingat Monasterium vel Abbatem ejusdem, movere exercitum, homines dictorum locorum tenentur servire eidem in eodem exercitu expensis propriis tribus diebus, quibus elapsis tenentur servire ad expensas ejusdem Monasterii.* Ex privilegio autem quod ab eodem Bernardo Abbate, anno 1267. Octobris 31. oppido S. Germani concessum est, dux sive comestabilis in eodem oppido deligendus erat. *Insuper*, inquit, *volumus & concedimus ut comestabilis militum in sancto Germano & per totam Abbatiam assumatur, & sit de sancto Germano, quia sic hactenus extitit observatum.* In aliis eadem de re documentis edicitur, ut subditi Monasterii non pedites modo, sed equites, si qui equos habeant, ad militare pergant officium.

Penes Abbatem Casinensem item erat potestas eligendi protonotarium aliosque cujuslibet ordinis officiales, rerum civilium administratores.

Quodque observatu dignum Episcopi per Neapolitanum regnum in Vicarios generales Abbatis Casinensis adlecti plerumque; id muneris honori sibi esse rati, eo fungi non aspernabantur: cujusmodi exempla bene multa proferre in promtu. Sic Angelus de Raymo episcopus Ariani in quodam diplomate sese Abbatis Casinensis Vicarium generalem dictitat. Itemque Nicolaus de Vinionis episcopus Ferentinus tali munere functus fertur, necnon Antonius episcopus Litterensis anno Christi 1441. Ardovinus episcopus Cyrenensis anno 1538. & alii. Quodque incredibile dictu, ipse Neapolitanus Archiepiscopus officium hujusmodi gessisse fertur in diplomate his verbis: *Nos Anglerius miseratione divina Neapolitanus Archiepiscopus & Vicarius Reverendi patris & fratris D. B. Casinensis Abbatis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod ejusdem fratris nostri speciali auctoritate suffulti, religiosum virum fratrem Theodinum de Capistrello Monachum Casinensem, quem suis exigentibus culpis idem frater noster in carcerem tenuit hucusque inclusum &c.* Datum fuit instrumentum anno Christi M. CC. LXX. jubetque Anglerius Theodinum in pœnitentiæ gratiam e carcere eductum in aliud Casinensi subditum Monasterium commigrare. Aliud item instrumentum ibidem exstat, cujus exordium sic habet: *In nomine Dei æterni Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejusdem M. CC. LXX. regnante domino nostro Carolo Dei gratiâ Siciliæ serenissimo rege, Ducatûs Apuliæ, Principatûs Capuæ, almæ Urbis Senatore, Andegavensis provinciæ & Forchalquerii magnifico Comite, ac Romani imperii per sanctam Romanam ecclesiam Vicarius generalis, (sic) regni vero ejus anno quinto feliciter, amen. Die Mercurii XIIII. mensis Martii, XIII. indictionis apud Neapolim. Nos Anglerius &c.* Jubet ibidem Theodinum pœnitentem in quoddam pro lubito Sardiniæ Monasterium transmeare: si renitatur in pristinam excommunicationis sententiam reducit, & in pœnam insuper centum auri uncias pendere mandat; datis solvendæ pecuniæ fidejussoribus, quia id Monachus spoliatus omnibus solvere non posset &c.

Singularis est Leonis IX. Bulla, quæ Richerio Abbati Casinensi concedit Monasterium sanctæ Crucis in Jerusalem, in cujus sigillo plumbeo appenso non adsunt imagines SS. Apo-

ſtolorum Petri & Pauli , atque loco fili ſerici pellicea ligula adhibita eſt : eam hic proferre viſum.

» LEO Epiſcopus , ſervus ſervorum Dei, Richerio Abbati
» Monaſterii S. Benedicti , quod ponitur in monte Caſino ,
» tuiſque ſucceſſoribus perpetuam in Domino ſalutem. Creditæ
» ſpeculationis impellimur cura , etiam ardore Chriſtianæ reli-
» gionis , & ſtudio divini cultûs promovemur pro venerabilium
» locorum percogitare ſtabilitate , atque Deo ſervientium ſecu-
» ritate ; ut hoc proveniente pro labore , & animæ Chriſto dicatæ ,
» quæ ſe illi diebus vitæ ſuæ ſervituras decreverunt , perſeverent
» imperturbatæ ; necnon & illa maneant fine tenus firma , quæ
» à Chriſtianis in Dei laude contractata ſunt. Quia igitur con-
» ſtat Monaſterium Jeruſalem , quod etiam dicitur ſanctæ Cru-
» cis , jam elapſo tempore a congregatione Monachorum Dei
» tali loco competente vacaſſe , & ſollicito nulli præpoſito in eo,
» aut Monachis habitantibus traditum ; permoti proinde com-
» paſſione tanti piaculi , ac compulſi dolore , Apoſtolica aucto-
» ritate providimus Monaſterio tibi commiſſo idem Monaſte-
» rium ſociare , quatinus a præſenti ſecunda indictione , atque
» in perpetuum (ſic) a te, tuiſque ſucceſſoribus cum tibi omni-
» bus in integro ſubjacentibus diſponatur , atque cum Dei timo-
» re regatur , & veſtro conjunctum ſubſiſtat Monaſterio ; ita ut
» in eodem venerabili loco Domino Deo noſtro laudes exſolve-
» re debeatis. Nullam vos rationem exinde vel ei pertinentibus,
» niſi ſoli Deo , ac noſtræ auctoritati ſolvendam ſtatuimus. Fa-
» brica etiam , ſeu luminariorum concinnatio indifferenter vobis
» ſine dubio procurantibus efficiatur. Nulla proinde in exſolven-
» dis Deo laudibus , vel in luminariis concinnandis mora pro-
» veniat : ſed devota ſinceritate peragere feſtinate , ne per in-
» cautæ deſidiæ culpam judicii vos futuri metus concutiat. Po-
» tius elaborare ſtudete , ut divina placetur veſtro conatu cle-
» mentia , poſſitque manere hoc , quod a nobis juſta delibera-
» tione decretum eſt futuris inconvulſe perpetuiſque temporibus.
» Conſecratio tamen Abbatis loci ipſius, a vobis ſecundùm Deum
» electi , ſemper expectetur a noſtra Apoſtolica ſede , ſub cujus
» exiſtat jure. Numerus autem Monachorum ibidem Domino
» ſerviturorum, tantus ſemper exiſtat quantus ſecundum loci poſſe

ſufficiat quam duodecimus, (ſic) qui etiam ſecundum ipſum « poſſe habeant victum & veſtitum, ut nulla in perpetuum di- « vini ſervitii negligentia ſit. Hoc enim ad augumentum, (ſic) & « incrementum ejuſdem eccleſiæ fecimus, ut ex abundantia ve- « ſtri Monaſterii ejus paupertas ſuppleatur, & tam nobis quam « vobis veſtriſque ſucceſſoribus merces æterna reddatur. Bene « valete. Leo Papa: Miſericordiâ Domini plena eſt terra. «

Quæ ſuperius de Theodino Monacho notantur, in Sardiniæ Monaſterium quoddam Caſinenſi ſubditum tranſlato, ex Bulla Lucii III. Papæ lucem mutuantur; is enim nonnulla ejuſdem inſulæ Monaſteria Caſinenſi Abbati ſubjecit. Bulla ſic habet.

LUCIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Petro « Caſinenſi abbati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. « Quæ locis religioſis pietatis intuitu conferuntur, firma volumus « & illibata perſiſtere, & ne pravorum nequitiâ perturbentur, « Apoſtolico præſidio communire. Hac itaque conſideratione ra- « tionis inducti, & tuis nihilominus precibus inclinati, eccleſiam « ſancti Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis ſuis, quam « per dilectum filium noſtrum nobilem virum Baraſon Arboren- « ſem judicem, diœceſanis Epiſcopis aſſenſum præbentibus, com- « miſſum tuæ curæ, cœnobium eſt canonice conſequutum, ſi- « cut in ſcripto ejus authentico continetur, & eam juſte ac ſine « controverſia poſſides, tibi & per te Monaſterio tuo, auctori- « tate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio « communimus. Ad majorem autem hujus facti notitiam idem « ſcriptum inferius duximus annotandum. In nomine Patris, & « Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Peccatorum pondere prægra- « vatis principale reperitur remedium, ut temporalem ſubſtan- « tiam Chriſti pauperibus erogare feſtinent, Domino ipſo dicen- « te: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*; & iterum: « *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis* « *recipiant vos in æterna tabernacula.* Ideoque hanc vocem au- « diens ego Baraſon Rex & judex, avi & patris mei ſequens pro « poſſe pia veſtigia, conſentiente uxore mea Regina Algaburga, « necnon & Epiſcopis noſtris Mariniano Zorachi de Terra alba, « & Comitano Pais de Ala, pro redemptione animarum no- « ſtrarum & parentum noſtrorum, tradimus, donamus atque «

» concedimus ecclesiæ S. Benedicti de monte Casino, ecclesiam
» S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis suis, cum ser-
» vis & ancillis, terris, vineis, cultis & incultis, saltibus & pra-
» tis, & sylvis, atque piscationibus, necnon & animalibus, &
» cum omnibus quæ in chartula ejusdem Ecclesiæ continentur
» scripta; tali pacto atque conventione, ut duodecim ibidem
» ad Deo serviendum, si tamen supradicta Ecclesia hos sustine-
» re sine sui detrimento potuerit, dirigat Monachos, ex quibus
» tres vel quatuor ita sint litterati, ut si necessarium fuerit in
» Archiepiscopos & Episcopos possint eligi, & etiam regni nostri
» negotia sive in Romana curia vel in curia Imperatoris, & ubi-
» que valeant tractare. Si vero tantos sustinere non potuerit præ-
» dicta Ecclesia, septem, vel quantos secundum consilium no-
» strum visum fuerit, transmittat, de qua Ecclesia viginti byzan-
» tios, & non plus, annuatim accipiat ecclesia S. Benedicti
» montis Casini, nisi forte aliquid intervenerit eidem Ecclesiæ
» impedimentum, vel pro curia Romana, vel pro guerra, vel
» certe pro regni sui negotio, vel etiam pro comparatione ali-
» cujus terræ. Michi autem, vel alicui alteri non liceat aliquo
» modo supradictam S. Nicolai repetere vel inquietare ecclesiam,
» si supradictam tenere voluerint conventionem. Testes Maria-
» nus Zorraki episcopus Terralbe, & Comitanus Pais episcopus
» Alæ, & Ponthus Curator de Bonorzuli, & Comitanus Fronf-
» acute Curator de Campitanno, & Comitanus de Lacon pedes
» Curator de Valensa, & Constantinus Spanus Curator de Fro-
» doriane Judex, Parason de Gallun Curator de Miili, Orzo-
» cho de Lacon filius meus Curator de Giltiber, Orzocor de
» Lacon Arborikesus Curator de Barbaria de Meana, Constan-
» tinus Manca Curator de Mantra Olisai, Johannes de Vinea
» Buiakesorum major cum totis suis sociis, Petrus Paganus,
» quamvis indignus, sacerdos qui hæc omnia scripsit. Si quis
» autem contra hanc nostræ donationis chartulam aliquid mo-
» liri voluerit, omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritûs san-
» cti, necnon & Beatæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ,
» & omnium cœlestium Virtutum, & sanctorum Patriarcharum,
» & Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Discipulo-
» rum, Innocentium, Martyrum, Confessorum atque Virginum,
» & omnium incurrant maledictionem Electorum. Amen. Qui
» autem huic chartulæ consenserint, & eam confirmaverint, &
veram

veram eſſe crediderint, habeant benedictionem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, necnon & Beatæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ, & omnium cæleſtium Virtutum, & ſanctorum Patriarcharum & Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Diſcipulorum, Innocentium, Martyrum, Confeſſorum atque Virginum, & omnium Electorum, Amen. Hæc omnia ſunt ordinata, & firmata anno milleſimo centeſimo octuageſimo ſecundo. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſutum. Datum Velletri ſecundo Kalendas Julii.

Adeſt ſigillum plumbeum pendens, ex una parte inſcriptum habens, *Sanctus Paulus, Sanctus Petrus*, ex altera, *Lucius Papa Tertius.*

In archivo Caſinenſi pleraque alia regum Sardiniæ diplomata comparent, vernaculo inſulæ idiomate conſcripta, quæ adferenda non putamus. Juvat duas Honorii bullas in medium adducere, ubi Monaſterium quoddam Conſtantinopolitanum Caſinenſi adtributum fertur.

HONORIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Caſinenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum producatur effectum. Cum igitur bonæ memoriæ Benedictus tituli ſanctæ Suſannæ, presbyter Cardinalis, legationis exercens officium in partibus Romaniæ, Monaſterium ſanctæ Mariæ de Virgioti extra civitatem Conſtantinopolitanam infra duo milliaria ſitum, cum univerſis pertinentiis ſuis, rationibus & proprietatibus auctoritate legationis ejuſdem vobis & per vos Monaſterio conceſſerit Caſinenſi; ita tamen, quod Monachi Græci commorantes ibidem per vos inde nullatenus expellantur, ſicut in ejuſdem authentico perſpeximus plenius contineri; Nos veſtris juſtis precibus inclinati conceſſionem ipſam, ſicut proinde facta eſt, ratam habentes, authoritate Apoſtolicâ confirma-

" mus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo
" omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis
" infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc
" attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, &
" beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſu-
" rum. Datum Anagnæ XIII. Kalendas Junii. Pontificatûs noſtri
" anno primo.

Adeſt ſigillum plumbeum
" S. Petrus. S. Paulus.
" Honorius Pp. III.

" HONORIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Dilectis
" filiis, Abbati & Conventui Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Vir-
" giotis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Qualiter bonæ
" memoriæ B. tituli ſanctæ Suſannæ presbyter Cardinalis in par-
" tibus Romaniæ Apoſtolicæ ſedis legatus eccleſiam veſtram mo-
" naſterio contulerit Caſinenſi, cujus conceſſionem authoritate
" duximus Apoſtolicâ confirmandam, veſtra ſicut credimus diſ-
" cretio non ignorat. Inde eſt quod univerſitatem veſtram mo-
" nemus attentius, & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta
" mandantes, quatenus illos, quos dilecti filii Abbas & Conven-
" tus dicti Monaſterii ad partes veſtras duxerint deſtinandos, re-
" cipientes honeſte & honorifice pertractantes, illorum monitis
" & mandatis obediatis humiliter & devote. Datum Laterani XV.
" Kal. Decembris, Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.

Adeſt ſigillum plumbeum.
" S. Petrus. S. Paulus.
" Honorius Papa Tertius.

Penes Abbatem Caſinenſem erat facultas proſcribendi, atque in aliorum uſus transferendi bona ſubditorum, qui grave quodpiam facinus admiſiſſent, quod in diplomate Bernardi Abbatis obſervatur. Is enim Petrum de Jenetes alloquens, talia fatur: *Damus & concedimus tibi omnia bona ſtabilia quæ fuerunt Joannis de Guidone Clerici de ſancto Elia, proditoris excellentiſſimi domini noſtri Regis Caroli ...... quibus bonis idem Joannes Clericus propter ſuam manifeſtam proditionem, qui debitæ fidelitatis immemor, adhæſit nequiſſimo Corradino Dei, ſanctæ Romanæ eccle-*

siæ, ac dicti domini nostri Regis adversario, per nos juste destitutus & privatus est.

Urbani V. auctoritate sancitum est, ut Casinenses psalterio Gallicano uterentur, ut ex bulla sequenti comprobatur.

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis, Abbati & conventui Monasterii Casinensis ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis, Romanæ ecclesiæ subjecti, necnon universis conventibus & Monachis membrorum ejusdem, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum usus psalterii Gallici tam in Romana curia, quam in majori parte ecclesiarum & Monasteriorum habeatur frequentior quam Romani, cujus usus servatur in vestro Monasterio Casinensi; nos nolentes quod in hoc a dictis curia & aliis pluribus ecclesiis discrepetis, discretioni vestræ in virtute sanctæ obedientiæ, & per Apostolica scripta mandamus quatenus de cætero utamini psalterio Gallico prælibato. Tuque, fili Abbas, contradictores per regularem disciplinam, & etiam censuram ecclesiasticam, si opportunum fuerit, postposita appellatione compescas. Datum Romæ apud sanctum Petrum 4. nonas Martii, pontificatûs nostri anno VIII. Nic. G. de mandato Domini nostri Papæ. Bartholomæus. Locus ✝ sigilli plumbei pendentis.

Agmen claudat ejusdem Urbani V. decretum memorabile, quo sexagesimam redituum innumeris pene Monasteriis solvendam edicit, pro restauratione Ecclesiæ ac Monasterii Casinensis, ingenti terræ motu succussi atque prostrati. Hujusmodi bullæ lacinias solùm proferimus, dataque fuit anno 1369. 15. Kal. Martii.

MONASTERIUM Casinense quam olim fuerit famosum & celebre, quantaque veneratione sit dignum, Beati Benedicti, qui ejus exstitit Institutor & cultor, gesta mirifica manifestant. *Et infra*, Regulam quoque Monachorum, mira discretione præditam, luculentamque sermone, paterna caritate conscripsit; ex qua sibi nati sunt filii in omnium pene fidelium climatibus constituti, usque ad finem sæculi, cum auxilio divinæ gratiæ, successiva propagatione victuri: & tandem ibidem in Domino requievit. Post ejusdem quoque Patris bea-

» tissimi transitum ad vitam perpetuam, in eodem Monasterio » præfata regula observantiâ præcipuâ noscitur viguisse. Erat nam- » que ibidem multitudo Monachorum, ac Ecclesia formâ gran- » dis ornatuque decora, prout venerationi tanti Sancti & Mo- » nachorum multitudini ac populorum concursui congruebat; » cui correspondebant aliæ officinæ. Sed proh dolor! ipsa quo- » que Ecclesia & totum idem Monasterium, jam viginti annis » decursis, ex terræ motus concussione casu mirabili corruerunt. » *Et infra*; Meritò reputantes indignum quod tam celebre Mo- » nasterium, quod aliorum fuit initium ac forma, sic dirutum » & desolatum, non absque quadam Monachorum professorum » Regulæ dicti Sancti verecundiæ nota, remaneat; & unde Mo- » nasticæ sanctitatis Regulæ præfatæ primordium, & construc- » tionis aliorum Monasteriorum forma processit, inde pernicio- » sum progrediatur exemplum destitutionis observantiæ regula- » ris; præfatam Ecclesiam & Monasterium super suis fundamen- » tis, quæ illæsa consistunt cum omnium Monachorum, qui me- » moratam Regulam sunt professi; non solum nigrorum, sed » etiam eorum quilibet habitum album deferant, specialiter ta- » men ordinis ejusdem Sancti titulo nuncupantur, aliquali auxi- » lio providimus in statum pristinum reparanda, & reintegran- » dum ibidem numerum centum Monachorum observaturorum, » Deo dante, ad litteram, juxta institutionem dicti almifici Pa- » tris, regulam prælibatam. Horum itaque consideratione suasi, » sexagesimam omnium fructuum, redituum & proventuum » quorumlibet Monasteriorum ac Prioratuum & aliorum bene- » ficiorum quocumque nomine censeantur dictorum Monacho- » rum nigrorum & alborum, qui ordinis ejusdem Sancti absque » alio nomine proprio appellantur, ab eorum Abbatibus, Prio- » ribus, Præpositis, Decanis aliisque Prælatis & Monachis ac » Capitulis ecclesiarum Cathedralium dictorum Monachorum » nigrorum & conventibus eorumdem Monasteriorum & Prio- » ratuum exemtorum & non exemtorum ejusdem Ordinis, ubi- » cumque constitutorum, virorum duntaxat exigendam & col- » ligendam per illos quos ad hoc duximus deputandos, pro re- » ædificatione, seu reparatione dictorum ecclesiæ & monasterii » Casinensis, usque ad biennium a data præsentium computan- » dum imposuimus...... Quocirca discretioni tuæ quatenus per » te vel per alium seu alios a dictis Abbatibus, Prioribus, Præ-

positis, Decanis, Prælatis & personis ac Capitulis & conventibus exemtis & non exemtis, omnium & singularum civitatum & diœcesium, regni Siciliæ seu terræ citra Farum, exceptis insula Siciliæ & dilectis filiis Cluniacensibus Matisconensis diœcesis, & sancti Victoris Massiliensis dicti ordinis Monasteriorum Abbatibus & Conventibus ac Prioribus & aliis personis eis subjectis, quibus Abbatibus per alios nostras litteras mandamus, quod pro dictis suis Monasteriis solvant, & ab eisdem subjectis eis Monasteriis, Prioribus & personis exigant sexagesimam prælibatam de universis fructibus, reditibus & proventibus suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, administrationum & beneficiorum, quæ obtinent in dictis civitatibus & diœcesibus regni prædicti. "

Alia pene innumera instrumenta exstant in eodem archivo Casinensi, quod inter nobilissima Europæ jure accensetur: sed quæ jam adtulimus ad specimen satis sunto.

CAPUT XXIII.

De Albano Castro, & de veteris Albæ situ. De Monasterio Cryptæ Ferratæ. Bibliotheca ibidem. Inscriptio eruta. De ossuariis. De Tibure. Monasterium Sublacense. De lacu Anienis & de aliis e vicino positis. Aliud Monasterium ad Vicum Varronis situm. Insignis Romanorum aquæductus.

POST peractum Neapolitanum iter, dum in Urbe versaremur, animi causâ subinde in vicina & a priscis illis Romanis frequentata loca concessimus, in Albanum scilicet castrum, olim Alba longa, cui suam Roma refert originem. *Albano* jam oppidulum est in clivo Albani montis situm viâ Appiâ. Aiunt, haud certis indiciis, Albam non eodem prorsus situ fuisse: ego vero crediderim, Albam quidem longe majore quam hodie ambitu fuisse; sed quæ jam supersunt, veteris Albæ partem occupare. Cujus rei haud leve inde putatur indicium, quod ru-

dera ingentia hodieque circa oppidum ſuperſint; ut moles illa quam ſepulcrum Pompeii vocitant, & Amphitheatri cujuſdam reliquiæ e vicino poſitæ; ex aliaque vici parte ſepulcrum, ut aiunt, Curiatiorum. Nam cum hujuſmodi veterum monumentorum reliquiis circumquaque oppidulum ambiatur, quid aliud quam antiquæ Albæ ſedes iis commonſtretur? Proxime ſitus eſt lacus ſubterraneo canali a Romanis olim ducto perinſignis atque inſpectu dignus. Saxis prægrandibus canalis hujuſmodi ſtructus eſt, addita utrinque crepidine ut ſicco pede poſſit in ſubterraneo permeari. In Tuſculanum item agrum acceſſimus, quò ruſticatum veniunt æſtivis menſibus Romani optimates. Ibidem ſitum Monaſterium Cryptæ Ferratæ nono ſæculo a ſanctis Nilo & Bartholomæo Abbatibus excitatum, qui graſſantibus in Calabria Saracenis eòdem confugerunt. Exinde vero ſub Regula S. Baſilii ad hoc uſque tempus præclarum iſtuc cœnobium floruit, inſignibus viris perornatum. In Synaxario ejuſdem Monaſterii fertur ſæculo XVI. fulmine tacta omnia pene ejuſdem Monaſterii, quæ primitus erecta fuerant, ædificia corruiſſe. Tam ſingularis caſus memoria hiſce verbis exprimitur.

ΕΒΔΟΜΗ ἐπὶ δέκα τοῦ αὐτοῦ μηνὸς, (βοηδρομιῶνος) καὶ ἔτους ἀπὸ τῆς σαρκώσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ α φοζ. ἐν τῷ εἶναι ἔτι τὴν πανάμωμον Θεοῦ μητέρα ἐν τῷ ἱεροφυλακίῳ, τῇ ἕκτῃ φυλακῇ τῆς νυκτὸς ἐπέπεσεν ὁ κεραυνὸς οὐρανόθεν εἰς τὸν ἱερὸν πύργον, καὶ ὡς οὕτω λέγειν, εἰς τὸ καμπανίλιον, καὶ συνέτριψε καὶ διέῤῥηξεν ἓν μέρος τῆς στέγης καὶ τοίχου τῆς προφάτης ἐκκλησίας, ἣν μετὰ οἱ θεοφόροι καὶ τρισμάκαρες πατέρες ἡμῶν Νεῖλος καὶ Βαρθολομαῖος ᾠκοδόμησαν. ἔπειτα δὲ εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἱεροφυλάκιον, ὃ διὰ τῆς τιμῆς καὶ δόξης τοῦ παντοκράτορος θεοῦ καὶ τῆς παναχράντου μητρὸς αὐτοῦ ἦν ὅλον κεκοσμημένον, καὶ πολλὰ μετὰ τῶν ἱερῶν κοσμημάτων ἐμόλυνε, τοῦ δὲ ἀχράντου σώματος τοῦ Χριστοῦ καὶ παναγίας παρθένου θεομήτορος οὐδαμῶς ἐτόλμησεν ἅψασθαι.

Ἔτι ἀπὸ τῆς κυρίου γεννήσεως α φ π α μηνὸς Σεπτεμβρίου τῇ ιδ. ἄρχοντος ἐν τῇ ῥώμῃ τοῦ ὁσιωτάτου ἀρχιερέως Πίου πέμπτου, προστατεύοντος δὲ τοῦ μοναστηρίου Κρυπτοφέῤῥης Ἀλεξάνδρου Φαρνησίου

τοῦ Καρδινάλεως Παύλου τοῦ τρίτου, μεγίστου ἀρχιερέως υἱωνοῦ καὶ Γουλιέρμου Συρλήτου τοῦ Καρδινάλεως ἐπιμελουμένου τῆς πολιτείας ὅλης τῆς μοναχικῆς, &c.

i. *Decima septima mensis Boedromionis*, id est, *Septembris*, *anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi 1577. cum immaculata Dei Mater in sacrario adhuc consisteret, in sexta noctis custodia, fulmen e cœlo decidit in sacram turrem, seu, ut vocare solent, in campanile, ac contrivit dissipavitque tecti partem, ac murorum priscæ Ecclesiæ, quam deiferi & ter beati patres nostri Nilus & Bartholomæus exstruxerant. Deinde autem in sacrarium penetravit, quod honoris ac decoris causa erga Deum omnipotentem, atque purissimam ejus matrem totum ornamentis splendebat: & multa quidem ornamenta labefactavit, sed incorruptum Christi corpus, & sanctissimæ Virginis Deiparæ (imaginem) pertingere non ausum est.*

Anno ab ortu Domini 1581. decima-quarta Septembris, imperante Romæ sanctissimo Pontifice Pio V. Præfecto Monasterii Cryptæ Ferratæ, Alexandro Farnesio Cardinale Pauli III. summi Pontificis fratris filio, ac Guillelmo Sirleto Cardinale totam Monasticam S. Basilii disciplinam curante &c. Hinc sequebantur nomina multa. Reliqua ad finem usque, ubi de restauratione Ecclesiæ agebatur, de industria nescio qua de causa, deleta sunt. Ecclesia porro paulatim restaurata, ad hodiernam formam & elegantiam deducta est; picturis namque egregiis decoratur.

Synaxarium autem cui hæc præfiguntur, cujusque apographum a D. Joanne Guillotio Congregationis nostræ Monacho descriptum, penes me habeo, ad usum Monasterii concinnatum, ritus complectitur atque cæremonias, in festivitatibus Sanctorum Græco more usurpatas; neque ita multum discrepat ab aliis Græcorum Monachorum Synaxariis quæ in bibliothecis variis comparent. In reliquis Monasterii codicibus, qui olim longe majore numero fuêre, hæc annotavi.

In codice XI. sæculi membranaceo. *Joannis Chrysostomi* εἰς τὸν πειρασμόν, *in tentationem*, cujus init. Ἥλιος μὲν ὑπὲρ γῆς παρακύψας. Ejusdem εἰς τὴν παρείσβασιν τῶν νηστειῶν, καὶ εἰς τὴν ἐξορίαν τοῦ Ἀδάμ, τῇ κυριακῇ τῆς τυρινῆς. id est, *in ingressum jejuniorum, & in expulsionem Adæ, Dominica Tyrinæ*, id est, qua licet caseo vesci. Ea scilicet Dominica quæ postrema ante Quadra-

gesimam apud Græcos est, solebat hæc Chrysostomi homilia in Ecclesia legi. Init. προσήκει ἡμῖν, ἀγαπητοὶ, τράπεζα. Ejusdem in Annuntiationem. Init. Ἀδελφοὶ βασιλικῶν μυστηρίων, &c.

In alio codice x. sæculi membran. Ascetica varia, in fine alia manu legitur nota sequens. ἔτους ͵ϛφϟβ ἰνδ. ζ. Μαΐου μηνὸς κθ. ἡμέρα γ. ὥρα γ. ἐσέβη ὁ Δοὺξ εἰς τὴν Ῥώμην καὶ ἐπόρθησεν αὐτήν. hoc est, *Anno mundi 6592. id est Christi 1084. indictione VII. mensis Maii 29. feria tertia, hora tertia, ingressus Dux Romam, ipsam depopulatus est.* Agitur hic de expeditione Roberti Guiscardi qui ingressus Romam, Gregorium VII. Papam eduxit ex carcere, Henricum Imperatorem expulit, Urbem in defectionis pœnam vastavit & incendit. Quæ Monachus iste, quo tempore gesta sunt, ad calcem codicis consignavit: nam manus sæculum XI. præfert.

Codex alius membranaceus perantiquus, in quo *Isidori Pelusiotæ* epistolæ num. 1600. Ad calcem hæc leguntur: Μνήσθητι κύριε Ἰησοῦ τῷ γράψαντι Παύλῳ, (sic) χαριζόμενος αὐτῷ ὑπομονὴν καὶ ταπείνωσιν, δι' ὧν τῷ σῷ ἐλέει σωθῆναι δυνήσεται, εὐχαῖς τῷ ἐπιτρέψαντι πατρὶ κυρίῳ Νείλῳ, καὶ τοῖς ἀναγνῶναι μέλλουσιν ἐν τῇδε τῇ θεοπνεύστῳ βίβλῳ ἀμήν. ἥτις πεπλήρωται ἐν ͵ϛυϟδ. ἔτει μηνὶ Νοεμβρίῳ κζ. ϛ τῆς ἑβδομάδος ἡμέρα. hoc est, *Memento, Domine Jesu, Pauli qui hæc scripsit, & largire ipsi patientiam & humilitatem, quibus, misericordia tua interveniente, salutem consequi valeat, precibus Patris domini Nili, qui hæc scribere jussit, & eorum qui hunc librum lecturi sunt, amen. Is absolutus fuit anno 6494. mundi, id est, Christi 986. mensis Novembris 27. feria hebdomadæ sexta.* Sub ipsis igitur Monasterii primordiis codex, jussu Nili fundatoris, exaratus est. Nullum vidi Isidori Pelusiotæ codicem tantâ præstantiâ & vetustate; cujus tamen, ut æstimo, in Isidori editis usus fuit nullus.

Codex alius membranaceus antiquus operum S. *Maximi*, in cujus item fine, hæc scribæ manu adduntur. ἔτει ͵ϛφ ἰνδ. ε. Λουκᾶς ἡγούμενος μονῆς τῆς λεγομένης τοῦ ἁγίου πατρὸς Ζαχαρίου εἰς τὸ Μερκούριον, μηνὶ Νοεμβρίῳ εἰκάδι χρόνῳ δεκαμηνιαίῳ κεκοίμηται, ἡμέρα σαββάτου, καὶ κέχωσται ἐν τῷ νάρθηκι τοῦ ἁγίου Ἀγγέλου ἐν τῷ λεγομένῳ Βαλλελουκίῳ σὺν Βαρνάβᾳ τῷ ἡγουμένῳ, καὶ Νεοφύτῳ τῷ καλλιγράφῳ, καὶ Θεογνώστῳ τῷ Πολυμαθῇ, καὶ Ναυκρατίῳ καὶ Ἀνδρέᾳ καὶ Μαρκιανῷ, τοῖς ἀδελφοῖς, ὁ λεχθεὶς καὶ τὴν βίβλον ἔγραψε ταύτην. id est, *Anno mundi 6500. scilicet Christi 992. indictione quintâ, Lucas præfectus*

Monasterii

Monasterii quod vocatur sancti Patris Zachariæ in Mercurio, mensis Novembris vigesima, cum jam decem anni illius menses exacti essent, obdormivit die Sabbati & sepultus est in Narthece, sive in vestibulo S. Angeli, qui locus dicitur Ballelucium, cum Barnaba Præfecto, & Neophyto scriba præstantissimo, Theognosto eruditissimo viro, Naucratio, Andrea & Marciano fratribus. Is qui supra memoratus est hunc librum scripsit. Hæreo Lucas ne Præfectus, an Neophytus Scriba librum exarasse feratur. Monasterium S. Zachariæ in Mercurio quo loco situm fuerit ignoramus: non comparet enim in catalogo Monasteriorum S. Basilii, neque in actis Visitationis eorumdem anno 1551. jussu summi Pontificis, quorum exscripta penes me sunt.

In codice XI. sæculi membranaceo, exstant varia *Joannis Damasceni* opera philosophica & theologica.

In alio codice X. sæculi membranaceo, *Damasceni* item opera quædam.

In alio XI. sæculi rituale Græcorum, in Euchologio a Goaro cusum, & notis illustratum.

In alio codice recentiori, qui fuit olim Cardinalis Bessarionis Ascetica quædam. Ad calcem vero legitur epistola Chrysoloræ ad Antonium de Asculo: & responsum Antonii ad Chrysoloram.

In alio codice membranaceo XIV. sæculi, ἐξήγησις ἀκριβεστάτη τῶν θείων ψαλμῶν ἀπὸ διαφόρων πατέρων συλλεγεῖσα καὶ ἁγίων διδασκάλων, i. *Expositio accuratissima divinorum psalmorum ex diversis patribus & sanctis magistris collecta.* Hi commentarii quorum partem exscriptam mecum detuli, a viro sagaci ac perito collecti, cum primis autem præliminaria selecta & optimæ notæ sunt, quorum initium, προκεῖται μὲν ἡμῖν τῶν ἱερῶν ψαλμῶν ἡ ἐξήγησις. nam ibidem præclara de antiquis interpretibus, de prima Psalmorum collectione ab Ezechia rege, de Esdræ opera iisdem colligendis navata, &c. Hos omnes codices non exscribere modo sed etiam exportare domum facultas fuit, humanitate RR. PP. Basilianorum, qui nos semper nullis non officiis prosequuti sunt.

In quodam Monasterii fundo, dum his in partibus agerem, eruta fuit inscriptio sepulcralis, cujus mihi lapidem obtulere RR. PP. Sic autem habet:

PER. DEOS. SVPEROS
INFEROSQVE. TE. ROGO. NE
OSSVARIA. VELIS. VIOLARE
M. CALPVRNIVS. * M. L. SVLLA * *Marci libertus.*
CALPVRNIA. * M. L. FAVSTA. LIBERTA.* *Marci liberta.*

Ossuaria sunt urnæ lapideæ vel marmoreæ excipiendis cineribus & ossibus destinatæ, quales nonnullæ aliæ hujusmodi vocabulo insculptæ occurrunt.

De villis in Tusculano agro sitis nihil nisi tritum & ab aliis observatum succurrit : unum libet in transcursu tangere, in extremo Ludovisiorum hortorum proxime Tusculum novum, jam Frescati a frigiditate amœnitateque loci vulgari usu vocitatum, est series fornicum octodecim quales superius p. 109. descripsimus, popularique voce & fama traditur fuisse olim aviarium Luculli : æstimarem ego Tusculi veteris tabernas & apothecas fuisse, qua de re pluribus supra. In convexa fornicum superficie, ubi nullus humor, sponte adnatæ suspiciuntur miræ sublimitatis ilices, tam proceras nusquam vidimus, quæ in commissuris lapidum radices posuere.

Anno 1699. mense Februario, Sublacum iter facimus, locum primo S. P. Benedicti secessu famosum : in transitu, Tiburi colossales illas binas statuas Ægyptiacas ex granito marmore ad ingressum oppiduli sitas vidimus, quæ etsi quid horridi primo conspectu præferant, non imperitam certe sculptoris manum produnt : quod itidem in aliis bene multis Ægyptiis iconibus observatur. Atestina villa frequenti exterorum concursu celebratur, olim cultior, jam vero neglecta. Suspicitur in primis cataractes ille arte naturaque spectabilis, ubi quatuor profundissimis lapsibus aquæ deorsum præcipitantur. Statuis perantiquis ac selectis villa exornatur ; in iis Diana Ephesina sive mammosa inspectu digna, quia omnibus Dianæ symbolis circum instructa est ; Psyches item fabula in marmore expressa, & alia id genus.

Insequenti in Monasterium sanctæ Scholasticæ transgresso oppidulo, cui Sublaco nomen, devenimus, & a D. Abbate cæterisque cœnobii Monachis honorifice excepti, sacram specum visimus in prærupto positam, ubi S. Pater asceticæ vitæ tyro-

cinia posuit, humano omni consortio destitutus. Specui Monasterium aliud jam pene desertum adjacet. Rupi imminet sacellum septumque lapideum, ubi olim aiunt situm Monasterium Theodati. Istic versabatur Romanus Monachus, qui panem adolescenti Benedicto in specu degenti suppeditabat. Monstrant hodieque spinas in queis volutatus ille flammam concupiscentiæ restinxit, quo loco aiunt S. Franciscum cum ordinis sui exordia poneret in secessu degisse, depictamque ejus in muro figuram exhibent, non ita multo post ejus decessum adornatam, neque dissimilem Lateranensi de qua superius. Haud procul Monasterio ad alteram Anienis ripam, rudera quædam supersunt, narrantque domûs Florentis presbyteri vestigia esse, qui cum mulierculas nudas tentatum discipulorum Benedicti pudicitiam misisset, divinitus immissa clade, pœnas sceleris luit. Roganti ubi lacus ille S. Mauri, sicco pede ut Placidum undis eriperet calcantis aquas, prodigio nobilitatus. Responsum est Anienem rivum inter angusta montium fluentem, ad fauces quasdam structo muro restagnasse; cujus muri etiamnum reliquiæ ultro citroque visuntur. Idque de industria à Romanis factum, ut exgurgite canalem in Urbem ducerent, viderique proxime ductùs hujusmodi vestigia. Aliud inde dubium suboritur: quæ causa scilicet fuerit, cur à totis quadraginta millibus aquam Romani ducerent, quando Anio Tiburi octodecim tantùm ab Urbe milliaribus dissito in præceps fertur, ut perfacile fuerit aquas inde Urbi subministrare, neque necessum videatur a tot milliaribus, nam viginti Tibure Sublacum usque numerantur, Tiburem alveum deduci. Una dumtaxat ratione solvi difficultas potest; videlicet ut puriores aquas neç intermixtas aliis, humano potui minus commodis, in Urbem ducerent, Romanos, quibus intentatum nihil, a remotioribus montium partibus aquam derivasse. In declivi sacellum erigitur, quo loco, aiunt, ruptum a nutrice cribrum, pristinum in statum restitui Benedictus precibus impetravit. Jam diximus Sublaci primum Lactantii institutiones typis datas fuisse anno Christi 1461. quod an observatum pridem fuerit ignoro.

Sublaco ad vicum Varronis pergimus, jam populari usu *Vico-varo* dictum, vigesimo quarto ab Urbe milliari situm. Haud procul vico rupes ingens Anieni imminet: in medio prærupti

excavatæ cellulæ ſuſpiciuntur, eademque ſerie cella major in ipſa petra ſimiliter videtur, quo refectorio olim utebantur, ornaturque picturis hiſtoriam venenati poculi S. Benedicto oblati referentibus. Illud enim Monaſterium fuit, in quo S. Benedictus oblatum a Monachis venenatum calicem ſigno Crucis confregit. Ex altera præcipitii parte exſtat eodem pene ſitu & forma cellula S. Patris Benedicti in rupe ſimiliter poſita; jam in honorem ejuſdem in ſacellum verſa. Ferunt ſanctum virum in cellulam ventitaſſe per canalem antiqui Romanorum aquæductûs in ipſa rupe plus uno milliari excavatum : opus ſane ſtupendum, quod adhuc magna ſui parte illæſum ac permeabile ſupereſt. Foramen illud rupem totam trajiciens eſt altitudine pedum quinque, latitudine quatuor : oblitum undequaque cæmento, politiſſima ſuperficie. Planities rupi imminens qua vergit ad præcipitium occupatur Cœnobio Franciſcanorum nudipedum. Veteris novique Cœnobii hic ſchema addere viſum.



CAPUT XXIII.

Profectus Senas. Terræ motus ingens. De Ecclesia Cathedrali Senensi, ejusque ornamentis. Epitaphia multa ibi. De antiqua Senensi Bibliotheca. Observantur quædam eamdem Urbem spectantia. De nomine Senarum. Codex S. Joannis Chrysostomi autographus, ut putant. Archivum Nosocomii. De restitutis Senæ litteris, & pictoria arte.

ANNO 1700. 21. Februarii, paucis post D. Pauli socii decessum diebus, Roma profectus sum, ut patriam repeterem: vigesimâ tertiâ ejusdem mensis Radicofanum advenimus in montis supercilio positum. Exstat ibidem præsidium magni Hetruriæ Ducis. Paucis ante diebus in nocte S. Agathæ, vehementi terræ motu oppidulum quassum fuerat, casas ibi permultas dirutas vidimus, & pandocheum totum, cum vergeret in ruinam, trabibus fultum. Rusticanorum magna pars, clade tanta perterriti, metuque imminentis ruinæ, in tuguriis degebant. Proximâ nocte Senæ item binis succussionibus exagitantur, sed sine detrimento. Insequente die Senas adventamus: est ea urbs satis ampla, in supercilio collis sita, haud ineleganter structa. Ecclesia Cathedralis peregrinos omnes ad sui spectaculum evocat, quia multa præfert singularia: est quippe marmorea tota, alternis ordinibus albi nigrique marmoris, pavimentum tessellato opere, arte singulari confectum est, historiasque Veteris Testamenti adprimè repræsentat. Quæ peritiore & elegantiore forma sunt, auctorem Beccafumum habent. Horum primigeniam delineationem in charta conservat vir nobilis Pandolfus Spanochius.

Observatu digna est in frontispicio Ecclesiæ ad unam portarum inscriptio sequens.

Annus centenus Romæ semper est jubileus;
Crimina laxantur cui pœnitet ista donantur.
Hæc declaravit Bonifacius & roboravit.

De Bonifacio VIII. hic agitur, litteræque ejus ætatis ſunt. Is enim fuit qui ſæcularem indulgentiarum rationem inſtituit. Taceo alia frontiſpicii ornamenta Gotthico more facta, quæ longiùs eſſet recenſere. Ad ingreſſum Eccleſiæ hæ duæ inſcriptiones ſepulcrales exſtant.

Joannes Ugargerius decreto publico hìc ſitus eſt. Deceſſ. Montis aperti clade Anno ſalut. MCCLX.

Altera vero

Andreas ex nobili Becharinorum familia, quia in montis Aperti certamine cecidit, decreto publico hic ſitus eſt primus. VIII. KAL Maias MCCLX.

In opere pavimenti muſivo quadrato viſuntur inſignia Senæ, necnon urbium ipſi fœderatarum, cum lupa, quam urbis inſignia ferunt, & hac voce SENA. Inſigne Arretii equus eſt; Urbis veteris *(Orvieto)*, anſer; Romæ elephantus, cui impoſita turris, qualem in numiſmatibus videmus; Peruſiæ Crux; Viterbii Unicornis; Piſarum Lepus; Luccæ Panthera; Florentiæ Leo; Leo item cum quatuor liliis Maſſæ; Craſſeti Gryphus; Piſtorii, draco; Vulterræ, vultur. Appoſito ad ſingula inſignia ſingularum urbium nomine. Senæ inſigne lupæ lactantis habent, uti Roma.

Habetur item iſtic Pauli V. ſtatua opifice perito, & e vicino legitur iſtæc inſcriptio.

D. O. M.

Alexander III. Sen. ex Bandinella familia P. M. reſtituta Chriſt. Rep. & Rom. Eccleſ. pacata Regibus Venetiſque: de ea B. M. decoratis (ſic) Hanc Virginis ædem Deo ſacravit; multiſque indulgentiis ditavit, A. D. MCLXXIX. menſe Novem. Jugurta Tomaſius ædituus repetita memoria anno MDXCI.

E regione illius hoc epitaphium legitur.

D. O. M.

Nobilis ex claro majorum ſanguine natus

Nicolaus Rybeins hac requiescit humo
Cui fortuna favens dederat naturaque dextra
In magno quæ sunt cumque petenda viro,
Qui studii longi jamjam petiturus honores
Præripitur patrii spesque decusque soli.
Sed mortalis erat, tumulus mortalia condit
Spiritus in Christi vivit agitque sinu.
N. Reibeisen Germanus Bavarus, decessit anno D. MDLII. XXIV. mens. April. ætat. suæ anno XXIII.

Hæc item inscriptio ad portam campanariæ turris memoratu digna est.

Pius II. Piccol. Pont. Max. Cathedralem hanc Ecclesiam, divi Johannis Baptistæ brachio dextero a se ditatam Metropol. constituit. Hic purpuratos cum pluribus aliis, Nicol. Fortiguerram, & Franciscum Piccolomineum, nep. Archiepis. Sen. Pium mox III. nuncupatum creavit. Hic a conventu in Turcas Mantua reversus, quotannis per tres Pentecostes dies exactam peccatorum expiationem rite precantibus indulxit. (sic) Quam diu sopitam Paulus ex Burghesia gente PP. V. in perpetuum restituit.

Proximè situm est sepulchrum Thomæ Piccolominei cum hac inscriptione.

D. Thomæ Piccolomineo Picentino Pont. Cæsareo consiliario comitique, Angelus Piccolomineus eques & Johannes fratres piiss. Fratri bene merito posuere. Vixit annos LII. decessit anno sal. MCCCCLXXXIII.

Ibidem legitur inscriptio, ubi narratur electio Nicolai II. Papæ, quæ in istac Ecclesia contigit; agitur item de Concilio in quo sancitum fuit, ut in posterum summ. Pontifex a Cardinalibus eligeretur. Eodem item loco celebratæ fuere sessiones nonnullæ Concilii, quod Constantiæ postea absolutum fuit; inscriptio istæc est.

Hic A. MLIX. Ildebrando Ildebrandesco Sen. Archiep. purpur. curante, qui postmodum Greg. VII. œcumenicum Concilium celebratum, ubi Antipapa Benedicto abrogato, Gerardus Allobrogus Epis. Florentinus adsumptus, Nicol. II. appellatus. Qui statim

L. G. D. ne amplius à pop. vel a clero, ſed a Cardinalibus Rom. Pont. eligeretur. Hic rurſum generale Concilium MCCCCXXIII. ſub Martino V. celebratur; ſed inter Concilii proceres paucos poſt menſes coortâ diſſenſione, ut multis jam conſtitutis Canonibus ægrè ferentes, Senenſe diſſolvitur.

De Concilio generali Senis celebrato hæc habentur in codice Cardinalis Petronii, de quo inferius: *Nec multò poſt, id eſt, 1060. Concilium generale Senis Chriſtianorum habitum eſt, cum Romæ ob tumultus ſecuriùs agere non liceret.*

Eodem latere extat belliſſima capella Chiggiorum, octo columnis ex marmore viridi ornata, ſtatuiſque SS. Hieronymi & Magdalenæ Bernino artifice, aliiſque bonæ notæ opificiis. Subtus altare in capſa eleganti requieſcunt oſſa S. Sergii Martyris. A lateribus Capellæ exſtant duæ tabulæ; altera fugæ in Ægyptum, altera *Viſitationis* Carolo Maratta pictore.

E vicino ſunt ſtatuæ Alexandri III. & Alex. VII. Pontificum, origine Senenſium.

Altare majus Ciborio pulcherrimo ornatur ex ære, artifice Laurentio Vecchieti anno 1472. Angeli quoque duodecim ænei artificio ſunt ſingulari, peritiſſimis fabris. Duodecim columnis quæ Eccleſiam fulciunt, duodecim Apoſtolorum ſtatuæ appoſitæ ſunt. Ambo in quo cantatur Evangelium octangulus eſt, fultus columnis novem, altus cubitis octo, ambitûs cubitorum ſedecim.

Viſitur in eadem Eccleſia ſtatua Pii II. verſus capellam S. Petri, & e regione illius, loculus reponendæ ſtatuæ Pii III. quæ Romæ confecta eſt, propediem iſtuc advehenda.

In capella S. Johannis eſt ſtatua ejuſdem ſancti Johannis ænea. Ibidem ſervatur brachium ejuſdem ſancti triplici clave obſeratum; quarum unam Archiepiſcopus, alteram princeps Senatûs, tertiam rector fabricæ penes ſe habet. Proximè capellam memoratam eſt Mauſoleum Cardinalis Riccardi Petroni, viri ſuo ævo præclari.

Riccardo Cardinali Petrono Sac. Rom. Eccleſiæ vice-cancellario clariſſimo, juriſprudentiæ lumini, qui poſt collectum decretum A. MCLI. à Gratiano Cluſino Sen. Dictionis Decretalium ſextum compoſuit, & Bonifacii VIII. P. M. cauſa in Concilium Vienn. fortiter defenſa, hoſpitali ſanctæ Catharinæ domo Ciſtercienſium Chartuſianorum

tusianorum & Sanctimonialium S. Jacinti & S. Claræ exstructis in patrio solo ditatisque Monasteriis obiit Genuæ, Clementis V. Papæ Legatus A. Salut. MCCCXIII. Sen. Respub. Civis optimi corpus honorificè exceptum hoc tumulo condidit; quem Ludovicus de Vecchiis eques S. Stephani æditiuus, annuente Alex. VII. S. P. altiùs collocari curavit A. MDCLXIV. Emendatum igitur oportet Ciaconium, qui Petronium Cardinalem Avenioni fato functum narrat.

Ibidem exstat alia inscriptio prolixa qua narratur Pium II. Ecclesiæ isti, præsentibus octo Cardinalibus, Brachium S. Johannis Baptistæ a Thoma Paleologo Peloponesi Rege acceptum, dono dedisse anno MCCCCLXIV. pridie nonas Maii. Eodem latere visitur Bibliotheca, olim munitissima codicibus: at jam ii soli supersunt qui ad cantum pertinent, a Benedictino quodam Congregationis Casinensis exarati. In parietibus depicta suspicitur vita Pii Papæ II. a celeberrimis pictoribus Pinturiccio, Petro Perusino & magno Raphaele Urbinate. Vultus ad nativam speciem delineati fuere. In udo depictæ historiæ singulæ exhibentur, posita ad imum inscriptione cujusque tabulæ historiam explicante: nec ingratum Lectori fore puto, si singulas hic exscribam, quia perbreves licet, totam Æneæ Silvii, sive Pii II. vitam referunt.

Ad primam.

Æneas Silvius Piccolomineus natus est patre Silvio, matre Victoria XVIII. Octobris An. MCCCCV. Corsiani in fundis gentilitiis: Basileam ad Concilium contendens, vi tempestatis in Libyam propellitur.

Ad secundam.

Æneas Silvius a Basiliensi Concilio in ulteriorem Britanniam Orator, ac Scotiam ad Regem Calexium missus, a tempestate in Norvegiam pulsus est, & per Britanniam Regios speculatores eludens Basileam revertitur.

Ad tertiam.

Hic Æneas a Felice V. Antipapa Legatus ad Federicum III. Cesarem missus, laurea corona donatur, & inter amicos ejus, ac secretarios annumeratur & præficitur.

Ad quartam.

Æneas a Federico III. Imperatore legatus, ad Eugenium IV. missus, non solum ei reconciliatus est, sed Hypodiaconus & Secretarius, mox Tergestinus, deinde Senensis Antistes creatus.

Ad quintam.

Æneas Federico III. Imperatori Leonoram sponsam exhibet, & puellæ laudes, ac Regum Lusitanorum complectitur.

Ad sextam.

Æneas Senen. Antistes ad Calistum III. Orator a Federico Imp. III. missus Pont. ad bellum Asiaticum armat, & Patrum principumque omnium rogatione Cardinalis efficitur.

Ad septimam.

Calisto mortuo Æneas Card. Senen. acclamatione Patrum apertisque suffragiis Pont. eligitur & Pius II. nominatur.

Ad octavam.

Pius II. P. M. a Ludovico Mantuanorum principe, classe in naumachiæ speciem exceptus, VI. Cal. Junias Mantuam ad indictum de expeditione in Turcos conventum ingreditur.

Ad nonam.

Pius II. Catharinam Senensem ob innumera ejus miracula inter Divas retulit.

Ad decimam.

Pius cum Anconitanam expeditionem in Turcos accelerarет ex febre interiit, cujus animam Eremita Camaldulensis in cælum efferri vidit, corpus vero Patrum decreto in Urbem reportatum est.

In medio Bibliothecæ visuntur tres gratiæ basi insistentes marmoreæ, non æneæ ut quidam aiunt, eleganti opere, unius caput desideratur. Imminet januæ in marmore historia Adami & Hevæ qui a Paradiso per Angelum pelluntur cum hac inscriptione:

Deum maximum & posteros offendi, utrisque debeo & neuter mihi.

Ad januam exterius depicta coronatio Pii III. cum hac inscriptione:

Pius III. Senensis, Pii II. Nepos MDIII. Septembris XXI. apertis electus suffragiis, octavo Octobris coronatus est.

Itidem observantur intra Ecclesiam insignia Gregorii Papæ XII. & duodecim Cardinalium cum inscriptione sequente.

Dominus Gregorius Papa XII. intravit Senas die IV. Septembr. cum XII. Cardinalibus ut scisma tolleretur, ubi moram traxit usque ad diem XXIII. Jan. & auctoritate ipsorum Domini Papæ & Cardinalium in ista Ecclesia multæ indulgentiæ sunt concessæ. Quorum D. Papæ & Cardinalium ad perpetuam rei memoriam arma hic sunt posita tempore egregii viri Dom. Caterini, operarii dictæ Majoris Ecclesiæ A. D. MCCCCVII.

E vicino est statua Marcelli secundi Senensis cum hac inscriptione.

Marcellus II. P. M. Anno D. MDLV.

Proxime portam legitur item inscriptio istæc.

Antonio Casino Francisci F. Bartholomæi N. Cameræ Apostolicæ Clerico Thesaur. S. R. Eccles. Presbyt. Cardinali. T. S. Marcelli, ob. v. i. peritiam atque prudentiam. Martino V. & Eugenio IV. summ. PP. a consiliis intimis, ac summè caro, cujus cinis Romæ ab anno MCCCCXXXIX. in æde S. Mariæ Majoris diem Resurrectionis expectat. S. P. Q. S. civi optimo pastori suo vigilantissimo poni curavit.

Has inscriptiones hic consignare visum; quia pleræque ineditæ sunt, & si quæ cusæ, in libris certè a vulgari usu remotis exstant.

Nec prætereundus silentio pluteus ligneus in medio Ecclesiæ situs, ubi S. Bernardinus verbum Dei prædicare solebat, ex quo usu venit, ut concionatores alii hoc loco conciones habeant. In medio Ecclesiæ fuit olim subterraneum ædificium

perelegans columnisque fultum, quod jam muris clausum caret aditu.

In coronide, una serie visuntur 170. icones ab humeris summorum Pontificum, non enim statuæ sunt integræ, ut quidam narrant, verum figlino opere singulæ sunt. Init ordinem S. Petrus, agmen claudit Hadrianus IV. nec tamen ita accurate ordo servatur, nonnullæ enim repetuntur: Pseudopapæ plerumque comparent omissis veris Pontificibus. Johanna olim ibidem exstabat, sed rogante Clemente octavo jussu magni Hetruriæ Ducis anno 1600. die 9. Augusti, nomen Johannæ, in Zachariam commutatum est, non quidem Zachariam Prophetam, ut quidam nuperus commentus est, sed illius nominis summum Pontificem. Hæc porro Pontificum capita anno 1400. confecta ibidemque posita sunt.

Proximè Ecclesiam Cathedralem est baptisterium in Ecclesia S. Joannis hexagonum, in cujus medio ciborium est ex marmore albo, & ex ære fusæ videntur historiæ ad vitam S. Joannis Baptistæ pertinentes: a peritissimis artificibus, maximeque a Jacobo de Quercia confectæ.

Sena fuisse putatur ex numero 28. coloniarum ab Augusto in Italia deductarum. Ea olim in singulari numero exprimebatur, *Sena*: ut ex instrumentis Urbis remotioris vetustatis eruitur; maximéque ex diplomate quodam Nosocomii, anno 840. ut ex certis notis deprehenditur, conscripto; ibi namque legitur, *Actum Sena feliciter*; verum anno 1170. cum suburbia S. Augustini & Camulliæ pomœrio urbis includerentur, cœptum est exprimi pluraliter, *Senæ*. Qua ratione item enuntiatur in libro Bicchemæ, ut vocant, estque vox Theutonica, ut quidam, Langobardica ut alii æstimant; qua diplomatum publicoreceptaculum exprimitur. Ibi namque ad annum 1240. Senæ, sic plurariter efferuntur. Inscriptio quædam Gruteri Seniæ eruta, p. CCCLXXII. non Senam Hetruscam respicit, ut putat postremus Plinii editor, sed Seniam Illyrici, sive Croatiæ hodiernæ oppidulum. Non enim Senæ deprehensa fuit; sed Seniæ in Croatia, ut testificantur Senenses.

Nulla ibi antiquorum monumentorum vestigia comparent; nec quidquam ædificii ante Carolum magnum excitati superest. A Carolo magno adepta Sena αὐτονομίαν & libertatem, eam diu multumque retinuit, ut in codice manu scripto Cardinalis Pe-

tronii, cujus epitaphium ſuperius adtulimus legitur: *Senenſis civitas* (ſic ibidem) *poſt elargitam ſibi à Carolo, qui magnus dictus eſt, publicam libertatem, anno ſalutis 802. ſibi primo rempublicam ordinavit.* Petronius Cardinalis Clemente V. Pontifice floruit: ipſumque codicem ſcripſiſſe creditur, aut ſaltem ejus ævo concinnatus haud dubie fuit.

Eccleſiam Cathedralem, antequam a fundamentis denuo excitata, ac B. Virginis nomine inſignita fuiſſet, S. Bonifacii nomine dedicatam fuiſſe narratur in manucriſpto jamjam memorato. *Bonifacius V. Pontifex* (ſic ibi) *creatus eſt: natione Senenſis: incertum eſt qua familia oriundus, cum diebus 25. tantùm in pontificatu vixerit; nec coronam ſuſceperit. Senenſes ob ejus nominis memoriam cathedralem Baſilicam divo Bonifacio dedicarunt.* Recentiores tamen ex Roſſiorum gente, Bonifacium V. fuiſſe tradunt.

Noſocomium Senenſe Reliquiis Sanctorum bene multis nobilitatur, quæ in capſa locantur. Eſt ibidem codex S. Joannis Chryſoſtomi, quem tradunt ejuſdem ſancti manu ſcriptum fuiſſe: complectiturque commentarium in Novum Teſtamentum. At licet bis Senâ iter egerim, non licuit codicem inſpicere ejuſque explorare vetuſtatem. Similis codex Chryſoſtomi autographus fertur extare in bibliotheca Scorialenſis: cujus ſcilicet antiquitatis nemini docto periculum facere conceſſum eſt. Anno proximo epiſcopus quidam Græcus autographa duo Chryſoſtomi, ut quidem ipſe teſtificabatur, LUDOVICO MAGNO obtulit, quæ x. ſæculo exarata fuiſſe compertum eſt. Idem Senenſe noſocomium, Archivum habet diplomatibus bene multis inſtructum. Adeſt ibi inſtrumentum Ludovici Pii Imperatoris in Monaſterii S. Anthimi gratiam datum, & ab Ughello cuſum in Italia ſacra. Alterum diploma ab eodem Imperatore Audoaldo Abbati conceſſum, quo ſæculares judices a juriſdictione in Monaſterium S. Salvatoris prohibet. Aliud item Clementis III. obſervatur, Rolando S. Salvatoris Abbati conceſſum anno 1187. ubi eidem permittitur mitræ, annuli paſtoralis & ſandaliorum uſus; interdicitur tamen eidem ſacri chriſmatis unctio, olei ſacri benedictio, altaris eccleſiæque conſecratio, ordinatio Monachorum; nam iſthæc omnia Epiſcopo reſervantur: vetat ibidem ſummus Pontifex, ne ordinum ſacrorum cauſa adeatur epiſcopus quivis hæreticus.

Senæ anno Christi 1321. litterarum studia advecta sunt: evocatis ea de causa Bononia doctoribus; qui ignorantiam incuriâ librorum & facultatum inductam, animis Senensium depellerent. Nec incassum accitam Magistrorum turbam casus edocuit; ii namque Bocinum quemdam Barocium lethiferæ doctrinæ semina ab annis viginti spargentem deprehenderunt. Is enim idololatriæ cujusdam cultum disseminabat: neque monitus causamque dicere jussus resipuit: sed obdurato animo, pro virili doctrinam tuebatur: quare in pœnam violatæ corruptæque religionis ultricibus flammis traditus consumtusque fuit. Hæc in chronico Senensi Anonymi cujusdam. Alius porro codex anecdotus cui Bichema nomen, tentatam diu antea litterarum restaurationem memorat: nam anno ut habet ille 1248. soluta pecuniarum præmia Magistris, *qui portaverunt litteras communis* (sic) *per Tusciam, invitando ut scholares venirent ad studium in civitate Senarum.* Hinc florente in Urbe doctrina atque studio litterarum, Carolus IV. Imperator emisso Pragæ anno 1357. decreto, Senensibus paria atque cæteris per Italiam universitatibus & facultatibus concessit. *Studium,* sic ille, *quod ibidem hactenus viguisse, sed his temporibus permissu Dei aliqualiter obscuratum esse dignoscitur, in lucem decernimus erigere redivivam.*

In ecclesia S. Dominici exstat tabella B. Virginis puerum Jesum gestantis, perite delineata atque depicta, quam tamen ferreo picturæ artiumque sæculo confectam docent supposita eidem carmina.

Me Guido de Senis diebus depinxit amœnis,
Quem Christus lenis, nullis nolit agere pœnis.

A. D. MCCXXI.

Carmina isthæc Leonina, oppositam, ut nemo non advertit, menti scriptoris sententiam efferunt. Ex hujus autem tabellæ elegantia Senenses, restauratæ pictoriæ artis gloriam sibi non Florentinis adscriptam volunt: aiuntque Cimabuen Florentinum, a quo restitutam in Italia picturam narrant Florentini, multis post annis floruisse, natum videlicet anno 1240. qui tamen huic tabellæ vix parem ediderit. At contra pugnant

Florentini non posse Guidoni Senensi talem restitutæ nobilissimæ artis gloriam adtribui. Quamvis enim Cimabuæ ipse par fuisset, quod illi tamen minimè fatentur; reviviscentem Guidonis opera picturam cum ipso simul Senis exstinctam fuisse; cum neque discipulos instituisse feratur; imo vero unam hanc ipsius tabellam residuam esse, quæ sane non fuerit ad pictoris peritiam arguendam satis. Multos namque videmus infimi ordinis & vulgaris famæ pictores, qui nonnunquam vel casu vel attentioris exercitationis causa, ab assueta pingendi ratione recedunt. At contra Cimabue, multis picturis peritiam testificatus suam, discipulos etiam reliquit, qui sensim longaque serie magistrorum, ad perfectam demum rationem picturæ artem deduxerunt.

Extra portam Camulliam erigitur columna marmorea, quo loco Federicus III. Imperator Leonoræ sponsæ primùm occurrit, ut fert inscriptio.

Cæsarem Federicum III. Imp. & Leonoram sponsam Portugaliæ Regis filiam, hoc se primum salutavisse loco, lætisque inter sese consalutavisse auspiciis, marmoreum posteris indicat monumentum.

A. D. MCCCCLI. VI. KAL. MARTIAS.

Quæ de nobilissima urbe diximus magna parte viris clariss. Pyrrho Gabrielio, & Umberto Benevolenti viro Senensium rerum perito, accepta referimus.



CAPUT XXV.

Bibliotheca in palatio Magni Ducis. Inscriptiones in domo D. Bonarotæ. Monasterium & Bibliotheca Camaldulensium. Bibliotheca insignis S. Laurentii. Gaza Medicea. Numismata, lapilli sculpti & inscriptiones ibidem. Musæum Gaddii. Monasterium & Bibliotheca Annuntiatæ. Villa Strozziorum & inscriptiones ibidem. Ædes Ricardi & inscriptiones, Bibliotheca B. Mariæ Florentinæ & catalogus codicum.

XXV. Februarii Florentiam adventamus, ibique a D. Angelo Nincio Monasterii S. Mariæ Abbate hospitaliter fraternéque excipimur; necnon a Monachis istius cœnobii quibuscum duobus pene mensibus versatus sum. Primis post accessum diebus, comite D. Anselmo Bandurio Ragusino ordinis S. Benedicti Monacho, Græcè perito, qui mihi semper adfuit, studiisque meis pro virili mutuam dedit operam, urbem inspectum imus. Primoque bibliothecam Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis adimus, codicibus Orientalibus, Ebraïcis, Syriacis, Arabicis instructissimam; cusorum copia ac delectu insignem. Ipsam curat, vir eruditionis laude toto orbe celebris ANTONIUS MAGLIABECHIUS. Is nos consilio, opera, librisque suis, nam Bibliotheca gaudet numerosissima, per otium Florentinum juvit assiduè sicubi casus postulavit.

Pomeridianis horis D. Bonarotam virum nobilem, doctum & antiquariæ rei peritum, convenimus. Is ex stirpe magni illius Michaelis Angeli Bonarotæ prognatus, ipsas quas ille dudum incolit ædes. Ibidem neque sine voluptate in muris delineata vidimus puerilia ejusdem Michaelis Angeli experimenta: quibus a teneris ipse, una magistra indole, ceu ludens futuram iis in rebus peritiam prænuntiabat. Adsunt ibidem alia bene multa ejusdem, primis penicilli lineamentis figurata opera. In iisdem ædibus hortante humanissimo viro sequentem inscriptionem erui, in qua Consules notati.

ΣΙΜΠΛΙΚΙΑ

ΣΙΜΠΛΙΚΙΑ Η ΚΑΙ
ΚΑΛωΝΥΜΟΣ ΕΖΗ
ΣΕΝ ΕΤΗ ΙΑ ΗΜΕΡΑΣ ΚΓ
ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ ΠΡΟ ΙΓ ΚΑΛ. ΝΟΒΕΜΒΡ.
ΦΑΥΣΤω ΚΑΙ ΓΑΛΛω ΥΠΑΤΟΙΣ.

Id eſt:

Simplicia, jure tale nomen ſortita,
vixit annis undecim, diebus XXIII.
Defuncta eſt XIII. Kal. Novembr.
Fauſto & Gallo conſulibus.

Καλώνυμος idipſum ſignificare putamus quod Φερώνυμος, non enim proprium eſt nomen, ſed eo indicatur puellam recte & appoſite Simpliciam nominatam a ſimplicitate morum.

Sunt item penes præclarum virum Diptycha pulcherrima, tabulis eburneis compacta: tabulæ porro anaglyphis ornatæ ſunt, necnon inſcriptione ab imperito exarata, hanc ibidem expiſcatus profero, nullis expurgatam mendis.

CONFESSORIS DNI SCIS GREGORIVS
SILVESTRO FLAVIANI CENOBIORVM
BONA GELTRVDA CONSTRVX.
QVOD EGO ODELRICVS ABBAS INFIMVS DNI
SERBVS ET ABBAS
SCVLPIRE * MINISIT IN DOMINO. AMEN.

Haud ita facile fuerit deprehendere qui ſit ille Odelricus Abbas, quæ Geltruda, quive alii memorati in inſcriptione: ex qua vix apta ſententia eruatur.

Exhibuit item nobis numiſma ſingulare maximæ formæ, in cujus antica caput mulieris velatæ; in poſtica vero vir ſtans bireto acuto ornatus, manibus pectori admotis, in ſiniſtra palmam geſtans, ab umbilico ad pedes faſciatus: utrinque duæ Iſides ſedentes, ac loti flore pro conſuetudine ornatæ, palmam manibus geſtant; quodque ſingularius tres litteræ Ebraïcæ viro ſtanti ſuperſcribuntur hoc pacto ארך. Suſpicor autem pertinere ad veteres Baſilidianorum nugas in lapillis & aliquando in ære expreſſas.

XXVII. Primùm convenimus virum Cl. Antonium Salvinium Græcæ linguæ peritia cum primis Italiæ numerandum, in aliisque disciplinis adprimè versatum, qui studiis nostris ad nutum exinde adfuit: solidosque dies exscribendis nostri causâ codicibus insumsit. Post adiimus ecclesiam S. Crucis Franciscanorum, in cujus frontispicio sublimis erigitur statua ænea S. Ludovici Tholosani præsulis. In septo Monasterii tumulatur Italicorum hujus sæculi facilè princeps Galilæus, qui dirè diuque vexatus, & compulsus abjurare doctrinam, multis invisus obiit. In bibliotheca bene multi codices sunt; sed plerique recentes atque ad scholasticam spectant, monstrant ibidem operum S. *Bonaventuræ* codicem, ipsius, ut quidem aiunt, manu conscriptum.

Primâ Martii Monasterium Camaldulensium B. Mariæ de Angelis, Magliabechio duce, petimus, comiterque excepti à Domino Abbate & a Monachis singula lustramus. In Capitulo picturæ videntur à Monachis Camaldulensibus, Iotti Florentini picturæ restauratoris discipulis adornatæ, anno circiter 1300. ubi reviviscentis, seu a pristina barbarie sese expedientis artis vestigia comparent. In bibliotheca Monasterii sequentes codices notavimus.

Origenis in Genesin adest codex antiquus.

S. *Ambrosii* codex.

S. *Macarii* Ægyptii Abbatis epistola.

S. *Bernardi* operum codex XIII. sæculi.

Remigii (Antissiodorensis, ut putatur,) commentarius in Regulam S. Benedicti.

Alius in eamdem Regulam commentarius acephalus.

Hincmari opuscula descripta anno Christi 1280. & in eodem codice Martyrologium ipso tempore conscriptum.

Hugonis Magistri de institutione Novitiorum.

Ciceronis quædam.

Horatii carmina.

Quartâ mensis Martii curante laudato humanissimoque viro Magliabechio, accedit a Magno Hetruriæ Duce data mihi facultas exscribendi si qua luberet in Bibliotheca S. Laurentii. Quare insequentes pene totos dies ea in bibliotheca contrivimus, & si quid aliud deinceps egimus, succesivis id horis gestum. Mihi ejusmodi studio vacanti, adfuere semper vir ami-

cissimus Salvinius, & D. Anselmus Bandurius haud levi necessitudine junctus. Multa Græcè Latinè exscripta mecum tuli. Notitiam codicum maxime Græcorum exscerpsi, quam accuratissimo codicum Laurentianorum catalogo, ejusdem serenissimi Magni Ducis humanitate mihi transmisso, adjunctam, in sequenti tomo publicare animus est.

Quintâ ejusdem mensis Gazam illam Medicéam toto orbe celebratam adimus: quæ vero crebris itionibus in ea observatu digna deprehendimus, hic confertim consignare visum; missis pro consueto more iis quæ descripta vulgataque fuere. Ambulacrum illud majus, Augustorum, Augustarum aliorumque iconibus decoratum, totam pene Imperatoriam seriem comprehendit, quod alias frustra quæratur. Cum primis suspiciuntur Alexandri animam efflantis caput: item Othonis atque Vespasiani. In proximo conclavi visitur Venus illa Medicea decantata, quod fabrile opus par nullum admittit. Ibidem numismatum series perampla, maximeque Græcorum magnæ formæ plus trecentorum, quorum pars magna rarissima. Eorum notitiam excipere magni laboris fuisset: hæc pauca profero.

Nummus Demetrii regis cum capite Demetrii in antica; in postica vero prora navis, cui superscribitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, sub prora legitur, ΣΙΔΩΝΙΩΝ, hæc vox Phœnicibus litteris hâc formâ repetitur [Phoenician letters] quibus exprimi puto Sidonem.

Nummus Tiberii magnæ formæ, in antica Tiberii caput cum inscriptione, TI. CAESARI AVGVSTO D. D. COL. In postica templum, PACE AVGVSTI PERP.

Numisma Græcum magnæ formæ, in antica Caligulæ caput cum inscript. Γ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟC. In postica ad medium areæ.

B
ΤΗϹΜΗ
ΤΡΟΠΟΛΕωC
ΝΙΚΟ

Quâ siglâ exprimitur Νικομηδείας: in circulo ΕΠΙ ΦΙΡΜΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡωΝΟC.

Numisma Græcum Commodi, in cujus postica ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC Ο ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ. ΝΙΚΑΙΕωΝ.

Id eſt, *Commodo Imperante mundus feliciter agit. Nicænorum*, videlicet numiſma, quod in itinere Orientali notavit item Sponius.

In alio conclavi gemmæ habentur lapillique ſculpti: omnia hic ſingularia, vulgare nihil: hæc notatu digniora viſa ſunt. In Chalcedonico capita Tiberii & Liviæ, incredibili opus elegantia, duobus pollicibus longum. Caput Liviæ ſolius item in Chalcedonico a peritiſſima manu. Veſpaſianus item in Chalcedonico, adverſo ac prominenti capite; ita doctè ſculptus, ut viventis quidpiam ac ſpirantis præferat. Marcus Aurelius & Fauſtina in gemma, parum vel nihil jam memoratis pulcritudine concedunt. Auguſti Auguſtæque pauci deſunt in hujuſmodi ſerie, adeo ut etiam Marciana, Trajani ſoror, cujus nummi perrari, iſtic habeatur formâ eleganti. Aliæ inſcriptæ gemmæ ibidem adſunt: hic aliquas proferre viſum.

Gemma ex altera parte virum exhibet dextra flagellum geſtantem, ſiniſtra faſcem, ſub flagello animal, urſum æſtimo, cui ſuperſcribitur ΕΙΡΗΝΗ, circum autem figuram ΕΥΤΥΧΙ ΜΑΡΚΕΛΛΕ, pro ἐυτύχει, id eſt, *proſperè agas Marcelle*. Ex altera vero parte, Antiochiæ caput turritum cum cornu copiæ & temone, atque inſcriptione ſequenti, ΑΥΞΕΙ ΤΥΧΗ ΑΝΤΙΟΧΕWN. i. *Augetur fortuna Antiochenorum.*

In corneola caput Jovis Serapidis cum ſole, luna, & hac inſcriptione, ΔΑΜΟΝΟC.

In corneola Paris ſedens l'yram pulſans cum hac inſcriptione ſic inverſa AITIT. VA. J:ITƆIVNI IJOZ. *Soli invicti* (ſic) *Lucius Aurelius Titianus.* In exergo ECΓI.

In Heliotropio ex altera parte convivium ſculptum exprimitur, ex altera vero hæc inſcriptio,

VNI
VENENVM
AMBROSIA
CAETERIS

Est ibidem tessera eburnea binas sequentes præferens inscriptiones.

C. SIL. L. MVN. COS
ATHAMANS
MAECENATIS
SP. K. IAN.
Alia.
L. AFR. Q. MET
APOLLONIVS
PETICI
SP. K. APRILIS.

In vicino quodam conclavi congesta habetur innumera supellex vasorum antiquorum, quantam nusquam vidimus, nullo ordine, quia aptus locus ad ea collocanda paratur; cursim observavi tripodes duos antiquissimos, præfericula, ligulas, sextantem & vasa liquidorum, fibulas, strigiles, sistrum & alia id genus.

Huic adjunctum conclave plenum iconibus anaglyphis, & inscriptionibus, quæ magna pars ineditæ sunt. Ibi caput Neronis adest, itemque Domitiani; ac Juliæ Titi, caput Trajani, aliaque ignota non pauca, Bacchus biennis, anaglyphum Psyches & Cupidinis. Aliud in quo cymba, ibidemque colligatus Ulysses conspicitur, & Sirenes instrumenta musica pulsantes. Quinque vasa Hetrusca, qualia non pauca in Musæis comparent.

In alio lapide insculptus vir sedens canem ad pedes habet, aliumque à tergo canem, inscript.

L. SAFINIVS L. L
ROMANVS
SAFINIA L. L
IVCVNDA

Ibidem inſcriptio mutila habetur ad ludos equeſtres ſpectans, ubi equorum tantum nomina, & ſic habet.

. . . . N. T R.
. . . . MENIPPO CINIS X HILARO . . . .
. . . . AEGYPT. PE I MACVL . . . .
. . . . PEGASO AF. I AQVILIN . . . .
. . . . EVTONSO AF. I PEGASO A . . . .
. . . . . . I ADVOLA AF. I COTYNC. AF . . . . . .
. . . . . . I DROMO HISP. I SICA AF . . . . . .
. . . . AF I PASSER. AF. I CIRRATO AF . . . . . .
. . . . AF I LVPO AF. I MELISS. AF I
. . . . GAL. I LVCIN. AF. I DELICATO MAV I
. . . . AF. I SILVAN. AF. I PARATO AF. . I
. . . . AF. III EVTONIO AF. V BALLIST AF. .
. . . . AF. III PYRALL. AF. IV ANDREM AF.
. . . . AF. III PARDO AF. IV. SPICULO GAL V.
. . . . AF. III ROMVLO I.AC. V. ROMVLO AF. VI
. . . . IV. RAPACE AF.; V. LVPO AF. VI.
. . . . IV BAETIC. AF. VI. PALVMBO AF. VIII
. . . . IV CAMM. AF. VI ROMVLO AF. VIII.
. . . . IV. DAEDAL AF. VI. GLAPHVS SPH X
. . . . IV. GAETVL. AF. VI BALLIST. AF. XIII
. . . . IV. ALCIMOI. VI. MEMNO LAC. XIIII.
. . . . L M. S. SIBI COMPLEVIT QVOS I . . .
. . . . C . . . D AF. ∞ HILARO AF.
. . . . AF.

Hi haud dubie equi notantur qui curſûs palmam in certaminibus retulerant, additis victoriarum numeris. Ibi videre eſt Africanos equos quanto in pretio Romani habuerint; nam maxima pars memoratorum Africani ſunt.

Equitum ſingularium ſigniferum quemdam memorat alia inſcriptio ibidem, quæ ſic habet.

. . . . . AVG N. EQVITI
. . . . LARIBVS SIGNIFER
. . . . VIXIT ANN. LXXX.
. . . BVS II. DIEBVS X
. . . Q. . CATINVS C. F
. . . . EQVES ROMAN. .
L. L. PATRI PIIS . . .

De equitibus ſingularibus ſupra actum eſt p. 117.

In alio lapide inſculpta videtur figura pueri nudi in ſcopulo

ſedentis, & figura mulieris adſtantis veſtimentis opertæ. inſcriptio ſic habet:

ΩΦΕΛΙΩΝ ΑΝΤΙΟΧΕΥ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ
Ophelion Antiochene optime ſalve.

Alias indidem bene multas inſcriptiones erui, quæ fortaſſis alio loco proferentur. In iis pleræque Hetruſcæ cùm Florentiæ tum Arretii erutæ. Hetruſcarum interpretationem multi fruſtra tentavere, quia perpaucæ hactenus editæ ſunt: forte tamen accreſcente earumdem numero quid lucis ad legendas ſingulas oriatur.

Hæc pauca de Muſæo Mediceo, cui par in Italia nullum, hic conſignamus. Omnia edere magni ſudoris eſſet, nec niſi multis voluminibus in lucem ſingula proferri queant.

VII. Martii pomeridianis horis duce laudato viro Bonarota Muſæum D. Gaddii, ex nobili ac Florentiæ præclara Gaddiorum gente, viſimus, ubi antiqua ſacrificiorum vaſa bene multa, ſtatuæ, ſigilla &c. id genus. Exſtat ibidem numiſmatum ſeries, verum nullo ordine, quo factum ut luſtrare facultas non fuerit. In xyſto inferiori ſtatuæ non paucæ & icones: in iis caput cum humeris Maximini Imperatoris raritate ac præſtantia inſigne; nuſquam ſimile exſtare putatur. Certe nullum mihi Italica monumenta luſtranti occurrit. Aliam ibidem monſtrant iconem marmoream Juliæ Aquiliæ Severæ Elagabali uxoris, jamjam memoratæ raritate haud multum inferiorem. In horto inſcriptiones aliquot erui: in iis hæc inſignis æſtimatur.

AGATHOPVS AVG. LIB. INVITATOR
QVE AD MODVM IN INTROITVM PORTIVNCVLAE
AD MONVMENTVM AVRELIAE IRENES SVPERPOSITO
TITVLO SVPER OSTIVM SCRIPTVRA CONTINETVR QVI
TITVLVS ATTENDIT IN HORTO EA OMNIA DE SVO
FECIT
QVAE PERTINENT AD MONVMENTVM SEPVLCRVM
ISDEM
AGATHOPI QVOD VIVVS ET IVNIA EPICTESIS
FECERVNT
AB IIS OMNIBVS DOLVS MALVS ABESTO ET IVS CIVILE.

Ejuſdem Agathopodis inſcriptio alia habetur in Grutero p. DXVIII. ubi itidem *invitator* vocatur; ejuſque uxor dicitur, *Epictesis.*

X. Magnum Hetruriæ Principem duce D. Abbate Monaſterii convenimus, a quo pro innata humanitate nulla non benevolentiæ ſignificatione ad colloquium admiſſi ſumus. Juſſit ille omnia in palatio exhiberi, picturas ſcilicet magnificamque totam ſupellectilem; quam ipſe ſummo ſtudio collegerat, augetque in dies. Ibi tabellarum, peritiſſimis pictoribus, copia ingens, & Raphaëlis pictorum principis tabula elegans cum primis ſuſpicitur, ubi B. Virgini ſedenti inque gremio puerum Jeſum geſtanti adſtant quatuor Sanctorum figuræ. Ad pedes Virginis duo Angeli, puerorum forma, in volumine legunt, tanta peritia artificis adornati, ut ex ipſa vultûs forma alius alio ctior confeſtim intelligatur.

Annuntiatæ Eccleſiam & Bibliothecam item viſimus, indeque erutas Andreæ Contrarii, qui inter primarios ſæculi ſui φιλολόγους accenſetur, ad Pium II. epiſtolas a Salvinio exſcriptas, accepimus: prima ſic init,

Beatiſſimo atque Sanctiſſimo Pio II. Pont. Max.
Andreas Contrarius.

Superiori, anno Sanctiſſime Pater, ubi ex urbe Neapoli proficiſcens Romam redii; quum domum tuam acceſſiſſem, ut te in eo dignitatis faſtigio conſtitutum viderem; ut quæ me tibi hero, patri, patrono atque tutori, cui me jam pridem totum dedideram atque tradideram, commendarem; poſt nonnulla verba citro ultroque habita, memini Sanctitatem tuam tum à me petiiſſe humaniſſime & benigne, ut omnes epiſtolas meas & orationes quæ e manibus exciderunt in unum ſimul colligerem. Ego verò, ſanctiſſime Pater, etſi magnopere optabam, &c.

In periſtylio ſepulcrum exſtat viri inſidentis equo, ad pedes uſque phalerato, cum hac inſcriptione.

Anno Domini MCCLXXXIX.
Hic jacet Dominus Guillelmus
Balius olim Domini Amerighi
de Nerbona. (ſic)

XXVIII.

XXVIII. Martii comitibus D. Anſelmo Bandurio & Antonio Salvinio fidiſſimis amicis in villam Strozziam ad montem Hugonis properamus; ibique ad trecentas inſcriptiones, quæ maxima pars ineditæ ſunt, exſcripſimus: unam Latine & Græce ſcriptam, quæ mutila eſt, hic proferimus.

. . . . D. . . . . . NOTA
. . . . S . . . .
. . . . MEDEAE NILO
. . . . VDICA
. . . . XANDRIA CVI FLOS
. . . . VM IVVENTAE
. . . . ARCARVM NOTA SVSTV
. . . . NVIDA DITI
. . . . C ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΚΟΡΗ ΠΡΟΠΟ
ΛΟC ΔΙΟΝΥCΟΥ
. . . . . ΑCΤΟΦΟΡΟC ΤΕ ΘΕΑC ΝΕΙΛωΤΙΔΟC
ΕΙCΙΔΟC ΑΓΝΗC
ΕΙΚΟCΙ ΔΙC ΠΛΗΡωCΑCΑ ΧΡΟΝΟ *(ſic)*
ΚΕΙΤΑΙ ΛΥΚΑΒΑΝΤΩΝ.

In tertio Græco verſu Παστοφόρος lego. Græcorum hæc eſt ſententia.

. . . Alexandria puella famula Bacchi
Et thalamifera Deæ Niliacæ Iſidis caſtæ,
Bis viginti annos cum impleverit, hic jacet.

Magnam item inſcriptionum copiam in villa Ricardi ad pomœria urbis eruimus. Eſt ibidem ceu turriculæ marmoreæ fragmentum, quæ cum integra conſiſteret quatuor circiter pedes a diametro habuit. Ab interiori parte inſculpta erat nominibus Athenienſium, ita eraſis ut pauciſſima expiſcari potuerim: ſic autem incipit inſcriptio.

	ΘΕΟΙΣ ΤΥΧΗ	
ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ		ΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ	ΣΥΒ..ΔΗΣ	ΙΛΙΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΑΝΤωΝΕΙΝΟΥ
ΘΕΜΙΣωΝ	ΚΗΦΕΙΣΙΗ	ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΤΟΥ ΕΙΚΟΣΤΟΥ ΕΒΔΟΜΟΥ
ΕΥΠΟΡΟΣ	ΠΕΡΓΑΣΗ Θ	
ΠΑΡΑΜΟΝΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ		

Alia quædam superſunt hinc & inde, ex quibus nihil notitiæ eruitur. τοῦ εἰκοστοῦ ἑβδόμου, vigeſimi ſeptimi, cave ſis putes hæc de imperii annis dici, non enim tamdiu imperavit Antoninus Pius : ſed ea ex ſequentibus jam amotis lucem accipiebant.

Horis ſucceſivis dum Florentiæ agerem codicum Monaſterii cum Græcorum tum Latinorum, qui magno ibi numero ſunt, notitiam excepi ſequentem.

Græci præſtantiſſimi magna parte ſunt.

Pſalterium membranaceum XI. ſæculi.

Aliud ejuſdem ætatis membranaceum.

Aliud bombycinum XV. ſæc.

Codex membran. ubi Acta Apoſtolorum & Epiſtolæ *Pauli* cum commentariis. Hæc ibi nota legitur. ἐγράφη αὕτη ἡ δέλτος ἰνδ. ιϐ ἔτ. ,ϛυϟϐ. διὰ χειρὸς Θεοφυλάκτου πρεσβυτέρου καὶ νομοδιδασκάλου. id eſt : *Deſcriptus eſt hic liber indictione 12. anno (mundi) 6492. (ſcilicet Chriſti 984.) manu Theophylacti presbyteri & in lege doctoris.*

Codex bombycinus complectens omnes novi Teſtamenti libros ; & poſtea Synaxarium ac breve Menologium. In fine legitur ; Χειρὶ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἐλαχίστου Μάρκου ἐν ἔτει ,ϛωμ. μηνὶ Δεκεμβρίῳ Κη, ἡμέρᾳ ϐ i. *Manu peccatoris & minimi Marci : anno mundi 6840. (id eſt, Chriſti 1338.) menſis Decembris 22. feria ſecunda.* In ſequenti pagina exſtant alphabeta varia Græcorum, quæ cum aliis ejus generis bene multis ſuo loco dabimus.

Codex Evangeliorum X. ſæculi membranaceus. In fronte Evangelii S. Joannis depingitur idem Joannes dictans Evangelium ſuum Prochoro diſcipulo, appoſito ad utramque figuram nomine proprio, Ἰωάννης, Πρόχορος.

Codex membranaceus Epiſtolarum & Evangeliorum XI. ſæculi.

Codex optimæ notæ XI. ſæculi membranaceus, in quo catena in Matthæum ex interpretationibus *Anonymi, Apollinarii, Baſilii, Chryſoſtomi, Cyrilli, Euſebii, Gregorii Nyſſeni, Iſidori Peluſiotæ, Origenis, Severi, Severiani, Theodori Antiocheni, Theodori Heracleotæ, Theodori Mopſueſteni, atque Titi Boſtrenſis.*

Codex membranaceus XIII. ſæculi, Catena in Lucam ex *Chryſoſtomo, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, Baſilio, Tito Boſtrenſi, Iſidoro, Niceta & aliis.*

Codex bombycinus xv. ſæculi, Anonymi expoſitio in Epiſtolas Pauli.

Codex xv. ſæc. bomb. Philonis Judæi opera quædam. De mundi opificio.

Codex bomb. xiv. ſæculi, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ *Euſebii* libri quidam initio mutili.

Codex bomb. recens. Vita S. Antonii, S. *Athanaſio* ſcriptore.

Codex bomb. recens, *Baſilii* in Hexaëmeron. In fine codicis homiliæ duæ habentur *Gregorii*, *Nyſſeni* Baſilio adſcriptæ.

Codex membr. xi. ſæculi S. *Gregorii Nazianzeni* carmen, cui titulus, προοίμιον ἐν σχήματι εὐχῆς, initium, Χριστὲ ἄναξ ὃς ἀγνοῦς ποτ' ἀειρομένοις. *Gregorii Nazianzeni* Orationes cum quibuſdam epiſtolis. In fine Orationum notatur numerus verſuum, verbi gratiâ, poſt Apologeticum de fuga, στίχοι ͵αωϛϛ *verſus 1896*. Codex alius ejuſdem.

Codex egregiæ notæ x. ſæculi membran. in quo homiliæ *Joannis Chryſoſtomi* περὶ ἀκαταλήπτου, *de incomprehenſibili*. Epiſtola S. *Baſilii* ad Gregorium Nazianz. Homiliæ *Joannis Chryſ.* εἰς ἀνδρείαντας & aliæ.

Codex membr. xi. ſæculi *Joannis Chryſ.* homiliæ in Geneſin, & in fine homilia in 40. Martyres.

Codex membr. x. ſæculi, homiliæ ejuſdem in Geneſin, & in fine quædam alia.

Codex membr. x. ſæculi, ejuſdem in Geneſin, & in fine ejuſdem homiliæ 30.

Codex membr. xiii. ſæculi, *Ephremi* ſermones quidam.

Codex membr. optimæ notæ, *Theodoreti* in Pſalmos ſcriptus a quodam Luca anno 6613. id eſt Chriſti 1105. Ibidem *Hadriani* introductio in ſacras Scripturas.

Codex membr. xiv. ſæculi, *Cyrilli* Alexandrini in Heſaïam.

Codex membr. xi. ſæculi, *Joannis Climaci* ſcala: itemque in alio codice bomb. xiv. ſæc. Item in alio.

Codex membranaceus octavi ſæculi, *Dionyſii Areopagitæ* opera, in fronte leguntur hæc carmina:

Ἐπίγραμμα εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον
περὶ τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας

Ἀγγελικῆς σοφίης ἀμαρύγματα πολλὰ κιχήσας
Ἀνθρώποις ἀνέφηνας ἰδεῖν νοοσεύθετον ἄστρον.

Ἄλλο.

Οὐρανίων θιασῶν ἱεράρχια (sic) τάγματα μέλψας
μορφοφανῶν τε τυπῶν κρύφιον νοὸν εἰς φάος ἕλκων
Ζωοσόφων λογίων θεοτερπέα πυρσὸν ἀνάπτεις.

Epigramma in beatum Dionysium
De cælesti Hierarchia.

Angelicæ sapientiæ radios permultos assecutus
Hominibus intelligibile astrum conspiciendum præbuisti.

Aliud.

Cælestium chorearum cum sacros principesque ordines demulseris,
Typorumque illorum qui certis formis conspiciuntur absconditam mentem in lucem produxeris.
Eloquiorum quæ vivà sapientià prædita sunt facem vel ipsum Deum delectantem accendis.

Codex membr. xv. sæculi, *Dionysius* de divinis nominibus.

Codex recens bomb. *Cassiani* Abbatis ad Leontium de Discretione spirituum Græcè ex Latino.

Codex bomb. Dialogi S. *Gregorii* Papæ Græce versi. In fine legitur, ἔτους ͵ϛ ω ο ϛ. *anno mundi 6876. id est, Christi 1368.*

Codex bomb. recens. S. *Thomas* contra Gentes Græce ex Latino. Ibid. *Agapeti* Diaconi magnæ Ecclesiæ Epist. ad Justinianum Imp.

Codex membranaceus XII. sæculi. Vitæ SS. mensis Octobris. Martyrium S. Artemii; Jacobi fratris Domini; Martyrium SS. Acyndini, Pegasii, Aphthonii, Elpidophori, Anempodisti; Martyrium S. Menæ. Vita S. Germani Patriarchæ C. P. Martyrium S. Jacobi Persæ; Martyrium SS. Eustratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii & Orestis; *Joannis Chrysostomi* in filium prodigum; Martyrium S. Demetrii; Vita SS. Cosmæ & Damiani; Martyrium S. Eleutherii; Trium puerorum historia; *Joannis Chrysostomi* in Philogonium; *Gregorii Nazianzeni* in Nativitatem Domini; *Joannis Chrysostomi* in Infantes; *Amphilochii* vita Basilii; S. *Basilii* in S. Baptisma; vita S. Joannis Calybitæ.

Codex membr. xi. ſæculi, vita S. Barlaami & Joſaphati.

Codex Aſceticorum membr. xi. ſæculi.

Codex bombycinus. De SS. Synodis, Schiſmatibus & hæreſibus. Epiſtola de fide in Armeniam miſſa a *Thoma* Patriarcha Hieroſolymitano & ex Arabico in Græcum verſa, de Incarnatione ex verſione *Abbucara*. S. *Baſilii* Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ hiſtoria myſtagogica eccleſiaſtica. S. *Epiphanii* de hæreſibus. *Joſephi* epiſcopi Methones apologia ad libellum *Marci* Epheſini.

Acta Synodi Florentinæ in cod. membranaceo.

De Concil. Florentino quædam alia.

Codex membranaceus optimæ notæ xi. ſæculi; Epiſtola *Ammonii* Carpiano, Synaxarium & Menologium breve.

Codex bombycinus xiv. ſæc. *Nectarii*, cur primo Sabbato jejuniorum celebretur feſtum S. Theodori Martyris; ibidem S. *Baſilii* junioris quædam; *Joannis Chryſoſtomi* homiliæ quædam. *Georgii* Nicomedienſis in. S. Virginem.

Codex bomb. ubi multa variæ ætatis; Aſcetica quædam. ἔκθεσις καὶ ὑπόθεσις κεφαλαίων παραινετικῶν πρὸς τὸν βασιλέα Ἰουστινιανόν. *Expoſitio & argumentum capitum adhortatoriorum ad Imp. juſtinianum per Agapetum* diaconum. *Maximi Tyrii* opuſcula; *Orphei* Argonautica.

Codex elegans x. ſæculi membran, *Herodoti* hiſtoriæ.

Codex præſtantiſſimus x. ſæc. membr. *Thucydidis* hiſtoriæ, cum commentariis *Marcellini*. Qui fuit olim Buſini Florentini civis.

Codex membr. xv. ſæc. *Thucydidis* octo libri.

Codex membr. xv. ſæculi, *Xenophontis* œconomicus, Cyropædia, Anabaſis, Hieron.

Codex membr. xv. ſæc. Xenophontis ἀπομνημονεύματα, κυνηγετικὸς, de Equeſtri magiſtratu, reſpublica Lacedæmonum, reſpublica Athenienſium. Τοῦ μακαριωτάτου Κορίνθου, *beatiſſimi Corithi* (al. Corinthi) de Dialectis; *Dionyſius Halyc.* de Nominibus, *Theophraſti* Characteres.

Codex bombycinus xiii. ſæculi minutiſſimo charactere, *Manaſſis* quædam, *Xenophontis*, epiſtolæ. *Longi* Paſtoralium lib. iv. *Achillis* Alexandrini *Tatii* de amoribus Leucippes & Clitophontis. *Charitonis* Aphrodiſienſis de Chærea & Callirrhoe amatoriarum narrationum libri viii. *Xenophontis* Epheſiaca libri v. Sunt autem amatoria, ut Heliodori Æthiopica; opus

ineditum eſt. Hujus Xenophontis meminit Suidas. Ξενοφῶν Ἐφέσιος ἱστορικός, ἐφεσιακά, ἔστι δὲ ἐρωτικά. Βιβλία ι. περὶ ἀβροκόμου καὶ ἀνθίας. καὶ περὶ τῆς πόλεως Ἐφεσίων, καὶ ἄλλα: i. *Xenophon Epheſius; Epheſiaca, ſunt autem amatorii libri x. de Abrocome & Anthia, de Urbe Epheſiorum & alia. Theodori Laſcaris* Imperatoris epiſtolæ quædam. *Athanaſii* quæſtiones ad Antiochum. *Gregorii* item Nazianzeni & *Baſilii* epiſtolæ. *Æſopi* vita & ejuſdem fabulæ, ut ante Maximum Planudem exſtabant, ſtylo χυδαίῳ. Planudes enim Æſopi cum vitam tum fabulas longe diverſo ſtylo, ſuoque more conſcripſit. Initium vitæ ſit habet: βίος τοῦ πανθαυμάστου Αἰσώπου. Οὐ κατὰ πάντα τὸν βίον βιωφελέστατος ἦν Αἴσωπος. *Vita admirandi viri Æſopi. Non toto vitæ ſuæ tempore perinde dexter ac rebus gerendis utilis ſuit Æſopus.* Nonnullæ fabulæ a Maximo Planude prætermiſſæ ſunt. Æſopum, Deo favente, in ſequentibus edemus, qualis ante Planudem fuit.

Æſopi vita & fabulæ; initium vitæ Æſopi per *Maximum Planudem.* Πραγμάτων φύσιν τὴν ἐν ἀνθρώποις.

Æſopi fabulæ & *Ariſtophanis* nubes in codice bomb. XIV. ſæc.

Codex membr. *Polybii* hiſtoriarum libri v. ſub initium hæc leguntur. Ἀντώνιος ὁ Ἀθηναῖος ὁ καὶ λεγόμενος Λογοθέτης, ταύτην τὴν βίβλον εἶχα ἀντιβόλεον, καὶ ἀντέγραψα ὅμοιον ταύτης, ἔτους ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ αυλε, γραφὲν εἰς τὴν πόλιν Σιένα. id eſt: *Antonius Atheniensis, qui vocor Logothetes, hunc librum mutuo accepi, atque ipſi ſimile exemplar deſcripſi anno ab ortu Chriſti 1435. exaratum in Urbe Sena.* In fine hæc habentur; ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον χειρὶ Στεφάνου ἱερομονάχου καὶ σκευοφύλακος τοῦ τιμίου προδρόμου τῆς εὐλογημένης Πέτρας, μηνὶ Ὀκτωβρίῳ βʹ ἰνδ. ι. τοῦ ϛϡκε. ἔτους. i. *Abſolutus eſt hic liber manu Stephani ſacri Monachi & Cimeliorum cuſtodis venerandi Prodromi benedictæ Petræ, menſis Octobris die ſecunda ind. 10. anno mundi 6925. id eſt, Chriſti 1417.*

Codex elegantiſſimus in fine noni aut initio decimi ſæculi membranaceus. *Plutarchi* vitæ incipiunt a Phocione, deſinunt in J. Cæſarem. Ibidem reſcriptum manu Cardinalis Beſſarionis, quo teſtificatur ſe mutuo accepiſſe alium Plutarchi tomum & exportari curaſſe Venetias tranſcribendum, ſeque Monachis S. Mariæ Florentinæ reſtituturum pollicetur. At fato præoccupatus fidem liberare non potuit.

Codex membranaceus recens, in quo vitæ *Plutarchi* incipiunt a Theſeo, deſinunt in Syllam.

Codex bomb. XIV. ſæc. *Plutarchi* libri Moralium.

Codex bomb. XIV. ſæc. Ejuſdem opuſcula.

Codex membr. XV. *Plutarchi* contra leges Lycurgi. *Bruti* epiſtolæ : *Baſilii* epiſtola ad juvenem.

Codex bomb. recens, Dicta ſapientum ex *Plutarcho* & aliis collecta.

Platonis de Republica, codex membr. XIII. ſæculi.

Ejuſdem Dialogi cum Commentariis Procli.

Ejuſdem Dialogi 18. De legibus libri 12. Ἐπινομίς. Epiſtolæ 3. cod. membr. XV. ſæc.

Ejuſdem Dialogi 14. cod. bomb. XIV. ſæculi.

Codex bomb. XIV. ſæc. De Herbis, & *Platonis* opera quædam.

Platonis Dialogi quidam cum Commentariis *Hermeæ* in Phædrum Platonis. Item Procli in Parmenidem. Codex ſcriptus manu Hieromonachi Longini anno mundi 6967. Chriſti 1459. menſe Octobri indict. XIII. ad uſum Magnifici Dom. Joannis Quirini ex Stymphalo.

Ariſtotelis Rhetoric. cod. membr. recens.

Simplicii in Ariſtotelis Categorias cod. recens bomb.

Porphyrii Iſagoge in cod. bomb. XIII. ſæc.

Codex bomb. recens, *Iſocratis* Orationes 6. *Ariſtophanis* fragmentum. *Baſilii* ad adoleſcentes.

Iſocratis Oratt. item *Æſchinis* Oratt. in cod. bomb. XIV. ſæc.

Demoſthenis Oratt. quædam in cod. membranaceo recenti.

Demoſthenis Orationes & epiſtolæ quædam in cod. bombycino XIV. ſæc.

Demoſthenis Orationes quædam & epiſtolæ *Æſchinis*, in codice membr. recenti.

Codex bombycinus in quo Dionis Chryſoſtomi LXXX. Orationes, in fine legitur. ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον διὰ χειρὸς ἐμοῦ Θεοδώρου Δοκειανοῦ τοῦ Συμεών, κατὰ μῆνα Φευρουάριον τῆς ια ἰνδ. τοῦ ,ϛωλϛ. ἔτους, ἔχοντα τὸν μῆνα ἡμέρας ιη.

i. *Abſolutus hic liber, manu mea Theodori Dociani filii Simeonis, menſe Februario indictione 11. anni 6836. (hoc eſt Chriſti anno 1328.) decima octava ejuſdem menſis.*

Codex bomb. XIV. ſæculi *Ariſtidis* Orationes.

Codex bomb. XIV. ſæculi *Ariſtidis* Orationes. Item dialogi quidam *Platonis*; Epiſtolæ ejuſdem.

Codex bomb. XIV. sæculi, *Philostrati* vita Apollonii Tyanei & alia ejusdem *Philostrati.*

Luciani codex perantiquus x. sæculi; sed sarcitus plerumque recentiore manu, complectens octoginta libros ejusdem.

Codex membr. recens, *Luciani* opera, incipiunt ab Hippia, desinunt in Alcyonem.

Ptolemæi Geographia cum tabulis in codice membran. XV. sæculi.

Codex membranaceus XIII. sæculi; Lexicon Græcum, in cujus fine explicatio Græca nominum Ebraïcorum Scripturæ sacræ.

Codices duo bombycini complectentes totum *Suidæ* Lexicon. In fine ultimi Tomi legitur: ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον ἤ Σουΐδα διὰ χειρὸς ἐμοῦ Γεωργίου τοῦ Βαιοφόρου ἐν ἔτει ͵ϛϡ δεκάτῳ ἰνδικτ. δεκάτης, μηνὶ Ἰουνίῳ ιε. i. *Absolutus est hic liber sive Suidas, manu mea Georgii Baiophori anno 6910. id est, Christi 1402. indict. 10. mensis junii 15.*

Codex bomb. XV. sæculi Glossarium Græcolatinum, in cujus fronte legitur hæc epistola.

Φραγκίσκος Φιλέλφος Ἀνδρέᾳ τῷ φιλτάτῳ χαίρειν.

Βουλόμενος ἔγωγε τά σοι δοκοῦντα κατὰ φιλίας νόμον ποιεῖν, ἔγραψα μὲν οἷα ἐζήτεις, ἐποίησα δὲ μηδὲν θαυμαστὸν, ἀλλὰ τὸ ἡμῖν δυνατὸν ἐν καιρῷ· σὺ δὲ νικήσας ἡμᾶς εὐνοίᾳ τῇ προσφιλεῖ, ἔτι δὲ καὶ τοῦ μαθεῖν τῇ σπουδῇ, ἔρρωσο φιλτάτη μοι κεφαλή.

Franciscus Philelphus Andreæ dilectissimo, Salutem.

Cum mihi cordi sit ea quæ tibi maxime placent juxta legem amicitiæ perficere, scripsi quemadmodum rogasti. Nihilque sane admiratione dignum peregi; sed quod per vires & tempus licitum fuit. Tu vero qui cùm benevolentia & amicitia, tùm discendi studio nos longe superasti, vale dilectissimum mihi caput.

Codex bomb. XIV. sæculi, Grammaticæ variæ, scilicet, *Magistri, Manuelis, Planudis, Joannis* Patriarchæ, *Demetrii* anagnostæ; *Hesiodi* & *Pindari* quædam; Sapientissimi *Tricha*, Τριχᾶ de metris. In fine legitur, Ἦλθεν ὁ μητροπολίτης κδ' τοῦ Ἀπριλλίου μηνὸς, ἡμέρᾳ παρασκευῇ, ὥρα πρώτῃ τῆς νυκτὸς, ἔτους ͵ϛωξη ἰνδ. ιγ. *Venit Metropolitanus 24. mensis Aprilis, die parasceves, id est feria*

feria sexta, hora prima noctis anni 6868. id est, Christi 1360. indictione 13. Qui sit iste Metropolitanus ignoramus.

Grammatica Græca Constantini Lascaris cusa Mediolani anno 1476.

Codex bomb. XIV. sæculi, Exercitationes Grammaticales.

Codex bomb. *Maximi Planudis* de Grammatica, cujus annus sic in fine notatur. ἔτ. ͵ϛωμθ. id est, mundi secundùm Græcorum computum 6849. Christi 1341. Deinde in eodem codice *Libanii* Sophistæ epistolici caracteres; *Georgii Choerobosci* de poëticis; *Aristidis* Monodia de Smyrna.

Codex bomb. XIV. sæculi, *Hermogenis fragmenta.*

Aphthonii Sophistæ & *Hermogenis* Sophistæ XIV. sæc. codex bomb.

Codex XV. sæculi membr. Erotemata grammaticalia.

Codex XIV. sæculi bomb. *Nicomachi* Arithmetica, *Euclidis* Geometria.

Codex XIV. sæculi bomb. *Homeri* Ilias.

Codex membr. XII. sæculi *Homeri* Ilias, & in fine, de allegoriis Homeri.

Homeri Iliados editio anno 1488. Præmittitur epistola Bernardi Nerlii ad Petrum Mediceum Laurentii filium.

Codex bomb. XIV. sæculi, *Hesiodi* Opera & Dies cum scholiis bonæ notæ, item Theogonia cum scholiis, item scutum Herculis cum scholiis. *Theocriti* Bucolica cum scholiis. *Dionysii* Alexandrini mundi περιήγησις. Excerpta quædam ex Scriptura sacra. Prosodia.

Codex bomb. *Pindari* cum scholiis sæc. XIII.

Codex bomb. in quo *Æschyli* tragœdiæ cum scholiis, & *Dionysius* Perihegetes cum scholiis. In fine Æschyli hæc leguntur. Ἀπὸ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου εἰσὶ, χρόνοι ͵αμβ. ἀπὸ δὲ τοῦ δεσπότου χριστοῦ ͵ατμδ, ἀπὸ δὲ τῆς κτίσεως κόσμου ͵ϛωνβ. ἔκτισεν δὲ ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε ἐκκλησίας. *A magno Constantino elapsi sunt anni 1042. a Domino Christo anni 1344. a creatione mundi anni 6852. Excitavit autem piissimus Imperator Justinianus trecentas sexaginta quinque ecclesias.*

Codex bomb. XIII. sæc. *Sophoclis* & *Euripidis* tragœdiæ.

Codex membr. XIV. sæc. *Euripidis* tragœdiæ sex. *Sophoclis* totidem.

Codex XV. sæc. *Euripidis, Sophoclis & Æschyli* tragœdiæ quædam.

Codex membr. *Sophoclis* tragœdiæ XII. fæculi. Olim in eo deſcriptum fuerat vetus Teſtamentum charactere unciali a ſæculis circiter duodecim; verum deletis pene prioribus, ſubſtitutus eorum loco Sophocles fuit.

Codex bomb. XIV. ſæc. *Sophoclis* tragœdiæ, *Dionyſius* Periegetes, *Porphyrii* Iſagoge.

Codex XIV. ſæc. bomb. *Euripidis* & *Æſchyli* tragœdiæ quædam.

Codex bomb. XIV. ſæculi, *Ariſtophanis* comœdiæ 4. cum ſcholiis.

Codex alius bomb. XIV. ſæculi, *Ariſtophanis* comœdiæ.

Codex bomb. XIV. ſæculi, *Theocritus* & *Heſiodus* cum ſcholiis.

Codex bomb. XIV. ſæculi, *Oppiani* Halieutica cum ſcholiis.

Codex bomb. XV. ſæculi, *Ovidii* metamorphorſeôn verſio in Græcum per *Maximum Planudem.*

Catalogum Græcorum, qualis ſuperius editus eſt, manu mea confeci: Latinorum notam ab amiciſſimo viro Anſelmo Bandurio, manu ipſius accurate exaratam, accepi: eſtque iſtiusmodi.

Codex membr. in quo epiſtolæ quædam S. *Cypriani.*

Codex membr. *Lactantii Firmiani* inſtitutionum adverſus Gentiles libri VI. In fine legitur: *Feliciter ſcripſit Ambroſius Monachus, complevitque XVII. Kal. Februarias, anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quarto decimo.*

Ejuſdem alter codex membrânaceus.

Codex membran. XIII. circiter ſæculi, *Hilarii* de Trinitate libri XII. Ejuſdem de Dedicatione Eccleſiæ, de Synodis, contra Conſtantium libri III. contra hæreſes ejuſdem. Exemplum blaſphemiæ Auxentii Arriani Mediolanenſis epiſcopi. Ejuſdem adverſus Auxentium Mediol. Ejuſdem in Pſalm. *Beati immaculati. Dydimi* de Spiritu ſancto. *Gennadii* de eccleſiaſticis dogmatibus. Septem regulæ *Ticonii* de exponenda ſacra Scriptura. Errores *Gilberti* Pictavenſis epiſcopi damnati in Remenſi concilio ſub papa Eugenio. Fides Remenſis concilii ab Abbate Clarævallis *Bernardo* dictata. Liber *Boëtii Severini* de Trinitate, ejuſdem de Hebdomadibus, ejuſdem de fide Chriſtiana, ejuſdem de duabus naturis & una perſona Chriſti, ejuſdem de Unitate eſſentiæ divinæ & proceſſione divinarum perſonarum. *Athanaſii* epiſc. Alexandrini libri IV. de Trinitate, liber fidei & expoſitio fidei, *Athanaſii* ad Luciferum, libellus de mira-

culis imaginis Salvatoris quæ crucifixa fuit à Judæis, de exhortatione Monachorum. Quæstiones *Athanasii* Arch. Alexandrini de pluribus & necessariis rebus in sacris Scripturis. Hæc omnia, exceptis epistolis ad Luciferum, spuria sunt.

Vita S. Antonii Abbatis auctore S. *Athanasio*, in gratiam Monachorum Abbatiæ Florentinæ ex Græco versa a *Francisco Zephiro*.

Codex membran. in quo transitus B. Hieronymi, insuperque vita S. Pauli primi Eremitæ, in fine *Leonardi Dati* presbyteri Florentini carmen de D. Hieronymo ad Nicolaum Mediceum.

Codex membr. x. circiter sæculi. *Eusebii* Cæsariensis historia Ecclesiastica ex versione *Rufini*, libri IX. & ejusdem continuatio usque ad obitum Theodosii Senioris, libri II.

Regulæ SS. *Basilii*, *Pachomii & Augustini* in codice membr. XIII. sæculi.

Alius codex in quo Prologus *Basilii* in regulam suam aliaque ejusdem, itemque epistola *Macarii* Ægyptii ad juniores Monachos.

Alius codex membr. S. *Basilii* de integritate virginitatis, ex Græco vers. per Ambrosium Camaldulensem, cum ejusdem Ambrosii præfatione: Itemque sermo *Basilii* ad juvenes, interprete Leonardo Aretino cum ejusdem præfatione ad Colucium.

S. *Ephrem* Syri Diaconi sermones, interprete Ambrosio Camald. & epistola ejusdem Ambrosii ad Cosmum Mediceum anno 1458. Februarii 9.

Codex membr. *Cæsarii* Arelatensis admonitiones. S. *Ephrem* de Oratione. *Augustini* de consolatione mortuorum, & alia ejusdem. *Ambrosii* de pœnitentia. Homiliæ diversorum.

Codex membr. *Gregorii Nazianz.* Apologeticus & aliæ duæ ejusdem orationes. *Basilii* epist. ad ipsum Gregorium. *Joan. Chrysostomi* de laudibus Apostoli Pauli. *Dionysii Areopag.* epist. ad Timotheum de Martyrio Petri & Pauli.

Joann. Chrysost. de dignitate Sacerdotali codex membr.

Leonis Papæ epistolæ in cod. recenti.

Historiæ Tripartitæ libri XII. in codice x. sæculi.

Sedulii Poëma sacrum in codice membr.

Prudentii de novo & veteri Testamento codex recens.

Dionysii Areop. opuscula & epistolæ in codice membr.

Homiliæ B. *Gregorii* Papæ in Ezechielem prophetam numero XXII. habitæ in Patriarchio Lateranensi, in basilica, quæ appellatur Aurea.

Ejusdem epistolæ quædam in alio codice.

Liber Regulæ pastoralis S. *Gregorii.* Item *Ugonis* de claustro corporis & animæ.

Nili Monachi de Christiana Philosophia, interprete Isidoro Monacho, cod. scriptus anno 1534.

Bedæ presbyteri de gestis Britannorum sive Anglorum. In fine habetur catalogus operum Bedæ.

Remigius, *Hieronymus* in epistolas Pauli. *Bedæ* in epistolas Canonicas, codex bonæ notæ.

Codex membr. XI. sæculi in quo libri IV. de vita B. Gregorii Papæ, a *Johanne* Diacono ad Johannem Papam; in fine legitur: *Ego Ugo indignus Sacerdos inchoavi hunc librum VIII. K. Septembr. & explevi eum XIIII. Kal. Octobr. feliciter concurrente sexto, indict. XV.* Passio SS. Marcelli Papæ, Anastasii, S. Christinæ, vita S. Hilarii, vita & Passio S. Anastasii cum undecim fratribus. S. Pantaleonis, SS. Quiriaci & Julitæ, S. Margaritæ, S. Reparatæ, S. Domnini, S. Callixti, S. Zenonis episcopi: gesta sancti Christophori, Passio S. Blasii.

In alio cod. vita S. Francisci, item S. Paulæ viduæ.

Vita S. Joannis Eleemosynarii a *Leontio* Neapoleos Cypri: in fine adduntur ab eodem Leontio quædam prætermissa.

Vita S. Bernardi Claravallensis.

In codice membranaceo vita S. *Zenobii* episcopi Florentini per *Joannem* Aretinum, cum ejusdem *Joannis* epistola ad Joannem Presbyterum S. Michaëlis. Item vita S. Joannis Chrysost. ex *Palladio* per *Ambrosium* Monachum versa ex Græco. In fronte habetur ejusdem Præfatio ad Eugenium Papam, codex membr.

Gullielmi Abbatis vita S. Bernardi. Item *Bernardi* Abbatis in illud: *Missus est Gabriël.* & Planctus B. M. Virginis, codex membr.

Bernardi Abbatis de contemplatione.

Sermones sive vitæ Sanctorum divisæ pro singulis mensibus a *Jacobo de Voragine*, cod. membr.

S. *Bernardi* & *Gilberti* in Cantica, item alii ejusdem codices.

Epiſtola *Andreæ* Notarii Florentini de vita Ugonis Marchionis Florentini D. Nicolao Abbati Monaſterii S. Mariæ Florentinæ compilata anno 1345. Item chronicon *Martini*, quem vulgo Polonum vocant, uſque ad Clementem IV. Papam: hic dicitur F. *Martinus* ordinis Prædicatorum. Inſuper chronica Italorum regum & Romanorum Impp. uſque ad Auguſtulum, cod. membr.

Vita Ugonis comitis Magdeburgenſis ad R. P. Celſum Veronenſem Abbatem S. Mariæ; auctore *Laurentio Ciato* Florentino, Florentiæ ſcripta anno 1491. cui adnectitur epiſtola *Petri Damiani* ad Gottefredum Marchionem de vita ejuſdem Ugonis.

Martyrologium.

Ricardi de S. Victore opera in codice membran.

Teuzonis Monachi expoſitio in Regulam S. Benedicti.

Joannis Gerſonis opera.

Joannis Gerſen (ſic) Cancellarii Pariſienſis de Imitatione Chriſti, codex ſcriptus anno 1466.

Conſtitutiones Synodales D. *Angeli* epiſc. Florentini & bullæ duæ *Eugenii* Papæ IV. codex ſcriptus a Laurentio Presbytero Florentino.

Leonardi Aretini de bello Italico adverſus Gotthos libri IV. ad Julianum Cardinalem S. Angeli.

Ejuſdem *Leonardi* Aretini & *Poggii* epiſtolæ.

Franciſci Petrarchæ operum codices aliquot.

Hiſtoriæ Monaſterii Caſſinenſis libris IV. deſinunt ad tempora ſchiſmatis Petri Leonis. In fine legitur, *Heuſtachius*, quod videtur ſcribæ nomen eſſe; codex membr.

Matthæi de Palmeriis de Temporibus, cum proëmio ad Petrum Mediceum Coſmæ filium. Hæc in fine leguntur: *Antonius Marii filius Florentinus civis atque Notarius tranſcripſit Florentiæ ab Originali XI. Kal. Januarii MCCCCXLVIII. valeas qui legis.* Opus magna parte, ut aiunt, ineditum.

Libellus terræ ſanctæ editus a fratre *Bochardo*. Item *Oroſii* de conſtructione Romæ: in fine epiſtola quam miſere Teucri Eugenio Papæ IV.

Hiſtoria Scholaſtica.

Fl. Blondi hiſtoriæ.

Hiſtoria Britonum verſa ex lingua Britannica in Latinam

optimæ notæ, codex membranaceus XII. ſæculi.

Alii item bene multi codices adſunt ad Philoſophiam, Geometriam, Theologiam, Scholaſticam, ad Decretales, & caſus, ut aiunt, conſcientiæ ſpectantes.

Salluſtius Criſpus, ac *Juſtinus*, *Trogi Pompeii* nomine, ſcriptus anno 1405.

M. Tullii Ciceronis Orationes ſeptem, pro Cæcinna, de lege Agraria contra Rullum, ad populum contra legem Agrariam, in L. Piſonem, pro Rabirio Piſone, pro C. Rabirio perduellione, pro Roſcio Comœdo. In fine hæc leguntur. *Has ſeptem Tullii orationes, quæ antea culpa temporum apud Italos deperditæ erant, Poggius Florentinus, perquiſitis plurimis Galliæ Germaniæque, ſummo cum ſtudio ac diligentia, bibliothecis, cum latentes comperiſſet in ſquallore & ſordibus, in lucem ſolus extulit, ac in priſtinam dignitatem decoremque Latinis muſis dicavit.*

Tullii novorum Rhetoricorum libri IV. ſeu ut quibuſdam videtur, *Cornificii* Rhetoricorum ad C. Herennium, vel, ut alii putant, incerti auctoris, codex XIV. ſæculi.

M. Tullii de Amicitia, de Senectute, Paradoxa cod. membr. Item alius eadem opera complectens.

Ejuſdem epiſtolarum ad Brutum, ad Q. Fratrem libri III. Ad Atticum libri VII.

Ejuſdem Cato major, ſeu de Senectute, Lælius ſive de Amicitia ad Pomp. Atticum, Paradoxa ad M. Brutum. Pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro Rege Dejotaro, De officiis tres libri ad M. filium. Invectivæ *Salluſtii* in Ciceronem & in Salluſtium *Ciceronis*.

Epiſtolæ ad Familiares aliquot, & in alio codice ſimiliter.

De finibus bonorum & malorum ad Brutum libri V.

Alter eadem complectens, in cujus fine hæc leguntur: *Abſolvit autem ſcriptor poſtrema manu ad IV. Kal. Junias, Verbi anno incarnati MCCCCVI.* Item *M. Tullii Ciceronis fragmentum de Academicis, in cujus fine hæc ſcripta ſunt: Non reperitur plus, tanta fuit negligentia atque inſcitia eorum qui jam nos multis ſæculis anteiverunt: qui ſuæ inertiæ utinam & ignorantiæ premia digna ferant.*

Ejuſdem de natura deorum libri III. ad M. Brutum, deſcriptus codex a Marino Tomacello Neapolitano.

Rhetorica *Ciceronis* ſeu de Inventione libri III. Item incerti

auctoris, seu, ut quibusdam placet, *Cornificii* Rhetoricorum libri IV. In fronte codicis legitur : *Ars nova & vetus Ciceronis.*

De officiis libri III.

Ejusdem Verrinæ, Catilinariæ, tres orationes ad Cæsarem. *Sallustii* in Ciceronem & *Ciceronis* in Sallustium. In fine codicis miscellanea quædam habentur, & inter hæc epigrammata in laudem illustrium virorum, quæ quondam in aula minoris Palatii legebantur, jam vero non comparent.

Ejusdem ad Quinctum fratrem de Oratore libri III.

Codex membr. *Julii Cæsaris* commentarii castigati a Celso Constantino v. c.

Quintiliani Institutiones oratoriæ, cod. membr.

Justini codices duo.

Suetonius cum aliis scriptoribus historiæ Augustæ.

Lucii Flori codex membr. In fine legitur : *Iste liber est mei Antonii Tomasi de Corbinellis conscriptus anno 1398.*

Plinii historia naturalis codex membr.

C. Julius Solinus Polyhistor. In fine legitur : *Me Guido collegit, meque peregit.* Alius item Solini codex.

Macrobii Saturnalia cod. membr. scriptus anno 1461.

Diogenes Laërtius interprete Ambrosio Camaldulensi.

A. Gellii noctium Atticarum codex.

Flavii Vegetii Renati, viri illustris de re militari libri IV. Item *Sexti Julii Frontini* strategematicôn libri IV. cod. membr.

Vitæ *Plutarchi* in codicibus aliquot interprete Leonardo Aretino.

Aristotelis codices, Argyropylo interprete, jussu Cosmæ Medicei. Alia ejusdem opera interprete Leonardo Aretino.

Terentii Comœdiæ VI. cod. membr.

Lucani Cordubensis de Bellis Romanorum.

Virgilii opera in codice membr. Bucolica in alio codice.

Ovidii Nasonis metamorphoses.

Juvenalis codex.

Senecæ Tragœdiæ.

CAPUT XXVI.

Urbs Veiorum. Inscriptiones quædam Interamnæ. De aquæductu Spoleti. De monte Luci. Monumenta Hispellatum. De Portiuncula. Perusiæ observata quædam. De lacu Trasymeno. Saxa loquentia Arretii. Adventus Florentiam secundo. Inscriptio insignissima ad natalem Augusti, Tiberii & Liviæ spectans. Inscriptiones aliæ elegantes. Instrumenta fabrorum & ferrariorum veterum. Bibliotheca Fesulana Canonicorum Regularium. Statuæ singulares in ædibus Nicolinis. Zenobia laureata ibidem.

EODEM anno 1700. sub finem Martii, jussu Præfectorum Congregationis nostræ Romam iterum urgentibus negotiis profectus sum. Ibique per annum Procuratoris Generalis officio functus, impetratâ demum remigrandi veniâ, comite viro docto D. Coursier Sorbonico doctore, Perusiam iter instituimus. Decima Martii in civitatem ut vocant Castellanam divertimus, quam Veiorum urbem fuisse censent eruditi hodierni; antehac Fescennium esse putabatur. Prius quam in urbem deveniatur ponte trajicitur Cremera fluvius, in quo inscriptio sequens.

S. D. N. PAVLI PAPAE V. AVCTE
VEIENTES
PLATEAS PONTIS CREMERAE
INVNDATIONIBVS PENE CONSVMPT.
PISTRINAQVE PVBLICA PROPE
COLLABENT. GRAVI SVMPTV
AERE PVBL. REPAR. MDCVII.
NICOLAO CLEMENTINO GVB.
AC PRAEF.

Insequente Interamnam petimus, ubi in urnis tribus sequentes inscriptiones comparent in ædibus Marchionis de Castellis, quarum

quarum prior a Grutero quidem allata, sed maculis resperſa, hic ſana profertur.

D. M.
MEMORIS (*ſic*)
FILI AVRELI
CA. NAR. THAE
PRINCIPIS GE
NTIVM BAQVA
TIVM QVI VIXIT
AN. XVI.
Alia.
C. STABIVS
PVDENS
VIXIT ANN. XII.
Alia.
DIIS
MANIBVS
PECVLIARI
C. ROSCIVS
HALIVS
VERNAE SVO

Hæ inſcriptiones manu Illuſtriſſimi Philippi a Turre epiſcopi Hadrienſis exaratæ, ab eodem mihi dono oblatæ ſunt.

Duodecima Spoletum venitur. In binis Urbis portis binæ inſcriptiones fugatum Hannibalem memorant. In alia porta ita legitur.

Hannibal cæſis ad Traſymenum Romanis
urbem Romam infenſo agmine petens
Spoleto magna ſuorum clade repulſus
inſigni fuga portæ nomen fecit.

In altera vero ſic:

Hannibal devictis Romanis ad Tranſymenum
lacum, obſeſſo incaſſum Spoleto, porta hac
ariete perculſa, a civibus repulſus & laceſſitus,
hic primùm victus, hoſtibus viſus eſt fugere.

Hîc D. Abbas Courſier, cupidus viſendæ Lauretanæ do-

mùs, illo dirigit iter, intereaque in Montem Luci, ſive ut vocant *Monteluco*, e vicino poſitum, profectus, ſubjectam vallem atque torrentem ponte miræ ſublimitatis trajeci, qui etiam æquæductu prægrandi inſtruitur. Pons arcubus decem, pilis novem conſtat; pilæ autem in medio ea altitudine ſunt, ut ſtuporem inſpectantibus adferant. Numerum cum arcuum tum pilarum aſſignavi, quia plerique omnes errant in recenſione. Quia vero pons ille ab altero latere non crate, non cancellis, non muro munitur, nuper quibuſdam caſibus funeſtatus eſt. Spoletinus quidam propriæ uxoris faſtidio, alienæ cupidine ductus, conſilium iniit ſuam pariter uxorem & alterius maritum præcipites dandi, & viduam ducendi. Quapropter dolo uxorem ſuam alteriuſque maritum una cum conjuge, nihil ſuſpicantes ad pontem ducit, ac impulſu duplici hominem præcipitat; hinc uxorem propriam aggreditur, quæ ope mulieris alterius præcipitio eripitur. Sceleſtus porro ſeſe fuga proripuit. Narrant item Spoletinos duos, malæ actæ rei deſperatione, non ita pridem in voraginem ſe immiſiſſe: ruſticumque nuper aſino vectum excuſſumque, cum in præcipitium iret, primo ſentes arripuiſſe, hinc periculo vires augente, caput aſini amplexatum ita ſalvum evaſiſſe.

Mons Luci imminet Urbi, ilicibus ſemper virentibus veſtitus, creditur autem ideo *Monteluco* vocari, quia ibidem olim, florente numinum cultu, lucus aderat: hodiéque in montis declivi obſervatur vetus Jovis, ut aiunt, templum, cui fortaſſe veterum more ſacratus lucus fuerat. Quà urbem reſpicit mons, ab eremitis duodecim incolitur, qui domos quique ſuas habent paulum diſſitas, nec ineleganter ſtructas: ii nonnihil de cœnobitica vita retinent. Habent quippe præfectum, eccleſiam, cellam infirmorum communem. Si qui in cœtum admittuntur, ii novitiatum peragunt, & perinde atque in cœnobiis calculis ſubjiciuntur. A tempore uſque Gregorii magni ſolitarii iſtic degunt: memoratque ipſe in dialogis Iſaacum quemdam in monte Spoleti verſantem: monſtrant ibidem rudera veterum cellarum quæ a primævis illis ſolitariis incolebantur. Nam putant ab Iſaaci illius ævo, quem pro patre & inſtituti auctore habent, ad hoc uſque tempus ſolitarios in monte Luci degiſſe.

In Cathedrali urbis eccleſia id ſingulare obſervatur, quod ambones duo a lateribus oſtii ad plateam ſpectantes erigantur,

ut ibidem populo in platea congregato Evangelium & Epistola legeretur. Dicunt similem aliis in locis ambonum situm, non hodierni sed antiqui usûs exstare. In frontispicio ecclesiæ imminet ostio musiv um opus anno 1207. concinnatum, ut sequentibus carminibus fertur.

Hæc est pictura quam fecit sat placitura,
Doctor Solsernus hac summus in arte modernus,
Annis inventis cum septem, mille ducentis
Operarii Palmerius &c.

Historiam Spoleti edidit Ciampellus, qui nondum publicato secundo tomo fato functus, manuscriptum reliquit, adestque in ædibus ejusdem.

Decimaquinta Fulgineam veni, & insequente cum D. Abbate Coursier Hispella transiimus, quod oppidulum veterum monumentorum ruderibus instructum: in iis perampli amphitheatri reliquiæ. Celebratur locus a Plinio secundo l. 8. Ep. 8. ubi de oppidi amœnitate, & proximè fluentis Clitumni jucundo alveo, eleganter agit. Hic juvat locum Juvenalis Satyra XII. sarcire, nam & vitio laborat in editis, & ab interpretibus perperam explanatur.

Si res ampla domi similisque affectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
iret,

Hic, ut manifestum, Hispella legendum: agitur enim de tauro in pascuis Clitumni & Hispellæ nutrito. Interpretes porro plerique omnes *Hispulla*, hic mulierem obesam explicant; Hispella legit olim Cluverius, quam veram esse lectionem, quivis spero emunctæ naris æstimabit.

Inde aliquot milliaria emensi in ecclesiam B. M. de Angelis adventamus, ad S. Petri Vaticani exemplum constructam, tholo ornatam, atque peramplam. Sub tholo in medio ecclesiæ erigitur capella antiqua, rudi opere, quam *Portiunculam* vocitant. Aiebatque Franciscanus quidam, partem capellæ

ab eremitis olim qui ex Oriente istuc concesserant structam fuisse. Iisque regressis, in patriam S. Benedictum, afflante numine, auxisse capellam ad usque certos, quos monstrant, limites. Fides esto penes auctorem. Denique aiebat S. Franciscum manu propria opus totum absolvisse quâ formâ hodieque conspicitur; locum olim ad Monasterium Benedictinorum Assisii positum pertinuisse, sed Franciscanis, indicto censu, concessum; ac ipsum denique censum remissum. Muro Ecclesiæ fons uberrimus hæret, viginti sex fistulis aquam perennem emittentibus.

Perusiam vesperi venimus. Urbs satis ampla est, in monte sita, sed minime frequentata, aiunt æquare Senas. Ecclesia Cathedralis antiqua opere rudi, in qua servatur, aiunt, nuptialis a S. Josepho B. Virgini datus annulus; ad utrumque portæ latus ambones ad plateam spectantes eriguntur, perinde atque Spoleti. Inde in Monasterium S. Petri Benedictinorum Cassinensium concedimus, quo elegantius aliud vix occurrat. Ecclesia nullis non ornatibus decorata, duplici columnarum marmorearum ordine fulcitur. Altare egregiæ pulcritudinis, inferiùs totum constat marmoribus variis, ornatum columnis a lateribus; superiùs vero quasi tholi formâ fastigiatur, vestitum lapidibus pretiosis, achate, corneola, lapide azulitano. Cathedræ chori, delineatore Raphaele Urbinate, inferiores tessellato opere, superiores anaglyphis pulcherrrimis concinnatæ. Monasterium totum nitet, magnificè structum, tribus peristyliis exornatum.

Insequente ad oram Trasymeni lacûs non modico temporis spatio iter fecimus, qui Hannibalis victoriâ, Romanorum clade nobilitatus, paulo minore circuitu est Volsiniensi; sed quia figurâ est ad circulum accedente, haud minus occupat spatii. In lacu tres insulæ sunt; quæ maxima insula grandis, *Isola grande* dicitur, habetque montem & huic subjectum oppidulum cum cœnobio Franciscanorum; alia dicitur *Isola pulvese*; tertia, *Isolella*, quæ minima omnium est. Lacui adjacet planities ingens, culta & feracissima; nulla fertilior in Italia esset, nisi Clanis fluvius restagnans circumjectos operiret campos. XVIII. Martii Arretium adventamus. Quæ urbs multis nominibus insignis, venerandæ antiquitatis vestigia præfert, & inscriptiones tanto numero, ut derivata a majoribus

voce & fama, saxa loquentia, *sassi parlanti*, in urbe fuisse ferantur: quod profanum vulgus, de lapidibus vocem emittentibus interpretatur; at sagaciores, id de inscriptionibus incisis apppositε dictum æstimant. Sed inscriptionum earum magna pars periit, diruptis, in ædificia admotis, in calcem versis marmoribus: nec spernendus tamen earum numerus superest; in iis Hetruscæ non paucæ. Quæ Æmilium Paullum, L. Lucullum, Val. Maximum spectant, meo judicio suspicione laborant, atque sequiore ævo concinnatæ videntur.

XIX. Florentiam secundo venimus, atque a D. Abbate, & Monachis S. Mariæ solitis humanitatis ac benevolentiæ officiis exceptus, aliquot exinde diebus assuetam operam exscribendis Laurentianæ bibliothecæ codicibus, opitulantibus de more Antonio Salvinio & Anselmo Bandurio, insumimus.

XXI. Rogante D. Blanco, inclytæ Mediceæ Gazæ curatore, ad ædes Illustrissimi Marchionis Nicolini properamus. Habet ille domi icones marmoreas non paucas, interque alias Regis cujusdam Syriæ marmoreum caput cum humeris, Antiochorum quempiam æstimo, caput item Philosophi ignoti. Secundum Romam nulla in Italia urbs, tanta hujusmodi supellectile gaudet quam Florentina. Non enim in solo Magni Ducis Xysto, cujus monumenta, omnia per orbem musæa superant; sed etiam in ædibus optimatum Urbis innumeræ pene comparent statuæ, icones marmoreæ, inscriptiones, anaglypha. Hic singularitatis causa inscriptiones nonnullas elegantes adferimus.

In ædibus Rodulphiorum in via Maggio dicta Florentiæ.

I

TI. CAESARE. TERT. GERMANICO. CAESARE. ITER. COS

CN. ACCEIO. CN. F. ARVN. RVFO. LVTATIO. T. PETILLIO
P. F. QVI IIVIR

DECRETA

AEDICVLAM STATVAS HAS HOSTIAM DEDICATIONI VICTIMAE NATALI AVG. VIII. K. OCTOBR. DVAE QVAE P. P. IMMOLARI ADSVETAE SVNT. AD ARAM QVAE NVMINI AVGVSTO DEDIC. EST. VIIII. & VIII. K. OCTOBR IMMOLENTVR

ITEM NATALI TI. CAESARIS PERPETVE ACTVRI DECVRIONES. ET POPVLVS CENARENT. QVAM INPENSAM Q. CASCELIO LABEONE IN PERPETVO POLLICENTI. VT GRATIAE AGERENTVR MVNIFICENTIAE EIVS. EOQVE NATALI VT QVOTANNIS VITVLVS IMMOLARETVR.

ET VT NATALIBVS AVGVSTI ET TIBERII CAESARVM PRIVSQVAM AD VESCENDVM DECVRIONES IRENT. THVRE ET VINO GENII EORVM AD EPVLANDVM ARA NVMINIS AVGVSTI INVITARENTVR.

ARA NVMINI AVGVSTO PECVNIA NOSTRA FACIENDAM CVRAVIMVS. LVDOS EX IDIBVS AVGVSTIS DIEBVS SEX INFACIENDOS CVRAVIMVS.

NATALI AVGVSTAE MVLSVM ET CRVSTLVM MVLIERIBVS VICANIS AD BONAM DEAM PECVNIA NOSTRA DEDIMVS.

ITEM DEDICATIONES STATVARVM CAESARVM ET AVGVSTAE MVLSVM ET CRVSTLA PECVNIA NOSTRA DECVRIONIBVS ET POPVLO DEDIMVS. PERPETVOQVE EIVS DIE DEDICATIONIS DATVROS NOS TESTATI SVMVS. QVEM DIEM QVO FREQVENTIOR QVODANNIS SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS MARTIAS. QVA DIE

TI. CAESAR. PONTIF. MAXIMVS
FELICISSIME EST CREATVS

Alia inscriptio de cohortibus VII. vigilum.

2

. . . . M
. . . . INARE PR. VIC. ET FIRMO AMVNTIA
. . . . . . LPIO FIRMO FR. RVFIO VERINO FR.
. . . . . . AIENTES SERARIO CLAVDIVS GNORIM......
. . . . . . CTVS A VEXILLATIONE ET LVDOS EDIDIT DI....
. . . . . . ATIS ITEMSCENICI BLVVIVS GLABER ARC...
. . . . .ENIVS EVCARPVS ARC. VOLVSIVS INVENTVS STVP. SVE. IL...
. . . .CVNDINVS. STVP. LVCILIVS MARCIANVS ARC. VINDICIVS FELI..
. . . AVIVS SATVRNINVS SCVRDATIVVS BAIANVS OPERA. FELICISS.

.... H. I. VIG	COH. IIII. VIG.	AONI CRATERE
.......7 SEROTINI	7 CAES.	7 MARCELLINI
..... ILI HELIODOR.	VINDICI FELIX	MINVCI SECVNDI
GEMELLE FELICISSIM.	7 PROVINCIALIS	IVLIANI
... ACCI MONTANI.	IVLI DONATE	TVRI IANVARI
7 QVADRATI	MESSI MESSIANE	STATILI SATYR.
FVLVI SOCRATES. TES	7 DECEMBRIANA	VENATORIS

7 IVVENTINI	AMET FELIX	
CAACINA VALERIANE	SVELLI SECVNDIN.	AEMILI FELIX
ARRVNTI VALERIAN.	7. ASCLEPI	COH. VII. VIG.
7 COLDVCONIS	IVLI FELIX	7 VICTORIS
... LVVI GLABER ARC.		LICINI MAXIM.
.. BENI EVCARPE ARC.	DATIBE BAIANE	
. . . . XENONIS	FLAV. SATVRNIN	7. RESTVTI
. . . . IANVARI	PEREGRINI	VOLVSSI INVENTE
. . . . H. II. VIG.	CORNELI SOLVTOR	ITEM CLASSI...
. . . . ETIS	COH. V. VIG.	7. QVADRI ER...
. . . . VVAAI.	7. VERINI	NAEVIE........
. . . . . ER.	STATII SEVERE	FLAV.........
. . . . . CE.	RVFI	
. . . . . ANI.	A...CLAVDIAN.	. . . .
. . . . . NE.	......VIG.	.
	........NI.	. . . .

Aliud ejusdem inscriptionis fragmentum.

. . . .
. . . . VS CVM SVIS ACROAMATIBVS NOMINIBVS
. . . . . LABER ARC. DEMETRI AMMONI ARC. GRECVS
. . . . . CVS. LVCILIVS MARCIANVS STVP. GRECVS AVRELI
. . . . . RELI SERENE SCEN. GRECVS VARENI FORTVNA
. . . . . . LIVS IOVINVS SCRIPSIT.

. . . .	. 7 VICTORIS	COH. VI. VIG.
. . . .	. ONI MAGNIAN E	7. APRI
. . . .	SENTI IVCVND E	CLAVDI GNORIME
. . . .	AELI IANVAR I	7 MINDIANI
. . . . E	7. PAVLI	AEMILI INPETRAT E SC.
. . . . . VAR I	AVREL i ALEXANDE R	MINVCI SECVNDIANE
. . . . . ONIS	7 FELICIS	7. IVLIANI
. . . C. LABER.	CAELI SATVRNINE	FLAVI IOVINE
. . . SERVANDE SEC.	COH. IIII. VIG.	7. SEVERI
CEIEIEN i EVCARPE SC.	7. CAESI	BAETI LVX·RiMVL
7 CANDIDI	ARRVNTI FILVMENE SC.	AEMILI FELIX S
LAELI SABINIANE	IVLI DONATE	COH. VII. VIG.
ASINI INGENVE EXO	7 PROVINCIALIS	7. AVITI
7 VICTORINI	IVLI DONATE	LICINI MAXIME
IAEGI VERE	7 PEREGRINI	7. VIBIANI
7 EVSCEMI	SCRIBONI MARIANE	
CORETI VERISSIME ARC.	CORNELI SOLVTOR	ANTONI SECVNDE
COH. II. VIG.	7 DECEMBRIS	7 LONGINI
7 METRETIS	COSSIDENI IVSTINE	VALERI HERACLIDA
ANNI IANVARI SC.	VARENI FORTVNATE	
FLAVI REBVRRE	ANFI FELIX S	ITEM EX CL. PRIMIS
MAXIMI	7 IVLLI	7. QVADRI EREFID...
DOMITI OCTAVIANI	SALVI VALERIANE	NEVI EVTYCHI....
CANDIDIANI	7. ASCLEPI	7 TRIERES SPE...
LVCILI MARCIANE	DEMETRI AMMONI	FLAVI ANTIOC....
COH. III. VIG.	COH. V. VIG	IVLI DOMNI......
	7 VALENTIS	OR FELICION...

. . . .

Aliud

Aliud ejusdem inscriptionis fragmentum.

IVL. . . . . .
COH . . . . . .
MITR . . . . .
ANNI IAN . . . .
VIBI CEL . . . .
FLAVI MAR . . . .
7 CANDIDI . . . .
LVCILI MARCIA . . .
IVLI MAXIME . . .
. COH. III V . . . .
· 7. VICTORI . . . .
AVRELI EXXOT . . .
DEDIC . . . . .
ET . . . . .

Fragmentum aliud ejusdem inscript.

. . . . 7I . . .
. . . . MARI . . .
COH. VI. VIG. . . .
7 SEVERIAN . . . .
E CLAVDI GNORIM . .
. . . ATA. III. . . . .
. . . . . . SPRO . . .

Fragmentum inscriptionis spectantis ad classem Misenatium aut Ravennensium.

3

. . . . PR. M.
. . . . . FIDE
. . . . . EVTICHIAN
. . . . . TRIERIS SPEI
. . . . . i ANTIOCE
. . . . . IVLI DOMNION
. . . . 7 LIBVRNA FIDEI
. . . . AELI ·ALEXAN
. . . . ME
ID 7. APR 7 A . . . .

Inscriptio mutila a Fabreto

4

. . . .		. . .	S	FLO		. . . . .
. . . .		. . .	S	FLOREN		. . . . .
. . . .		. . .		VALEN		. . . . .
. . . .		. . . ITIV	S	GENIALI . . .		. . . . .
. . . .		. IV	S	APRONIANV	S	. . . . .
. . . .		. . . ARPIV	S	SALVIV	S	. . . . .
. . . . . .		. . ARPALIV	S	PROCVLV	S	CA. . . .
. . . . . .		. . ATILIV	S	PAVLLV	S	ME. . . .
. . . . .		. TVRANNIV	S	RVFV	S	EXIL . . .
. . . .		CALPVRNIV	S	MAXIMV	S	IVLIANO . .
. . . .		. .LARCIV	S	VENVSTV	S	FORO POP. .
. . . VERO				II		COS
. . . .	C.	VIBIV	S	VERV	S	PISTORIO .
. . .	C	VERANIV	S	SEVERV	S	EMONA. . .
. . .	M.	TERENTIV	S	LEO		BONON.
. . .	C.	ATINIV	S	CLEMEN	S	LARINO
. . .	C.	SATRIV	S	MAXIMV	S	VENVSIA
. A	C.	PETRONIV	S	CERTV	S	VERONA
XIA	Q.	CIRCENIV	S	CANDIDV	S	FERENT
. CA	T.	ALFIV	S	PRISCV	S	TREBVL .
. OS	C.	CASSIV	S	PRIMV	S	TRIDENT.

allata ; sed multis omissis & vitiatis.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

M. . . . .

P. M . . . .

C. PEDAN . S . . . .

L. TAMPIV S . . . .

C. MARCIV S CERT . . . . . .

C. ANNIV S PRISCV . . . . . .

C. IVLIV S CRESCEN S . . . . . .

C. ANNAEV S NEPO S . . A . . . .

Q. SALONIV S BASSV S . . ALI . . . .

Hæc inscriptio in pagina sequenti terminatur.

... CREMON	IMP.	N III COS		RVFI
.S NVCCAM	L.	SATRIV S	PROCVLVS	BENEVENT
.V. AQVILE	T	BILLIENVS	DEXTE R	LIBARNA.
..S QVIN.	T.	VETVLEIVS	PRIMV S	LIBARNA
. . CAPVA	SP. L.	BAIV S	RESTITVTVS	BLERA.
: : ARRET.	FISCV. SEX	GAVIV S	VINDE X	VARVARIA.
.... MEDIOL	A	MARCANIVS	RESTITVTVS	VOLSIN.
... LARIN.	SEVERO	II		COS
...ENEV.	TVBI. L.	GAVIV S	IVSTV S	FLORENT
...VESVL.	FISC. L.	FLAVIV S	LVCANV S	EMONA.
...CTRI.	C.	IVST.	FESTV S	ARRETIO.
:..AVI	BVC. M.	FANNIVS	VELO X	CORTON.
..ITVI.	L.	GAVIV S	SEVERV S	MVTINA
...IN	SP. P.	POSTVMIVS	FLORENTINVS	SAVARIA
..IS	SP. TI.	IVLIV S	RESTITVTVS	SAVARIA

. . . . IMP.	N. III	COS 7	GRANI
. . . . L.	MAGIVS	STATVTVS	FELTRIS
. . . . L.	VALERIVS	RVFINV S	ROMA
. . . . SEX	PISONIVS	SATVRNINVS	CAPVA
. . . . C.	POMPONIVS	FIRMV S	VETVLO
. . . . C.	VARIV S	FELI X	AMERIA
. . . . C.	SALLVSTIVS	DEXTE R	RAVENNA
. . . . C.	SATVRIVS	SABINV S	TRVENT.

COH VI 7 SABINI . . . .

IMP.	N	III	
C.	SASSONIVS	TAVRV S	PAT . . . . . .
C.	LAELIV S	ATRO X	PAT . . . .
L.	STABERIVS	PVDEN S	TVD . . . . . .
M.	LVCILIV S	NAEVIANVS	VER . . . .
	SEVERO	II	
EQ.M	TVLLIV S	TERTIV S	EMO . . . .
C.	GRAMPHICIVS	FIRMV S	ATES . . . .
M.	BLASSIV S	SEVERVS	CON . . . . .
C.	VARIV S	CLEMEN S	ATE . . . . .
SI. Q.	FARSEV S	FIRMV S	AR . . . . .
L.	RABVLEIVS	PRISCV S	AR . . . . . .
L.	ASICIV S	RESTITVTVS	SO . . . . .
L.	DEDIENV S	SENECA	SA . . .
IMP.	N. III.	COS	7 PRO . . . . . .
C.	SERVILIV S	VITALIS	BO . . . .
C.	TITVRIV S	VALEN S	PAT . . . .
Q.	HERMINIVS	MAGNV S	FOR . . . .
C.	POSTVMIVS	SECVNDVS	VER . . . .
M	SEMPRONIVS	HOMVNCIO	VER . . . . . .

Sequens inscriptio in Xysto Magni Hetruriæ Ducis, diu neglecta jacuit. Ex altera marmoris parte extrema solùm linearum supersunt, hoc ritu.

5
. . . . TES
. . . PATRE VIDISSE
. . . . . LACERTIS
. . . . . . TIPSE
. . . . DALAS AMICI
. . . . . . E MIRA
. . . . . TO
. . . . . VOS
. . . . XX. M. III. D. V.
. . . . OCTOB·

E regione duæ aves cum ramis oleaginis in rostris.

Ex altera vero marmoris parte.

. . . . TORQVATO ET ATTICO COS
. . . . . . FC. L. VIBIV S SECVNDV S AQVIL
. . . . A CATINN A SVPI VS FLORENT
. . . . T. LARTIV S SEVERV S TVDER
. . . . Q. MVLVIV S PLACIDIANVS NVCCON
. . . . Q. MODIVS CELSV S NVCCON

AVITO ET MAXIMO COS

. . . . . C. IVLIV S PRIMITIVVS . . . AEN
. . . . . . OS L CANINIVS SILENV S VC . . . A
. . . . . L CN. TERENTIVS CAECITATVS V. N. A
. . . . . R . . . A Q. SALVSTIVS VLTIANV S ANCONA
. . . . . ICIN
. . . . . . NONIA L. FLAVIV S HONORATVS LVCA
. . . . . . SIO T. RAECIV S SALVIANVS VRLISAL
. . . . . OMA L. VALERIVS CARV S AQVIL
. . . DERTONA L. . . . AM . . S MARITIMVS TRIDENT
MAXIMINI
. . . DETORNA TORQVATO ET ATTICO COS
. . . . COS SEX. BAI.IVS SECVNDVS TICINO
. . . S CREMONA I.SS.S.VAISENVS PROCVLVS VRVINO
. . SCREMONA L INNIV S SEDATV S LADER
. . . S OSTI A MO SEX.PATVLCIVS IVLIANVS IV . . O I
. . . . OVS MEDIO L T CATINIVS MARCELLVS FANO FORT
. . . . OVS MARSI S TVP.C.ARMINIVS PROBVS VOLATER
. . . . RSVS ANCONA. C. VALERIVS SECVNDVS VERON
.. MAXIMVS FANO FORT AVITO ET MAXIMO COS
LONCINVS C. ROMA SP. L. ATILIV S TERENTIANVS BONON
MORCI IVOCITE.C.CIANIVS PROCVLVS LVCA
ATTICO COS C. TROCTINVS SECVNDVS CREMON
VERINVS TAVRIN SEX RVMMIV S PACATVS CARSVL
MAXIMVS TARVISO Q. CAMINIANVS CRESCENS MEDIOL

CLEMENS ..ICINO M AELIV S MAXIMVS FORMIS
FELI X RVSTII 7 LEPARNI
MAXIMO COS
MAXIMVS NIRACI TORQVATO ET ATTICO COS
TACITVS LVNA C. SEPTICIVS CRISPINVS AMITERN
SECVNDVS TARVISIO M. Q. CAELIVS FELI X NEAPOLI
SOSSIV S BONONIA
PRISCI PVOR L. SALVIVS ADIVTOR VERCELL
ATTICO COS SI L LAELIVS NEPOS VERCELL
PATERNVS ALBINO
VERV S VRVINO AVITO ET MAXIMO COS
MENODOTVS TVSC...A SP. T. CAESERNIVS FESTINVS ..EMONA
MARCELLVS NO..VO C. VALERIVS IVSTV S MANTVA
PROCVLVS BVTRIO BVC. C. MATTIVS SECVNDVS TICINO
MAGNV S SPOL. T. S
MAXIMO COS OPT. M SELICIVS VERV S VRVINO
SEVERVS ARIMIN. C. GEMINIVS VITALIS DRIPSINO
FRONTO POPVL LATINIVS MARCELINVS MANTVA
..ONIANVS AQVILEIA FIRM. PI S
SEVERVS SP. M SATTIVS RVFINVS VOLCEIS
C VERNASIVS DEXTER FORO SEMPRON
7 FEROCIS T GELLIVS VERV - S FORO SEMPRON
ATTICO COS

Has inſcriptiones Antonii Salvinii mei manu exaratas hic proferre viſum, quia eximiæ ſingularitatis & elegantiæ ſunt. Prima de cæremoniis in natali Auguſti die celebrandis agit, & de ara Auguſti numini dicata : de cœna publica in Natali Tiberii, Q. Cæſelii Labeonis peculio in perpetuum fundata ; de geniis eorumdem Auguſtorum, ad epulas invitatis ; de ludis ſex dierum ; de mulſo (eſt potionis genus) & cruſtlo ſive cruſtulo. popularibus in Liviæ Auguſtæ natali dato, & de ſtatuarum Auguſti, Tiberii, & Liviæ dedicatione. Queis omnibus amplo commentario opus ; ſed iter agenti moras tantas trahere non licet. Secunda inſcriptio ad cohortes VII. vigilum ſpectat quæ, teſte Suetonio, ab Auguſto reſtinguendis incendiis agendiſque nocturnis vigiliis conſtitutæ ſunt : eæ ſeptem primùm fuere ; ſed inſequenti ævo, auctæ numero, ac in pleriſque Urbis partibus ſtatutæ ſunt. Hic vigilum nomina deſcribuntur, & ſub initium ludi iiſdem vigilibus, ut credere eſt, conſtituti memorantur : nam diruptæ labefactatæque lineæ integram non efferunt ſententiam. In hac & in ſequentibus inſcriptionibus quæ frequenter occurrit figura 7. qua numerum ſeptimum exprimimus, interpunctionis ſolùm & diſtinctionis cauſa ibi uſurpatur. Tertiæ inſcriptionis fragmentum ad claſſicas cohortes Miſenatium

ſive Ravennatum ſpectabat, ut his verbis *Trieris Spei*, *Liburna Fidei* conſpicuum : hæc enim nomina trierium & navium, tunc uſui erant; ſic in quadam inſcriptione Ravennæ, *Liburna Diana* legitur, nomen ſcilicet navis velocioris quas nos *fregate* vulgari uſu vocitamus. Quarta inſcriptio ad quam rem ſpectet ademto titulo non ita conſpicuum : in ea conſulatus annotantur, & cujuſque viri memorati patria, Severoque imperante confecta eſt. Quinta inſcriptio conſulatibus multis inſignis, atque nominibus virorum & urbium, amoto pariter injuria temporum titulo, ad quam rem ſpectet non ita facile eſt augurari. A Grutero autem allata fuit, ſed mutila ac in pleriſque vitiata. Libet adjicere inſcriptiones binas : quarum alteram in ædibus Nicolinis exſcripſi, alteram D. Anſelmus Bandurius Piſis delineavit in ædibus Roncioniis. Prior lignariis ſive materiariis inſtrumentis, ſecunda ferrariis inſignis eſt.



XXII. Martis, comite D. Magliabechio, qui rariſſime ſpa-

tiatum extra Urbem concedit, Fesulum petimus : & in acclivi montis in cœnobio Canonicorum regularium excepti probe, bibliothecam Cosmæ, qui Pater patriæ dicitur, jussu concinnatam evolvimus, codicibus illius ævi scilicet xv. ante exortum typographiæ exaratis, instructam, quorum catalogum hic damus.

Josephi antiquitates & de bello Judaïco duobus tomis.

Hegesippi de bello Judaïco.

Origenis in Scripturam tomi duo.

Tertulliani opera.

S. *Cypriani* opera.

Lactantii institutiones.

Eusebii Pamphili Historia Ecclesiastica interprete *Rufino.*

Eusebii Pamphili Præparatio Evangelica, interprete Georgio Trapezuntio.

Ejusdem Chronicon.

Athanasii opera interprete Ambrosio Camaldulensi.

Hilarii opera.

Basilii Hexaemeron & alia opera Latinè.

Ambrosii codices bene multi.

Hieronymi codices.

Joannis Chrysostomi, interprete Aniano.

Joannis Chrys. in Evang. Joannis, interprete Francisco Domino Mariocti Arretino Hom. LXXX.

Ejusdem in epist. ad Corinth. Latine.

Chrysostomi Sermones a Lylio Tifernate versi & Nicolao V. nuncupati.

Ejusdem adversus vituperatores vitæ Monasticæ, interprete Ambrosio Monacho Camald. Sinibaldus scripsit an. MCCCCLXI.

Thesaurus *Cyrilli* interprete Georgio Trapezuntino, & in eodem codice *Chrysostomi* contra Anomœos; item vitæ Joannis Chrysost. .Gregorii Nazianz. & Athanasii Alex. per *Joannem Tortelium.*

Augustini operum codices multi.

Pauli Orosiii opera.

Historia Tripartita.

Bedæ opera quædam, & in eodem codice, Vita B. Agnelli Neapolitani.

Joannis Damasceni quædam Latine.

Item SS. *Bernardi*, *Thomæ Aquin. Bonaventuræ* codices non pauci.

Fratris

Fratris *Vincentii* ſpeculum hiſtoriæ.

Sozomeni Piſtorienſis hiſtoriæ.

Varro de Origine linguæ Latinæ.

Julii Cæſaris codex, emendatus a Julio Celſo.

M. T. Ciceronis opera omnia duobus tomis. Alii ejuſdem codices.

Titi Livii decades ſcriptæ anno 1431. 24. Maii. Alius ejuſdem codex.

Quintiliani codex.

In codice uno. *Salluſtius*, *Florus*, *Sextus Rufus*, *Plinius* Veronenſis ſecundus de Viris illuſtribus, *Æmilius Probus*, *Suetonius Tranquillus*, Epitome *Plinii* de hiſtoria naturali, per *Ludovicum de Guaſtis* ad illuſtrem principem Paulum Gumiſium Dominum Lucenſem.

Juſtini epitome Trogi.

Quinti Curtii codex.

Plinii hiſtoriæ ejuſd. ætatis.

Senecæ opera & carmina.

Columellæ codex.

Priſciani Grammatica.

Donatus in Terentium.

Virgilii codex.

Servius in Virgilium.

Diogenes Laërtius Latine, interprete Ambroſio Camaldulenſe.

Vigeſima tertiâ Magnum Hetruriæ Principem, Magni Ducis filium tum jacentem morboque adfectum, adiimus, quicum diu fabulatus ſum. Eſt Princeps cum aliis omnibus naturæ dotibus inſtructus, tum ingenii elegantiâ atque urbanitate conſpicuus. Is Bibliothecam in uſum proprium parat; eſt quippe rei litterariæ ſtudioſus, demumque laudati patris digniſſimus filius.

XXVIII. rogante D. Blanco ad ædes Marchionis Nicolini, fratris illius de quo ſupra, convenimus, viſum ſtatuas iconeſque marmoreas. Obſervantur ibidem capita Julii Cæſaris, Tiberii, Trajani, Antonini Pii, Lucii Veri. Exſtat ibidem Anaglyphum affabrè cælatum Sabinam exhibens Hadriani uxorem. Aliud Fauſtinam juniorem exprimit. Icones item Criſpinæ uxoris Commodi, Antoniæ Neronis Druſi uxoris,

Didiæ Claræ filiæ Juliani, Juliæ Titi, Juliæ Aquiliæ Severæ uxoris Elagabali. Sed quæ præſtantiſſima omnium, eſt Orientalis Regina laureata, quam ſuſpicor eſſe Zenobiam.

Eccleſiam S. Mariæ novæ FF. Prædicatorum adiimus, ubi ſepulcrum Joſephi patriarchæ Conſtantinopolitani. Is cum Florentiam ad Concilium ſub Eugenio IV. veniſſet, ibidem diem obiit anno 1439. Junii XI. ejuſdem Epitaphium ſic habet.

Eccleſiæ antiſtes fueram qui magnus Eoæ
Hic jaceo magnus relligione Joſeph.
Hoc unum optabam miro inflammatus amore
Unus ut Europæ cultus, ut una fides.
Italiam petii, fœdus percuſſimus unum
Junctaque Romanæ eſt, me duce, Graia fides.
Nec mora, decubui: nunc me Florentia ſervat,
Qua tunc concilium floruit urbe ſacrum.
Felix qui tanto donarer munere vivens,
Qui morerer voti compos & ipſe mei.

Haud ſemel bibliothecam S. Marci Dominicanorum viſimus, quæ ſecundum Laurentianam codicum præſtantia & copia Florentinis omnibus præcellit, Ebraïcis, Græcis, Latinis codicibus inſtructa probe. Singularis erga nos fuit eorum humanitas, ut catalogi conficiendi lubentiſſime facultatem concederent. Græcorum igitur ego, Latinorum Anſelmus Bandurius meus laterculum exaravit, in ſequenti tomo edendum: tantam enim ſupellectilem Diarii hujuſce brevitas capere non valet.

Florentiæ duos pene menſes verſatus, bene multa nec ſpernenda erui; opera uſus & conſilio cl. v. D. Anſelmi Bandurii Monachi Benedictini, & Antonii Salvinii, qui mihi ſemper nec rogati adfuerunt; multa manu propria exſcripſerunt, in ſequentibus publicanda. Prior jam mecum Pariſiis agit: operamque navat ſtrenuiſſime linguis Græcæ, Ebraicæ, litteriſque humanis atque divinis, ut ſpes ſit brevi fore peritiſſimum. Huc in eam rem tranſmiſſus a Magno Hetruriæ duce: cujus in litteratos maximè beneficentia ſtudiumque elucet in dies: Salvinius vero Florentiæ ornamentum, litterariæ rei peritia cum primis clarus, Græcas muſas maximè colit. Is magnam Græcorum poëtarum partem, in idioma Italicum hodiernum

eleganter, metro transtulit, Homerum videlicet, Hesiodum Anacreontem & alios. Monasterium B. Mariæ, Præfecto D. Angelo Nincio, cujus prolixam erga me voluntatem diu expertus sum, ipso curante jam floret disciplinæ Monasticæ fervore ac studio litterarum. Monachi omnes istic, probis moribus ac urbani cum primis sunt; quibuscum non peregrini sed fratris more versatus, omnibus humanitatis officiis exornatus sum.

Caput XXVII.

Pisæ. De Magno Hetruriæ duce. De ecclesia Græcorum Liburni. Thermæ Pisanæ. Iter Bononiam. De Esdræ autographo, ut putatur, in ecclesia Dominicanorum. D. Thomæ Aquinatis icon & inscriptio ibidem. Insignis Avicennæ codex. De turribus propendentibus. De Monasteriis Bononiæ. Musæum R. P. Minii. Bibliotheca S. Salvatoris Bononiæ Codices Bibliorum Ebraïcorum. Insignissimus Lactantii codex.

TRIGESIMA Martii cymba vehimur Pisas: insequente D. Petrum Benedictum Syriacè, *Ambarac*, convenimus. Is in monte Libano ortus, linguæ Syriacæ & Arabicæ Pisis doctor, opus parat perutile; Syriacos enim eclesiasticos ritus Latina interpretatione donat in usum eruditorum. Illo comite, Campum sanctum, ut vocant, adiimus, areamque subdialem, veterum sepulcris oppletam, baptisterium, Ecclesiam Cathedralem, turrim campanariam, quæ ab altera parte propendet, ac si vergeret in ruinam, sed hæc trita & vulgata sunt.

Sub hæc Magnum Hetruriæ ducem visimus, ab eoque perhumaniter ad colloquium admissi, pietatem ejus divinarumque rerum studium mirati sumus. Is rem litterariam pro virili fovet; eruditos quosque ex variis orbis partibus magnis stipendiis evocat: quo factum, ut nusquam per Italiam tot homines variis disciplinis exultos, quot in ditionis suæ terris compareant: in penitiore Palatii sui conclavi, sanctorum Patrum

opera deprehenduntur, eorumque aſſidua tractatione, vivendi pariter ſubditoſque regendi normam mutuatur. Beneficentia & humanitate nemini Principum concedit, proborum perfugium, litteratorum patronus, animo vere regio inſtructus. Is nos xeniis nulliſque non benevolentiæ ſignis ac officiis exornavit.

Primâ Aprilis iter habemus Liburnum; in ſylva plerumque itur, ſuberes iſtic frequentes, ut in Neapolitano itinere, occurrunt. Urbs munitiſſima eſt, & in dies augetur: eſt tractus urbis qui jam conſtruitur, Venetiæ novæ dictus, quia canales in medio vicorum deducti ſunt. Urbs elegans eſt, vici ad amuſſim: in exitu urbis quà itur in portum eſt ſtatua perelegans marmorea Ferdinandi primi magni Hetruriæ Ducis, ad cujus ſtylobaten catenis onuſti captivi quatuor ænei colligati ſunt, a perita manu elaborati.

Inde in Eccleſiam Græcorum, in cujus ingreſſu his verſibus annum fundationis ediſcimus.

Σηκὸν τὸν δ᾽ ἐδόμησαν ἀγάκλυτοι υἷες Ἀχαίων
Θεοτόκῳ δαπάνης ἐξ ἰδίης Μαρίῃ ͵ΑΧΚΗ.

Hoc eſt

Templum hoc excitaverunt inclyti Græcorum filii, i. Græci
Deiparæ Mariæ propriis ſumptibus 1628.

Eccleſia ornatu caret, in medio navis eſt lapis ſepulcralis presbyterorum cum hac inſcriptione.

Τοῖς θνήσκουσιν ἱερεῦσιν οἱ τῶν ἑλλήνων
Παῖδες ἀνέθηκαν. Id eſt:

Morientibus ſacerdotibus Græci poſuerunt.

Ad ſynagogam poſtea Ebræorum properavimus, quæ ornatior eſt quam in aliis urbibus; nam Judæi iſtic magna fruuntur libertate. Volumen Biblicum, ad ſynagogæ ritum concinnatum, inſpeximus. Qui aderant Ebræi etiam adoleſcentes plus Ebraice ſciebant quam ſoleant alibi.

Secunda Aprilis remigramus Piſas, & in adventu noſtro proceſſio equitum ab Eccleſia S. Benedicti proficiſcebatur ut S.

Stephanum peteret: omnes albo pallio operti incedebant: agmen claudebat magnus Hetruriæ Dux.

Pomeridianas horas visendis thermis Pisanis, quarum grandes hodiè reliquiæ supersunt insumsimus: & quia non solent eo se conferre qui animi causa peregrinantur, puta quia minus notæ sunt, inscriptiones quæ a paucis annis istic positæ sunt proferimus.

A dextris muri forinsecus ita legitur.

D. O. M.

Parietinæ quas viator aspicis reliquiæ Thermarum sunt, quibus antiquitus Pisana civitas utebatur: Harum quum reliquas partes tempus edax consumpserit, sudatorio dumtaxat pepercit, quod nec innumerabili annorum serie, nec barbarorum injuriis eversum, studiosos vetustatis oculos ad se allicit. Id ingredere & attentiùs contemplare, si rerum antiquarum studio delectaris: videbis integram ædificii formam, observabis rationem luminum, & quomodo calor per tubos immitteretur, nihil notitiæ tuæ subtractum queréris, nec facile quicquam alibi in hoc genere inveniri posse perfectius affirmabis, & simul gratias ages providentiæ Serenissimi Cosmi tertii magni Etruriæ Ducis qui ne hoc antiquitatis insigne monumentum funditùs interiret, ejus curam diligentemque custodiam imperavit anno CIƆIƆCXCIIV.

A sinistris vero.

D. O. M.

Sex viri qui Parthenonem, ubi parentibus orbæ Virgines aluntur & educantur, qui vulgo Charitatis domus appellatur, moderantur, ejusque rem administrant, quum ad suum jus ditionemque pertineat hic locus, in quo sudatorium Thermarum Pisanarum tot sæculis, tot casibus mansit invictum & officii sui minimè negligentes, & magni Ducis jussibus obtemperantes & antiquitatis reverentia moti, reliquias tam vetusti tam insignis ædificii omni ope & cura tuendas & conservandas censuerunt An. sal. CIƆIƆCXCIII.

Magistratum gerebant

Eques Gaspar Ledus	*Julius Gaetanus*
Eques Joannes Baptista Nervius	*Tiberius Gualandius*
Eques Onuphrius Mosca	*Joannes Lafranchius Chiccolius*

Pisis Florentiam, indeque Bononiam octavâ Aprilis multa nocte venimus: insequente Monasterium S. Proculi Benedictinorum elegantissime structum petimus: in cujus porticu, qua respicit hortum, ad alterum xysti terminum Gratiani illius, olim Monasterii Monachi, a Decretalium compilatione famosi, statua erigitur; ad alterum vero, Panormitani, qui olim Bononiæ studiis vacavit.

Studiis nostris peropportunum offendimus D. Marsilium ex nobilissima Bononiæ stirpe, qui nuper in episcopum Perusinum eruditionis virtutisque causa electus est. Hujus ædes a viris quibusque doctis frequentatæ, qui statis diebus, de rebus Theologicis acturi eodem confluebant. Is nos in bibliothecam S. Salvatoris deduxit, quò deinceps horis succesivis concessimus, inspectum codices, qui istic non pauci, vetustate atque elegantia spectabiles adsunt; curante D. Federico Passini ejus cœnobii canonico regulari: nam Augustiniani canonici sedes istic habent. Narrabat nobis Marsilius, Ariam Montanum impetratâ olim facultate codicum, sicubi in Italia occurrerent, emundorum, multos exportasse, qui jam in bibliotheca Scorialensi latent, ac ut ita dicam, sepulti sunt.

A D. Vicelegato quem obsequii causa convenimus, honorificè excepti ad pisculentam mensam invitati ac lautè habiti, palatium Urbis quod incolit ipse lustravimus. Ibidem in udo depictam vidimus historiam Hentii Sardiniæ Regis, qui cum bellum Bononiensibus movisset, ab iisdem captus est: res his carminibus enuntiatur.

Felsina Sardiniæ regem sibi vincla minantem
Victrix captivum consule ovante trahit:
Nec patris imperio cedit, nec capitur auro.
Sic cane non magno sæpe tenetur aper.

Historiam ignorat nemo, nec est ea hic pluribus recensenda.

Undecimâ, S. Dominici Monasterium adimus, ordinis ejusdem nominis caput, in quo corpus S. Dominici asservatur. In platea ante Ecclesiam sepulcra permulta sunt pyramidali formâ: sed omnia ad sequiora sæcula pertinent: nec in platea modo, verum & in peristyliis aliisque Monasterii locis, oc-

currunt passim monumenta paris formæ: Unius inscriptionem exaravi, videlicet Mariani Sozini,

Mariano Sozino juniori
Senensi, vixit. ann. LXXIIII.
M. IIII. & D. XXV. Obiit an.
MDLVI. die XIX. Augusti
Filii mœstissim. Patri opt. p.

Inerat jamdiu cupido evolvendi Codicis, quem a multis annis in sacrario S. Dominici asservari acceperam: esseque librum Esdræ αὐτόγραφον. Roganti ut evolvere liceret, perhumaniter optatum me assequi curarunt Patres Dominicani. Quia vero duplici clave obseratum hujusmodi cimelium tenent, & clavis altera penes magistratum, altera vero penes Monachos est, utraque iis curantibus adfertur, & educitur ingens volumen, seu convolutus liber. Estque pellis vituli subacta & tractabilis, in qua non Esdræ liber, ut multorum sermone fertur, sed Pentateuchus habetur, more bibliorum quæ etiamnum apud Ebræos in synagogis asservantur, pauculas recentiore manu marginales notas observavi. Litteræ vix quidquam nigredinis amiserunt, quod pelli tribuitur atramenti retinentissimæ. Codex a Judæis huic Monasterio dono oblatus fuit quo tempore Aymericus Præfectus & magister ordinis erat, initio scilicet decimiquarti sæculi ab annis quadringentis; inscriptio in medio volumine assuta rem denuntiat his verbis.

Hic rotulus legis est quem scripsit Esdras scriba manu sua, quando sub Cyro rege redierunt filii captivitatis in Jerusalem, & ædificaverunt secundum templum, quod fuit consummatum in quadraginta duobus annis, & duravit CCCCXX. annis, scilicet usque ad 42. annos post passionem Christi. Quod autem sit ille idem numero, habitum est per crebram famam Judæorum antiquorum qui fuerunt confessi in diversis synagogis, ubi etiam conservabatur. Ab antiquo pro tali habebatur inter Judæos de generatione in generationem; & pro tali recepit eum reverendus magister ordinis frater Aymericus, cujus est. Talem etiam probaverunt ipsum Judæi litterati habitis certis experimentis litteralibus in præsentia mei fratris P. Marsilii & Lectoris Perpyniani & fratris Petri Lobii. Quæ quidem si-

gna in aliis rotulis aut non talia, aut non tam perfecta habentur, ut ego probavi in multis rotulis valde antiquis & modernis. Certus itaque debet haberi & cum reverentia tractari rotulus iste, quia a tanto autore scriptus, & post combustam legem inspirante sancto Spiritu ordinatus, & aliis rotulis pro originali datus, ac tantis temporibus conservatus. Et quod non minus est ut nos & Judæi credamus, in templo monstrabatur in præcipuis festivitatibus, præstante actore legis ipso Deo & Domino nostro Jesu Christo.

Hæc ut ex charactere liquet, tempore Aymerici Magistri ordinis conscripta sunt, qui eo officio fungebatur anno Domini 1308. Hinc palam est a vero aberrare eos qui æstimant Hebraïca biblia nulla occurrere ab annis plus quadringentis exarata. Nam anni quadringenti sunt, quam hic codex dono oblatus Aymerico fuit; qui tum perantiquus habebatur. Ac licet fabulam sapiat quod aiunt Esdræ ipsius manu exaratum; negari sane posse non videtur aliqualis saltem vetustatis tum fuisse cum traditus Aymerico fuit.

Præter inscriptionem Latinam superius expressam adest Ebraïca a perita manu exarata, quæ pene erasa est; eam hic pariter proferimus.

זה ספר תורת משה
אשר כתב עזרא הספר
ויקרא לפני הקהל
מאיש ועד אישה
ויעמד על מגדל עץ

Id est: *Hic est liber legis Moysi, quem scripsit Esdras scriba, & legit eum in conspectu multitudinis a viro usque ad mulierem, & stabat in turri lignea*, id est, in suggestu ligneo.

Hæc inscriptio eodem edita tempore putatur, quo latina superius allata: nimirum Ebræi, cum munus istud Aymerico offerrent, tale commentitiæ antiquitatis testimonium una protulerunt.

Ibidem

Ibidem ad imaginem antiquam D. Thomæ Aquinatis hæc leguntur.

DIVO THOMÆ AQVINATI.

Hæc vera eſt Thomæ facies expreſſaque divi
Qui ſcriptis toto lumen in orbe dedit,
Hoc merito ſibi nomen erat, nam gratus & altus
Incomprehenſibilis magnus, abyſſus erat.
Splendida Dominici fuit iſte lucerna Parentis
Ordine ſub ſacro claraque ſemper erit.
Diſcite vos omnes leges & ſacra colentes
Sectari tanti dogmata ſancta viri.

σημειῶσαι ὅτι τῆς ἁγίου τοῦ
Θῶμα ἀρχέτυπον (ſic) εἰκόνα

Reſtaur. A. D. MDCLXXXIII.

Græca hæc ſilbi volunt: *Nota hanc eſſe archetypam imaginem ſancti Thomæ.* Carmina iſthæc cum in perniciem irent, anno 1683. ut ibidem fertur, reſtaurata ſunt.

In ſacrario monſtrant caput S. Dominici & pollicem ſancti Thomæ Aquinatis. Dormitorium magnificum eſt ac peramplum. Ad Bibliothecam inde ducimur, cujus veſtibulum perpulcrum, & grande ſpatium occupat, duplici columnarum marmorearum ordine fultum. Eſt illa probe inſtructa libris editis, & aliquot manuſcriptis codicibus. Duos tantum, quia cuſtos ſpatiatum conceſſerat, evolvere licuit: alius codex complectitur Biblia Hebraïca perantiqua, in quorum frontiſpicio legitur

Iſtam Bibliam Hebraïcam dedit frater Guillelmus Pariſienſis ordinis Fratrum Prædicatorum Confeſſor Illuſtriſſimi Regis Francorum (ſic) *conventui Bononienſi pro communi Libraria Fratrum, propter reverentia* (ſic) *Beati Dominici anno MCCCX. pridie idus Febrnarii. Quicumque legerit in ea, oret pro eo. amen.*

Alius item codex iſtic eſt Avicennæ, pulcherrimis, minio

delineatis picturis exornatus : adest ibidem depictus portus Alexandrinus qua formâ illo ævo fuit.

In fronte libri sequens inscriptio legitur.

אבן סנה
מהעתקת רבינומשה בן מיימין ז״ל
נעשתה במצרים מספר אבן סנה
שקבל מה סלטן הגדול מלך
מצרים בשנת ערבעת
אלפים תשע מאות
וארבעים וששה
ליצירה

ליי״א

Id est.

Aben sana, sive Avicenna.

Ex translatione Magistri nostri Moysis filii Maiemon, memo- ejus sit in benedictione, facta in Ægypto ex libro Aben senæ, quem accepit a Sultano magno Rege Ægypti in anno quater millesimo nongentesimo quadragesimo sexto Creationis, id est Christi 1194.

Tres ultimæ litteræ ליי״א quid significent haud ita perspectum habemus. Vir eruditus Ebraiceque doctor Samuel Werenfelius Basiliensis, cujus ea de re sententiam rogavi, æstimat legendum לכן יאמר אמן *propterea dicatur amen* : cui conjecturæ nostram adjicere liceat. Auguror legendum ליהוה אלהים, *Domino Deo.* In calce libri legitur Italico idiomate epistola, qua narratur Ferdinandum primum, ejus potiundi cupidum, obtulisse ducentos *ducatos*, neque optata assequutum esse.

Ipsa die Illustrissimus Marchio Sampierus dono dedit nobis fastos Ludovici Magni Italico vulgari idiomate, Bononiæ cusos. Is ipse vir clarissimus exhibuit nobis donum vere Regium quod ab ipso Principe nuper acceperat.

Turres Asinellam & huic proximè sitam Garisendam haud semel inspectavimus. Hæc postrema ita pendet ut perpendiculum superne emissum ad septem pedes ultra imam muri partem cadat : &, ut rem exploranti patet, quando turris isthæc inclinata fuit, magna pars ejus in ruinam ivit, quia scilicet

qua parte declinavit solo minus firmo nixa erat, quod de aliis quibusque turribus similiter propendentibus dicendum videtur. Præter Pisanam enim & Garisendam, Venetiis turris campanaria S. Mariæ Zobenicæ, ab altera parte haud parum inclinatur: similiterque Ravennæ turrim aliam observavi propendentem, quia scilicet mobile solum premente mole paulum cesserat. In itinere Ferraria Venetias, ubi paludosum solum, vetustissimum ædificium occurrit, ab una parte deflexum. Præsto esset exempla similia proferre. Garisenda vero declinante structura tota, magna parte lapsa est, ut in fastigio ejusdem statim animadvertitur. In Monasterio S. Joannis in Monte Bononiæ epitaphium legitur, ubi de turris cujusdam ruina mentio; sic fert inscriptio.

Antonio Bologneto 1 c. quem
Turris super ædes repente
Lapsa misera quondam morte
Oppressit, & Jacobo Mar. filio
Integerrimo, Jacobus Mar. eques &
Hier. Camilli filii, patri
Avo & proavo BB. PP. anno
MDLXXII. die mens. (sic)

Duodecima comite R. P. Passinio in ecclesiam S. Bartholomæi Theatinorum concedimus, quæ recens est & eleganter structa. Inde ad B. Mariam Servorum prægrandem & Gotthico, ut vocant, more structam; ornatamque probe statuis. Peristylia, dormitoria pulcritudine ac magnificentia spectabilia sunt, vereque ut Monasteria Bononiæ cæteris aliarum urbium præstant elegantia & nitore, ita istuc omnibus aliis Bononiensibus, nisi fortasse S. Michaëlem in sylva excipias, antecellit; monstrant hydriam ex earum numero, ut aiunt, in queis Christus aquam in vinum convertit. Estque prorsus similis urnis sepulcralibus quæ nuper à D. Card. Bullonio S. C. decano in Portu Ostiensi detectæ sunt. Ea marmorea est altitudine pedali frondibus extrinsecus ornata.

In Conventu Franciscanorum sepulcrum Accursii vidimus ad ingressum Ecclesiæ situm, & pone chorum sepulcrum Alexandri V. Papæ, qui obiit anno Christi 1410. Petri scilicet

Philareti quem pleræque Pontificum historiæ Græcum fuisse tradunt : at asseverabant Bononiæ Italum fuisse; nomenque illius in Philaretum commutatum.

Pomeridianam ambulationem ad S. Michaëlem in Sylva dirigimus, quod sive situs, sive magnificentia ædificiorum spectetur, vix simile admittat. Peristylium parvum picturis celeberrimorum Caraccii & Guidonis Reni decoratur; istic visuntur historiæ S. Cæciliæ, S. Benedicti &c. Dormitorium nosocomiumque superbè structa, xenodochium vel Regi excipiendo par. Ecclesia itidem nitet & picturis exornatur. In Bibliothecam inde ducimur libris μετρίως instructam, codices manuscripti ibidem paucissimi sunt; in unum incidi complectentem *Macrobii* somnium Scipionis & Saturnalia, manu Rodulphi Falconensis Cardinalis Aragonii conscriptus. Prospectus mirabilis est, in latissimam quippe Longobardiæ planitiem circumquaque ac latissime patet.

Decimâ tertiâ Mutinam concedimus, quæ viginti milliaribus Bononiâ distat. Istic in Monasterio S. Petri a D. Abbate ex illustri Malaspinarum familia urbanè excipimur, una cum Domino Abbate Courcier itineris socio. In isto Monasterio etiam nunc degit V. cl. Benedictus Bacchinius vir eruditus, necessarius meus, qui tunc ultimam manum Agnello suo Ravennati admovebat, qui jamdiu typis maturus est. Nec mora evocatur V. cl. Antonius Muratorius Bibliothecarius serenissimi Mutinensis Ducis, qui tot nos officiis per Mediolanum otium prosequtuus est : is Anecdotorum tomum parat, ubi opuscula quædam Græca, scilicet epistolæ nonnullæ Gregorii Nazianzeni, ejusdemque carmina, & epistolæ Firmi Cæsareæ Episcopi; & Juliani Apostatæ, quæ postremæ dignissimæ luce mihi visæ sunt.

Decimâ quintâ remigramus Bononiam. Ipsaque die visimus musæum R. D. Francisci Minii e congregatione Regularium Clericoruim; in cujus argentea serie numismata bene multa perrara habentur; hæc in præstantissimis observantur.

Nummus Tiberii in cujus postica Clypeus. In medio Clypei caput. Inscript. MODERATIONI S. C.

Pescennii Nigri nummus, in cujus postica fortunæ typus. FORTUNAE REDUCI.

Nummus Getæ in cujus postica caput galeatum, PONTIFEX COS.

Nummus Diadumeniani in cujus postica luna in biga. LUNA LUCIFERA.

Sunt ibidem alia numismata perrara, & icones antiquæ æneæ, in queis figura ab umbilico Juliæ Piæ Severi, ut quidem æstimat ipse, non constare certe puto.

Decima sexta in ecclesiam S. Stephani Cœlestinorum pergimus, cujus Abbas commendatarius episcopus Osnabrucensis est. Istic septem ecclesiæ aliæ aliis cohærent, quas aiunt olim fuisse totidem templa numinum; sed vel ipsa ædificii forma cum hac sententia pugnat.

Animus erat Aldrobrandinum Musæum visere, toto orbe litterario famosum; verùm absente custode, optatum assequi non potuimus. Post in Ecclesiam S. Joannis de Monte Canonic. regularium properamus; eo iter habentibus in domo quadam ostenditur suggestus crate ferrea munitus, e muro erumpens, in quo solebat Azo juris peritus celeberrimus, qui sæculo duodecimo floruit, discipulos suos in publica via positos alloqui. In ecclesia sancti Joannis de Monte monstrant capitellum ordine Corinthio affabre sculptum, quod aiunt ex templo Salomonis istuc transvectum; istic item ligneum calicem rudi opere exhibent, quo aiunt S. Joannem Evangelistam ad rem sacram usum: itemque brachium ut putant S. Mariæ Ægyptiacæ. In eadem ecclesia Tabella pulcherrima est magni Raphaelis Urbinatis, historiam S. Cæciliæ repræsentans. Est ibidem epitaphium, singularem & portenti similem narrans historiam Helenæ cujusdam, quæ *beatæ* nomine insignitur. Istæc Helena, ut fert inscriptio, ex aula Mahumeti II. Bononiam translata est, atque in domo Dogliolorum educta, cum divinitus in puellæ Doglioli filiæ formam immutata fuisset, deinde connubio juncta, in virginitate, vel nupta, duxit ætatem, ejus autem corpus hodieque incorruptum dicitur. Neque tamen expedit inscriptio a difficultate quæ in ejusmodi metamorphosi sese primo intuitu menti offert; quid scilicet actum sit de puella Dogliola cujus formam accepit Helena. Num forte dicatur ex duabus unam factam, ex quo sane prodigium augeatur?

Antequam Bononia digrediamur, notam codicum cœnobii

canonicorum Regularium S. Salvatoris proferre visum.

Megillat Esther volumen ex pelle vituli subacta, vetustissimum & usu tritum, quale supra depinximus volumen Pentateuchi, ab ipso Esdra ut æstimant exaratum, & videtur sane ipso Pentateuchi volumine antiquius.

Biblia sacra tribus tomis membran. in postremi fine hæc leguntur.

אני יצחק בר
יעקב כתבתי
לר מנחם בר
יהוצדק הומש
תרגום ונבאים
וכתבים וסיימתים
בשלישי בשבת
בעשרים וששה
לחדש אדר שנת

תתקנג והמקום
יזכהו ללמד בהם
הוא וזרעו וזרע
זרעו מעתה ועד
עולם אמן

Et subjicitur recenti manu, vernaculo idiomate, sequens interpretatio, non ita accurate concinnata. *Isaac filiolo de Jacob scrisse questo libro, cio è tuto el corpo di questa biblia a Manuel filiolo de uno chiamato Solcedac, e fù finita el Martedi a di 26. del mese di Marso del 953. in tre volumi.* Sic vertendum puto. *Ego Isaac filius Jacobi scripsi Rabbi Manahemo filio Jehosedec Pentateuchum cum interpretatione, & Prophetas, & Hagiographa, cum signis & paragraphis suis; in tertia Sabbati, sive hebdomadis, feria, vigesima sexta mensis Adar, anno 953. (hoc est Christi 1187.) Et Deus purificet ipsum, ut edoceatur in illis ipse & semen ejus & semen seminis ejus, ex hoc tempore usque in sæculum, amen.* Hic secundum supputationem parvam numerantur anni omissis millenariis; quamobrem annum 4953. a creatione mundi juxta supputationem Hebræorum intelligas. Res est trita apud Rabbinos, Deum vocari, המקום quo intelligunt, *illocabilem*, sive infinitum. Ab annis igitur plus quadringentis descriptus codex fuit, quo ar-

guuntur ii, qui putant codices Bibliorum Hebraicè non extare tantæ antiquititatis.

Biblia sacra Ebraïcè cum commentariis, codex antiquus membr.

Biblia sacra Ebraïcè, cum notis Massoreticis.

Codex Ebraïcus antiquus habens *Hesaïam* & *Jeremiam.*

Rabbi *David Kimhi* expositio Prophetarum cod. membr.

Rabbi *Samuelis* liber translatus ex Arabico in linguam Ebraïcam.

De Esau, liber Rabbinicus, cujus exordium אני הצעיר *Ego Seir.*

Codex Orationum Ebraïcè mss.

Codex Ebraïcus ad medicinam spectans.

Codex sic habens initio: *Incipit epistola Rabbi Samuelis Isdraelitæ, oriundi de civitate Regis Manichæorum, missa Rabbi Isaac magistro Synagogæ quæ est in sublime in regno prædicto, anno Domini millesimo. Sed translata de Ebraïco in Latinum per fratrem Alphonsum Bonum-hominem Hispanicum: quam translationem fecit anno Domini millesimo CCC° trigesimo nono, sanctissimi Domini Benedicti Papæ duodecimi pontificatùs sui anno quinto.* Init. *Desidero, Domine mi, certificari.* In eodem codice recurrit idipsum opusculum Italico idiomate.

Codex non spernendæ vetustatis, in quo Psalmi charactere Slavico.

Codex Psalmorum Grece membr. XI. sæc.

Codex complectens Prophetas minores & Danielem membranaceus; in cujus fine sic legitur: Ἐτελειώθη ἡ δέλτος αὕτη μηνὶ Μαρτίῳ Γ. ὥρᾳ Β. ἡμέρᾳ Β. ἐπὶ βασιλείας Κωνσταντίνου Μονομάχου καὶ Ζωῆς τῆς Πορφυρογεννήτου, καὶ πατριάρχου Μιχαήλ· γραφεῖσα διὰ χειρὸς Σαβᾶ ἀδελφοῦ καὶ πρεσβυτέρου· οἱ ἀναγινώσκοντες εὔχεσθε ὑπὲρ ἐμοῦ διὰ τὸν κύριον· ἔτους ͵ςφνδ ἰνδ. ιδ. i. *Absolutus est hic liber tertia mensis Martii, hora secunda, feria secunda, Imperante Constantino Monomacho & Zoe Porphyrogenita, Patriarcha Michaele. Scriptus manu fratris Sabæ presbyteri. Qui legitis orate pro me per Dominum. Anno 6554.* (id est, Christi 1046.) *indictione 14.*

Codex novi Testamenti Græcè membranaceus XI. sæculi.

Codex Psalmorum Græcè membranaceus XI. sæculi.

Codex in quo *Athenagoræ* legatio. Ejusdem de Resurrectione corporum. *Justini* Martyris moralis Oratio. Ejusdem alia.

Item de recta fide ejusdem. *Origenis* epistola ad Africanum. *Cleomedis* κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων. *Heron* de machinis bellicis: amanuense Valeriano Albino.

Eusebii Cæsariensis Demonstratio Evangelica Græcè, initio mutila. *Tatiani* contra gentes. Codex scriptus a Valeriano Albino Canonico Regulari S. Salvatoris anno 1533. duobus tomis.

Codex x. sæculi membranaceus *Basilii* in Psalmos. Ejusdem homiliæ de jejunio; in illud, *Attende tibi ipsi*, περὶ εὐχαριστίας, in Julittam.

Codex x. sæculi membranaceus S. *Joannis Chrysostomi* in illud: *vidi Dominum*, contra Judæos & contra Anomœos.

Codex bomb. XIII. sæculi, *Metrophanis* in Spiritum sanctum. *Joannis Chrysostomi* homiliæ quædam. *Lucæ* Monachi enarratio in Evangelium. Cujusdam Archiepiscopi Mediolanensis de Spiritu Sancto. Fragmentum historiæ Byzantinæ anonymi.

Codex x. sæculi membranaceus, *Theodoretus* in prophetas.

Codex XIV. sæculi bomb. in quo *Christoduli* historia Imperatorum C. P. Præit epistola *Nili* ad Christodulum, sequitur responsio *Christoduli*. Historia sic incipit, ὁ βασιλεὺς τοίνυν Ἀλέξιος ὁ τὴν ἐπωνυμίαν Ἄγγελος τῷ Θεοδώρῳ.

Codex recens bombyc. *Theodori Prodromi* Erotemata ad grammaticam spectantia, Sebasto cratorissæ nuncupata. Item *Heliodori* philosophi ad Theodosium Imperatorem de philosophorum mystica arte. Item *Joan. Damasceni* τί ἐστι θεός; &c. *Procli* Sphæra, *Plutarchi* de musica.

Simplicius in Epitectum codex recens bombycinus, in cujus fine legitur, Ἀντώνιος ὁ Μεδιολανεὺς καὶ ταύτην τὴν βίβλον ἐν Κρήτῃ ἐξέγραψα χάριν τοῦ πάσαις ἀρεταῖς κεκοσμημένου εὐγενοῦς ἄρχοντος κυροῦ Γεωργίου Δαμουλίνου, ὀφείλων αὐτῷ οὐ μόνον τὴν μεταγραφὴν ταύτης τῆς βίβλου, ἀλλὰ καὶ ἄλλων πολλῶν ἀξιολόγων, τῶν πολλῶν καὶ καλῶν προϋπαρξασῶν ὑπ' αὐτοῦ χαρίτων ἐμοί, κατὰ τὴν κγ τοῦ Φευρουαρίου ᾳυϙ ἀπὸ τῆς κυριακῆς ἐνανθρωπήσεως ἐτελειώθη. Id est: *Antonius Mediolanensis hunc etiam librum in Creta descripsi in gratiam nullis non virtutibus ornati nobilis ac principis Georgii Damulini, cui pro collatis mihi bene multis ac præclaris beneficiis, non hujus modo libri descriptionem, sed alia multa magnaque officia rependere debeo. Absolutus autem est hic liber 23. Februarii, anno a Dominica Incarnatione 1490.*

Galeni

Galeni de ſimplicibus, codex recens.

Euclidis elementa codex recens.

Procli in Euclidem. *Theonis* mathematica, cod. recens bomb.

Alcinoi in dogmata Platonis cod. recens.

Nicomachi Arithmetica cod. recens.

Ptolemæi Geographia cod. recens.

Dexippus Philoſophus in Platonem; *Hermes* Philoſophus; *Alexander Aphrodiſeus*, codex ſcriptus a Valeriano Albino Canonico regulari, qui alios codices exſcripſiſſe fertur. Vide ſuperius.

Aphthonii progymnaſmata, cod. recens bomb.

Nicomachi arithmetica; & *Manuelis Moſchopulii* grammatica cod. recens bomb. Ejuſdem *Moſchopulii* grammatica bis.

Anonymus de modo ſcribendi.

Æſopi fabulæ cod. recens bomb.

Lexicon Græco-Latinum membranaceum.

Æſchylus, cod. recens bomb.

Orphei carmina & *Euripidis* Hecuba.

Troas poëma cod. recens bomb.

Hi Codices Græci; ſequuntur Latini.

S. *Cypriani* epiſtolæ in codice recenti.

Lactantii codex membranaceus vetuſtiſſimus, charactere unciali, egregiæ notæ. Ibi loca Græcè bene multa adferuntur, accuratiſſime deſcripta, præter Latinorum codicum morem, ubi Græca miſere fœdata comparent. Codex eſt VI. vel VII. ſæculi. Vellem ſane Lactantium ad hujuſmodi codicem emendatum: ejus quippe nullus ut æſtimo hactenus fuit uſus. Alphabeta Græcè & Latinè, ut ibidem exſtant hic adferimus.

abcdefghiklmnopq
rstuxyz.

ΑΒΓΔΔΔΕΖΗΘΙΚΛΜΝ
ΞΟΠΡϹΤΥΦΧΨΩ

Δέλτα tribus modis exprimitur, ut vides in alphabeto Græco.

Codex XII. sæculi, *Burchardi* Vormatiensis Episcopi libri XIX. Primus de potestate & primatu Apostolicæ sedis, alii de Sacramentis & de ritibus. Præit epistola ejusdem ad Brunichonem.

Constitutiones Canonicorum Regularium sæculo XII. circiter.

Fratris *Nicolai Eymerici* de Inquisitione codex XV. sæc.

Regula S. *Augustini*, cum expositione *Humberti* Ordinis Prædicatorum.

Macrobii opera in codice membr. recenti.

Ovidii Metamorphoses in cod. membr. XIV. sæc. Ejusdem de Tristibus.

Adsunt ibidem cusi libri vetustissimi, Biblia Moguntina Joanne Fust & Petro Schoeffer typographis anno 1462. Editio prima Græcolatina Psalmorum Mediolani anno 1481. Aristotelis prima editio in membrana. Anthologia primò cusa sine nomine typographi & loci.



Caput XXVIII.

Venetiæ secundò. Inscriptio Corcyréa nobilissima. De ludis in festis Bacchi adhibitis. Numisma Aristomenis in Corcyra Archontis. Aliæ inscriptiones. Bibliotheca codicum Græcorum Justinianæa Venetiis. Patavium secundò. De Comneno Pappadopoli Græcæ linguæ doctore. Verona. Antiqua monumenta ibidem. Inscriptio Plinii suspecta. Musæum Moscardi. Inscriptio Græca. De securibus lapideis Barbarorum. Historia memorabilis detecti Barbarorum sepulcri. S. Zenonis ecclesia Benedictinorum. Musæum R. P. Catanei. Theatrum Parmense. Musæum Parmensium ducum. Cimeliarchium Vercellense. De Codice Evangeliorum S. Eusebio, ut quidem ferunt, interprete & amanuense. Vestis B. Virginis S. Helenæ manu confecta. Reditus.

Decima sexta proficiscimur Bononia, ac Ferrariam & Clodiam fossam prætergressi, decima nona Venetias adventamus. Insequente obsequii causâ D. Cardinalem d'Etrées adimus: cujus prolixam erga nos voluntatem studiisque nostris favendi studium haud semel experti sumus. Is nos plerumque ad convivium excepit, ac pro virili varias in Bibliothecas aditum paravit. Cum eo semel in Bibliothecam S. Marci concessimus, ubi peritiam ejus in Græcis nec sine stupore observavimus: nam is omnigena eruditione instructus pariter, ac rebus gerendis natus est.

Cæteros istic amicos convenimus S. D. Antonium Capellum egregium Patritii generis virum, Bernardum Trevisanum, Apostolum Zenum de quibus superius actum. Inscriptiones Corcyreas ejusdem Zeni beneficio ac dono nacti sumus: prima egregia est, singularissimumque antiquitatis monumentum. Eam quia ineditam æstimo, hic publici juris facere destinavi, qualem a Græco Corcyréo descriptam idem amicissimus nobis Zenus accepit.

Inscriptiones Corcyreæ ex dono humanissimi & doctissimi viri Apostoli Zeni Venetiis 29. Aprilis 1701.

Pro salute Magistratum gerentis Aristomenis, mensis Machanis vigesima quarta.

ARistomenes Aristolaïdaleus dat urbi Corcyreorum & Baccho in mercedem operariorum, argenti Corinthii minas sexaginta. Erogat quoque Psyllas Alcimi filius Corcyréorum urbi & Baccho, in mercedem operariorum, argenti Corinthii minas sexaginta. Deligat porro Senatus singulis vicibus in anno qui argentum fœnori tradant viros tres, qui pecuniâ maximè valeant: argentum vero fœnori tradatur, exigatur atque in usus postea conferatur, ut Senatui operæ pretium fore videbitur. Utque ad usuram dentur centum octoginta minæ, & fœnori tradantur eædem centum octoginta minæ. Transacto anno postquam centum octoginta minæ ad usuram traditæ fuerint, mittat urbs secundum legem Agonothetæ ad

Ἐπὶ σωτηρείᾳ πρυτανεύοντος Ἀριστομένεος, μηνὸς Μαχανέος τετάρτῃ ἐπὶ εἰκάδι.

ΑΡιστομένης Ἀριστολαΐδα Λαλεὺς δίδωτι τᾷ πόλει τῶν Κορκυραίων εἰς τὴν τῶν τεχνιτᾶν μίσθωσιν τῷ Διονύσῳ, ἀργυρείου Κορινθίου μνᾶς ἑξήκοντα. δίδωτι δὲ καὶ Ψυλλὰς Ἀλκιμοῦ ύλλις τᾷ πόλει τῶν Κορκυραίων, εἰς τὴν τῶν τεχνιτῶν μίσθωσιν τῷ Διονύσῳ ἀργυρείου Κορινθίου μνᾶς ἑξήκοντα. ἑλέσθω δὲ ἁ βουλὰ ἑκαστάκις εἰς ἐνιαυτὸν τοὺς ἐκδανεισοῦντας τὸ ἀργύρειον ἄνδρας τρεῖς τοὺς δυνατωτάτους χρήμασιν. αἱ δὲ ἐκδανείσιες καὶ ἀνάπραξις τοῦ ἀργυρείου γινέσθω, καὶ αἱ λοιπαὶ διοικήσις, καθὼς κα δοκῇ βουλᾷ καλῶς ἔχειν, ὡς δὲ καὶ γίνωνται τοκιζόμεναι μναῖ ἑκατὸν ὀγδοήκοντα, καὶ ἐκδανεισθῶντι αἱ ἑκατὸν ὀγδοήκοντα μναῖ. παρελθόντος ἐνιαυτοῦ μετὰ τὸ ἐκδανεισθῆμεν τὰς ἑκατὸν ὀγδοήκοντα μναῖς, ἀποστελλέτω ἁ πόλις, κατὰ τὸν

τοῦ ἀγωνοθέτα νόμον, ἐπὶ τὴν τῶν τεχνιτῶν μίσθωσιν, καὶ ἀγέτω τὰ Διονύσια, ἀφ' οὗ κ' ἄρξονται περ' ἄτερον ἐνιαυτὸν, εἰ μή τι δι' ἀπὸ ἀδυνάτον γένοιτο βουλὰς καὶ ἁλίας ὑπερθεμένας. ἀγέτω δὲ ἀπὸ Κορινθίας μναῖ πεντήκοντα, ἀπὸ τοῦ τόκου τῶν τριῶν ταλάντων μισθούμενα, αὐλητὰς τρεῖς, τραγῳδοὺς τρεῖς, κωμῳδοὺς τρεῖς. καὶ τὰ λοιπὰ ποιούντω πάντα, οἱ ἑκαστάκις ἔοντες ἄρχοντες, καθὼς ὁ τοῦ ἀγωνοθέτα νόμος τάσσει. διδόσθω δὲ καὶ τὰ σιτηρέσια τοῖς τεχνίταις τὰ ἔννομα ἀπὸ τοῦ τόκου, χωρὶς τὰν πεντήκοντα μναῖ. εἰ δέ τι κ' ἀδυνάτον γένοιτο διὰ πόλεμον, καὶ μὴ ἀποστείλῃ ἁ πόλις ἐπὶ τοὺς τεχνίτας, ἢ μὴ παραγένοιντο οἱ τεχνῖται, ἢ λίπῃ τις τὸν ἀγῶνα, ἐκδανιζέσθω καὶ τὸ λειφθὲν ἀργύριον πᾶν, καὶ ὑπαρχέτω τοκιζόμενον εἰς τὴν τῶν τεχνιτῶν μίσθωσιν. εἰ δὲ δυνατοῦ ἔοντος, καὶ μὴ ἐπικωλύοντος μηδ' ἑνὸς, μὴ ἀποστεῖλαι ἁ πόλις ἐπὶ τοὺς τεχνίτας κατὰ τὴν περίοδον ἑκάστων, ἢ παραγενομένων τῶν ἐργολάβων, μὴ μισθώσαιτο τοὺς τεχνίτας, ἢ μὴ διδοίη τὰ μμι-

solvendam operariorum mercedem, & celebrentur Dionysia, sive Bacchicæ feriæ: a quo tempore ad alium quoque annum incipientur; nisi forte, senatu & concilio aliud in tempus remisso, non possit res effici. Conducant autem ex minis Corinthiis quinquaginta, a trium talentorum fœnore expressis, tibicines tres, tragœdos tres, comœdos totidem: cæteraque omnia perficiant qui singulis annis Principes erunt, ut Agonothetæ lege sancitum est. Præbeaturque operariis annona ex fœnore hujusmodi, prout statutum & definitum est, præter illas quinquaginta minas. Quod si quid instante bello pro more fieri nequeat; neque urbs quæ consueta sunt miserit ad operarios, aut ipsi operarii non adfuerint, aut certamen quis dimiserit, quod residuum fuerit ex illa pecunia in fœnus tradatur, & totum quod ex ea fœnoris provenerit in operariorum mercedem cedat. Quod si res effici possit, nihilque adsit impedimenti quominus compleatur, neque mittat urbs ad operarios, statis quibusque temporum curriculis; aut ac-

cedentibus operarum conductoribus, mercedem non solvat operariis, neque solitum ac præscriptum premium pensitet, neque constitutam annonam, neque in alios usus argentum hujusmodi deputetur, neque cedat in mercedem operariorum; Aristomeni & Psyllæ maneant omnes concessæ pecuniæ, vel hæredibus ejusdem Aristomenis & Psyllæ. Testes, Molotas Glauci filius, Osander Theodori, Promachidas Mertili.

Cum conventum fecerint Aristomenes Aristolai filius & Psyllas Alcimi de pecunia quam urbi & Baccho in mercedem operariorum largiti sunt, videlicet uterque Corinthias minas sexaginta. Decretum est a Senatu ut argentum ab Aristomene & Psylla oblatum in fœnus tradant ii qui ad id officii electi fuerint. Eligat autem Senatus singulis annis qui pecuniam hujusmodi administrent fortunis reque familiari instructissimos: ac plerumque iidem repetantur, dum biennio post rem administratam vacaverint; ne juniores ii sint annis triginta quinque, neque seniores septuaginta. Deligantur autem singulis annis

σθὸν τὸ ὑπογεγραμμένον, ἢ τὰ σιτηρέσια τὰ ἔννομα, ἢ εἰς ἄλλο τι καταχρήσαιτο τὸ ἀργύριον, καὶ μὴ εἰς τὰν τῶν τεχνιτῶν μίσθωσιν, Ἀριστομένεος, καὶ Ψυλλᾶς ἔοντο τὰ δοθέντα χρήματα πάντα, ἢ τῶν ἐπινόμων τῶν Ἀριστομένεος, καὶ Ψυλλᾶς. μάρτυρες Μολάττας Γλαύκου, Ωσανδρός Θεοδώρου, Προμαχίδας Μερτίλου.

Πόδοδον ποιησαμένων Ἀριστομένεος τοῦ Ἀριστολαΐδα, καὶ Ψυλλᾶς τοῦ Ἀλκίμου περὶ τοῦ ἀργυρίου, οὗ ἔδωκαν τᾷ πόλει, καὶ τῷ Διονύσῳ, εἰς τὰν τῶν τεχνιτᾶν μίσθωσιν, ἑκάτερος Κορινθίας μνᾶς ἑξήκοντα. Ἔδοξε τᾷ βουλᾷ τὸ δοθὲν ἀργύριον παρὰ Ἀριστομένεος, καὶ Ψυλλᾶς ἐκδανεῖσαι τοὺς αἱρεθέντας. ἑλέσθαι δὲ τὰν βουλὰν τοὺς χειριξοῦντας τὸ ἀργύριον ἄνδρας τρεῖς εἰς ἐνιαυτὸν τοὺς δυνατωτάτους χρήμασι, καὶ πλεονάκις τοὺς αὐτοὺς διαλιπόντας ἔτη δύο, μὴ νεωτέρους ἐτῶν τριάκοντα πέντε, μὴ δὲ πρεσβυτέρους ἑβδομήκοντα (sic) αἱρεῖσθαι δὲ ἑκάστου ἐνιαυτοῦ μηνὸς

Μαχανέος ἐμβουλᾷ ἢ ἀλίᾳ. οἱ δὲ αἱρεθέντες, ἐπ' Ἀριστομένεος, παραλαβόντες τὸ ἀργύριον παρὰ Ἀριστομένεος καὶ Ψύλλας, ἐγδανειζόντω ἐμμηνὶ δυωδεκάτῳ καὶ Εὐκλείῳ τῷ ἐπὶ Ἀριστομένεος, προκαρύξαντες ἐγκαρυκτὰν, μὴ μεῖον ἢ ἀμέρας πέντε, χρηματίζοντες ποτὶ τοῖς ἁρμάτεσσι, μὴ πλείονος τόκου δανείζοντες, ἢ δύο δραχμὰν τὸν μῆνα ἕκαστον, τὰν μνᾶν ἑκάσταν, μηδ' ἐλάσσονος συναλλάσσονται, ὡς κ' αὐτοὶ προαιρῶνται. ὥς τε τὸν πριάμενον ἀποδόμεν τό, τε κεφάλαιον καὶ τὸν τόκον ἐμμηνὶ Εὐκλείῳ τῷ μετὰ πρύτανιν Ἀριστομένη, ἀναπράξαντες τό, τε κεφάλαιον καὶ τὸν τόκον. ἐν τῷ Εὐκλείῳ μηνὶ τῷ μετὰ Ἀριστομένη παραδόντω τοῖς αἱρεθεῖσι εἰς τὸν παρ' αὐτὰ ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὰν χείριξιν τῶ ἀργυρίω. οἱ δὲ παραλαβόντες χρηματίζοντο τὸ ἀργύριον πᾶν ἐν τῷ Ἀρτεμιτίῳ μηνὶ τῷ ἐφ' αὐτῶν, ποτὶ τοῖς ἁρμάτεσσι προκαρύξαντες, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα ποιοῦντες καθὼς καὶ τοὺς ἐπ' Ἀριστομένεος αἱρεθέντας

menſe Machanis ſive in Senatu, ſive in conſeſſu. Qui autem delecti fuerint magiſtratum gerente Ariſtomene, acceptâ pecuniâ ab Ariſtomene & a Pſylla, ipſam ad fœnus & uſuram conſignent in menſe duodecimo & Euclio, dum Magiſtratum adhuc obtinebit Ariſtomenes: re per præcones denuntiatâ; qui non minus diebus quinque ad currus ſtabunt (talia denuntiantes;) nec plus quam duas drachmas ad ſingulos menſes pro ſingulis minis accipient, neque inferiore pretio pro lubito ſuo paciſcantur; ita ut qui conditionem accipiet, & pecuniæ ſummam & fœnus ſolvat menſe Euclio, qui poſt Ariſtomenis magiſtratum & Prytaniam revolvetur: exigant igitur & ſummam pecuniæ & uſuram inde provenientem. In menſe Euclio ab Ariſtomene tradatur pecunia iis qui pro ſubſequenti anno ad ejus adminiſtrationem adlecti fuerint. Qui autem acceperint, de tota pecuniæ ſumma negotientur in Artemiſio menſe qui anno adminiſtrationis ſuæ occurret, re per præcones in curribus denuntiata, cæteriſque omnibus obſervatis quæ de adminiſtratoribus Ariſtomene

magistratum gerente electis sancita ac descripta sunt: Similiter autem rem gerant, qui ad singulos annos electi erunt. Quod si ii qui ad pecuniæ administrationem deputati erunt, aliquid eorum omiserint quæ constituta ac decreta fuerunt; si pecuniæ summam non ad usuram dederint, cum, ut supra scriptum est, re familiari valeant, solvant argenti Corinthii minas triginta, insuperque summam pecuniæ quam acceperint restituant; sin minus egerint, duplicatam totam pecuniæ summam numerent. Si se rei gerendæ impares fuisse dictitent; rem agitet & perquirat Senatus & consessus. Quod si ii qui pacto fœnore argentum acceperunt, summam pecuniæ & usuram ejusdem non confecerint, neque electis administratoribus, sicuti sancitum est, tradiderint; duplicatam pecuniæ summam pariterque usuram ejus tradant, si quidem statam pecuniam non numerarint. Cum autem revoluto tempore prædictæ centum octoginta minæ annuum fœnus produxerint; aliæque centum octoginta minæ in fœnus pariter datæ fuerint, exacto anno postquam centum illæ & octoginta minæ ad usuram locatæ fuerint, mittant administratores ad mercedem operariis solvendam, secundum

γέγραπται. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἑκαστάκις αἱρεθέντες ποιούντω. εἰ δὲ οἱ αἱρεθέντες ἐπὶ τὰν χείρειξιν τῶ ἀργυρίω μὴ ποιήσαι ἕν τι τῶν γεγραμμένων, εἰ μὴ ἐκδανείσαιεν τὸ ἀργύριον, καθὼς γέγραπται δυνατοὶ ἐόντες, ἀποτισάντω ἀργυρίω Κορινθίω μνᾶς τριάκοντα, καὶ τὸ κεφάλαιον, ὅ κ' ἀπαραλαβόντι παραδόντω. εἰ δὲ μή, διπλῆ ἀποτισάντω τὸ κεφάλαιον. περὶ δὲ τῶ ἀδυνάτου βουλὰ καὶ ἁλία ἐπιγινωσκέτω. εἰ δὲ ἐγδανείσαντες μὴ ἂν πράξαιεν τὸ κεφάλαιον, καὶ τὸν τόκον, ἢ μὴ παραδιδῶντο τοῖς αἱρεθεῖσι καθὼς γέγραπται, ἀποτισάντω τό, τε κεφάλαιον καὶ τὸν τόκον, διπλῆ ὁπότερον, κα μὴ παραδόντι. ἐπεὶ δέκα γίνωνται τοκιζόμεναι μναῖ ἑκατὸν ὀγδοήκοντα, καὶ ἐγδανεισθῶντι αἱ ἑκατὸν ὀγδοήκοντα μναῖ, παρελθόντος ἐνιαυτοῦ μετὰ τὸ ἐγδανεισθῆμεν, τὰς ἑκατὸν ὀγδοήκοντα μνᾶς, ἀποστελλάντω οἱ ἄρχοντες ἐπὶ τὰν τῶν τεχνιτᾶν μίσθωσιν,

κατὰ

κατὰ τὸν ἀγωνοθέτα νόμον, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα ποιούντω, οἱ ἑκαστάκις ἄρχοντες, καθὼς ἔν τε δόσει γέγραπται, εἰ μή τι διὰ πόλεμον γίνοιτο, βουλᾶς καὶ ἁλίας ὑπερθεμένας. μισθούσθω δὲ τοὺς τεχνίτας, ἀφ' οὗ κἀρχὴ γίνοιτο περὶ ἕτερον ἐνιαυτὸν, ἀπὸ τοῦ τόκου τῶν τριῶν ταλάντων ἀπὸ μναῖν πεντήκοντα, αὐλητὰς τρεῖς, τραγῳδοὺς τρεῖς, κωμῳδοὺς τρεῖς. καὶ τὰ λοιπὰ πάντα κατὰ τὸν τοῦ ἀγωνοθέτα νόμον. διδόσθαι καὶ τὰ σιτηρέσια τοῖς τεχνίταις τὰ ἔννομα ἀπὸ τοῦ τόκου, χωρὶς τῶν πεντήκοντα μνῶν. οἱ δὲ χειρίζοντες τὸ ἀργύριον καθ' οὓς κα χρόνους παραγίνονται οἱ τεχνῖται, ἐπεὶ κ' αὖ πράξωντι τὸ ἀργύριον πεντήκοντα μνᾶς τὸν μισθὸν τοῖς τεχνίταις, καὶ τὰ σιτηρέσια τὰ γινόμενα παραδόντω τῷ Ἀγωνοθέτᾳ τοῦ Ἀρτεμιτίου μηνὸς, πρὸς τὰς ἕκτας, τὸ δὲ λοιπὸν τοῖς ἐφερεθεῖσιν (ſic). ὁ δὲ παραλαβὼν Ἀγωνοθέτης ποιήτω πάντα κατὰ τὸν νόμον, καὶ ἀπολογιξάσθω εἰς βουλὰν ἐν ταῖ πράται συνεδραί-

legem Agonothetæ, & reliqua omnia qui ſingulis annis adlecti fuerit perficiant, prout in donatione ſcriptum eſt; niſi quid ingruente bello ſecus acciderit, Senatu & conſeſſu aliud in tempus remiſſo. Mercede autem conducant operas; (ex quo alterius ac ſubſequentis anni initium ducatur) ex fœnore trium talentorum, videlicet ex minis quinquaginta; nimirum tibicines tres, tragœdos tres, comœdos totidem: & reliqua omnia adminiſtrentur ſecũdum legem Agonothetæ. Detur autem ex fœnore annona operariis, quæ conſtituta, præter illas quinquaginta minas. Qui porro ſummam illam pecuniæ adminiſtrant, quo tempore operarii accedent, poſtquam argentum illud quinquaginta minarum in mercedem operariorum exegerint, & conſtitutam annonam; tradant Agonothetæ menſe Artemiſio, ſexta ejuſdem menſis die: reliquam autem ſummam electis adminiſtratoribus. His acceptis Agonotheta omnia ſecundum legem peragat, atque in Senatu, cum primum congregatus fuerit, rationem reddat, quo modo acceperit argen-

tum, & ad ſingula ſtatuta expenderit. Rationem pariter reddant Adminiſtratores pecuniæ, idque ſingulis annis menſe Artemiſio atque in Senatu; ſicque agant tum ii qui acceperunt, tum ii qui tradiderunt, ſingulatim ea quæ acceperint & tradiderint recenſendo. Si qui vero quidpiam eorum quæ ſancita ſunt omiſerint, ſive adminiſtratores pecuniæ, ſive magiſtratus; ſolvat qui in culpa fuerit argenti Corinthii minas triginta, & quod pravè adminiſtratum fuerit in duplum reſtituant. Quod ſi tam Agonotheta quam Adminiſtratores non probe & accurate rationem reddiderint; legum cuſtodes rem expendant & examinent; ut conſueto more de ſacris & publicis pecuniis agitur. Nec liceat cuipiam procurare, ut oblata ab Ariſtomene & Pſylla pecunia alios in uſus transferatur, niſi in mercedem artificum; in aliud vero quodlibet, nullo pacto, nulloque obtentu. Quod ſi quis id procurarit, vel alios in uſus pecuniam diverterit: ſolvat tam qui id procuraverit, quam is qui in alios

ωνται κατὰ παραλαβεῖν ἀργύρειον, καὶ καθὼς κατὰ ἑκάστη διοικήσῃ (ſic). ἀπολογιξάσθωσαν δὲ καὶ οἱ χρείζοντες τὸ ἀργύρειον ἑκαστάκις εἰς βουλὰν μηνὸς Ἀρτεμιτίου, οἵ τε παραλαβόντες, καὶ οἱ παραδιδόντες, καθὼς κατὰ ἕκαστα παραλαβόντι, καὶ παραδόντι. οἱ δὲ μὴ ποιήσαιεν τι τῶν γεγραμμένων, οἵ τε χρείζοντες τὸ ἀργύρειον, ἢ οἱ ἄρχοντες, ἀποτισάτω ὁ αἴτιος ἀργυρείου Κορινθίου μνᾶς τριάκοντα, καὶ ὃ καταβλάψῃ διπλῆ. εἰ δέ τι κατὰ ὁ ἀγωνοθέτας, ἢ οἱ χρείζοντες τὸ ἀργύρειον μὴ ὀρθῶς ἀπολογίξωνται, νομοφύλακες ἐκλογιζούσθω, καθὼς καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἱερὰ, καὶ δημόσια χρήματα. μὴ ἐξέσθω δὲ μηθενὶ προστατῆσαι περὶ τοῦ ἀνατεθέντος ὑπὸ Ἀριστομένεος καὶ Ψυλλᾶς ἀργυρείου, ὥς τε εἰς ἄλλο τι καταχρηστηθῆμεν, ἀλλ' εἰς τὰν τῶν τεχνιτᾶν μίσθωσιν, εἰς δὲ ἄλλο μηθ' ἓν, μηθαμῶς μὴ δὲ μιᾷ παρευρέσει. εἰ δέ τις προστατίσαι, ἢ καταχρήσαιτο εἰς ἄλλο τι, ἀποτισάτω ὁ προστατήσαις, καὶ ὁ κα-

παχρησάμενος Ἀριστομένει καὶ Ψυλλᾷ, ἢ τοῖς ἐπινόμοις τοῖς Ἀριστομένεος καὶ Ψυλλᾶς, ἀργυρίου Κορινθίου μνᾶς ἑξήκοντα, καὶ τὸ ἀργύριον ὃ κατεχρήσθη διπλῆ. πάντων δὲ τούτων, καὶ εἴ τινος καὶ ἄλλου δοκῇ προδίκοι βουλᾶς κρίσιν ἀπρόβολον γραψάμενοι. καὶ ἐπιγράψαντες τὸ ἀργύριον τὸ ἐφ' ἑκάστου ἀδικήματος γεγραμμένον, δόντω προστάται προβούλων. οἱ δὲ εἰς τὰ δικαστήρια φερέτω ἀκραμεῖον, ἢ τριακοσταὶ, μὴ ἐξέστω δὲ καὶ ἄλλῳ πὰρ λῶντι κρίνεσθαι κατὰ ταῦτα. τὸν δὲ κατακριθέντα οἱ τὰς κρισίας γραψάμενοι εἰσπραξάντες. ὅσα μὲν ποτὶ τὸ κοινὸν συνοικεῖ τοῖς ἀρημένοις ἐπὶ τὰν χείρεξιν τῶ ἀργυρίου παραδόντω. οἱ δὲ ἐκδανειζόντω καθὼς καὶ τὸ ἄλλο ἀργύριον γέγραπται. ὅσα δὲ Ἀριστομένει, ἢ Ψυλλᾷ, ἢ τοῖς ἐπινόμοις ἐπιτίμια ἐπιβάλλει, αὐτοὶ εἰσπράσσονται, καὶ κρινέσθω ἕκαστοι καθὼς κ' αὐτοὶ προαιρῶνται. εἰ δέ τις τῶν ἐπινόμων τῶν Ἀριστομένεος ἢ Ψυλλᾶς

usus diverterit Aristomeni & Psyllæ, aut eorumdem hæredibus, argenti Corinthii minas sexaginta; & argentum quo abusus est duplum restituat. Horum autem omnium, & aliorum quæ sancita fuerint decretum Defensores Senatûs immutatum describant. Et cum descripserint, argentum pro singulis prave admissis statutum & designatum tradant procuratores principum senatus: atque purum argentum hujusmodi, tricenas scilicet minas, ad tribunalia deferant: neque liceat cuilibet pro cupidine sua secus statuere vel decernere. Damnatum autem pro tali facinore, qui jus hujusmodi scripserunt ad solvendum compellent. Quæcumque igitur ad rem communem spectant, iis qui ad pecuniæ administrationem adlecti fuerint tradantur; ii vero in fœnus tradant ejusmodi pecunias ex mulctis provenientes, ut de aliis superius statutum est. Quæ autem Aristomeni & Psyllæ atque hæredibus eorum mulctæ competunt, ab ipsismet exigantur, & jus dicatur omnibus prout ipsis in voto fuerit. Si quis vero ex hæredibus Aristomenis aut Psyllæ, pro-

curarit alios in uſus pecunias diverti, aut ipſe diverterit aliò; ne cedant ultra mulctæ ipſæ, neque pecuniæ, Ariſtomeni & Pſyllæ neque hæredibus eorum, ſed publica ſunto, atque in mercedem artificum deſtinentur, & fœnori tradantur cum alio argento, uti ſuperius ſancitum eſt. Quod ſi quid eorum ingruente bello perfici nequeat, neque miſerit civitas ad artifices, ſive iidem artifices non acceſſerint, in fœnus tradantur illæ quinquaginta minæ, atque annona, donec per temporis conditionem liceat priſtina repetere. Similiter agatur ſi quis artificum certamen reliquerit; tunc reſiduum argentum fœnori tradatur, & cedat in mercedem artificum. Quod ſi legum correctio & emendatio acceſſerit, ſtatuant legum reſtauratores in ipſis legibus, quo pacto eadem ipſa pecunia adminiſtranda ſit. Reliqua vero pro voluntate ſenatûs & conſeſſûs ſtatuantur, quemadmodum geri oportet. Nihil vero decreto huic contrarium admittatur neque donationi. Atque exemplum ejuſdem donationis ac decreti deſcribatur in cippo lapideo, & reponatur

παρεξατήσαι εἰς ἄλλο τι καταχρηθῆμεν, ἢ καταχρήσαιτο ἄλλαι πᾶι, μὴ ἐόντω τὰ ἐπιτίμια, μὴ δὲ τὰ χρήματα Ἀριστομένεος καὶ Ψυλλᾶς, μὴ δὲ τῶν ἐπινόμων Ἀριστομένεος καὶ Ψυλλᾶς, ἀλλὰ δημόσια εἰς τὰν τῶν τεχνιτᾶν μίσθωσιν, καὶ ἐγδανειζέσθω μετὰ τοῦ ἄλλου ἀργυρίου καθὼς ἐπάνω γέγραπται. εἰ δέ τι ἀδυνάτον διὰ πόλεμον γένοιτο, καὶ μὴ ἀποστέλλοι αἱ πόλις ἐπὶ τοὺς τεχνίτας, ἢ μὴ παραγένονται οἱ τεχνῖται, ἐκδανειζέσθω, καὶ αἱ πεντήκοντα μναῖ, καὶ τὰ σιτηρέσια, ἄχερι (ſic) οὗ καὶ δυνατὸν γένηται. ὡσαύτως δὲ καὶ εἴ τις λίποι τὸν ἀγῶνα τῶν τεχνιτᾶν, ἐγδανειζέσθω (ſic) καὶ τὸ λειφθὲν ἀργύριον καὶ ὑπαρχέτω εἰς τὰν τῶν τεχνιτᾶν μίσθωσιν. εἰ δὲ καὶ διόρθωσις τῶν νόμων γίνηται, ταξάντων οἱ διορθωτῆρες εἰς τοὺς νόμους, καθὼς καὶ δὴ τὸ ἀργύριον χρείζεσθαι. τὰ δὲ λοιπὰ πάντα γινέσθω ὡς καὶ δοκῇ βουλᾷ, καὶ ἀλίᾳ . . . .
καθὼς ἔχουσι. γινέσθω δὲ μηθὲν ὑπεναντίον τῷ δόγματι, μὴ δὲ τᾷ δόσει. τᾶς δὲ δόσιος καὶ τοῦ γράμματος ἀντίγραφον ἀναγράψαι εἰς

στάλαν λιθίναν, καὶ ἀνατεθῆμεν ποῖ κα δοκῇ προβούλοις, καὶ προδίκοις καλῶς ἔχειν. τὰς δὲ ἀναγραφὰς, καὶ ἀναθέσιας προβούλους μετὰ διοικητᾶ καὶ ἀρχιτέκτονος τὰν ἐπιμέλειαν ποιήσασθαι. τὸ δὲ γεγραμμένον ἀνάλωμα ταμίᾳ δόμεν.

quo loco ſenatûs principibus & defenſoribus viſum fuerit expedire. Deſcriptionem autem cippi & repoſitionem in congruenti loco, principes ſenatus cum adminiſtratore & architecto recte procurent. Summum autem deſcriptum penuario damus.

Numiſma ſequens ex ære, cujus typus ex Corcyra tranſmiſſus eſt, hic locum habeat.



Hæc inſcriptio nobiliſſima haud ita perite exarata fuit, ita tamen ut ſententia parum vel nihil labefactata ſit. Dorica dialecto conſcripta eſt : nam Corcyræi gens Dorica erant. Hic multa obſervatu digna, ut nomen menſium, quorum tres dumtaxat memorantur, Machanes videlicet, Euclius, & Artemiſius, Dionyſiacorum quidam ritus, necnon ratio denuntiandi per præcones ad currus ſtantes; & alia bene multa quæ nos conſulto mittimus aliis exploranda.

Numiſma ejuſdem Ariſtomenis eſt qui in decreto magiſtratus gerens fertur, nam Ariſtolai filius dicitur in decreto pariter & in numiſmate.

1

ΦΑΙΑΚΟΣ ΙΝΗ ΔΙΕΙ ΥΨΙΣΤΩ
ΕΥΧΗΝ.

Phæacus ut sit Jovi altissimo. Votum.

2

ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ ΑΠΟΛΛΟΔΟΤΟΥ· Π
ΝΕΥΣΑΣ ΚΑΙ ΟΙ ΣΥΝΑΡΧΟΙ ΦΙΛΩΤΑΣ
ΙΑΚΧΟΣ ΚΟΣΑΠΕΛΟΥ ΝΙΚΑΝΩΡ
ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΥ ΘΕΟΙΣ

Appollodorus Appollodoti filius annuit, & una socii magistratus Philotas, Iacchus Cosapeli, Nicanor Nicostrati. Diis.

3

ΘΕΟΙΣ ΤΥΧΑΝ ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟΣ ΔΕ
ΚΑΤΑΣΜΑΧΧΙΔΑΝ ΔΙΔΩΤΙ.....
ΠΟΛΥΤΙΜΩΙ....ΑΙΚΑΠΑΣΧΗ ΤΑΝ ΓΑΝ....
ΕΠΑΚΟ.... ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΑΝ
ΔΑΜΟΥΧΙΔΑΣ Ε ΚΛΕΙΔΑ
ΠΟΛΥΤΙΜΩΙ ΦΙΛΩΝΙΔΑΣ ΑΣΧΥΛΟΥ
ΤΑΝ ΕΝ ΚΝΙΣΙ.....

4

ΑΓΙΣ
ΑΜΥΡΑΛΟΥ
ΑΝΔΡΕΙΑ

5

ΙΟΥΛΙΑΝ ΘΕΟΔΩΡΑΝ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΘΕΟΙΣ

Juliam Theodoram virtutis causa. Diis.

6

ΗΠΟΛΙΣ ΑΡΙΣΤΑΝ ΠΑΡΜΕΝΙΣΚΟΥ ΜΕΝ
ΓΥΝΑΙΚΑ ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΔΕ ΛΥΣΑΝΙΟΥ
ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ

ΠΑΡΜΕΝΙΣΚΟΝ ΛΑΚΙΠΟΥ ΤΟΝ
ΕΑΥΤΗΣ ΑΝΔΡΑ ΙΣ ΤΑ
ΛΥΣΑΝΙΟΥ

Urbs Aristan Parmenisci uxorem, Lysaniæ filiam
Pietatis & continentiæ causa
Parmeniscum Lacippi ejusdem virum.....Lysaniæ.

7

Η ΜΑΛΑ ΔΗ ΠΕΡΙ ΣΕΙΟ ΛΥΓΡΟΜΠΟΤΜΟΝ ΕΚΛΥΕ ΠΑΤΡΑ

ΑΛΚΗ ΑΜΦΙΛΟΧΩΓΓΑΙΑ ΘΡΑΣΥΠΤΟΛΕΜΩΝ
ΟΥΝΕΚΕΝ ΙΛΛΥΡΙΟΙΣΙΝ ΥΦ ΙΠΠΟΜΑΧΟΙΣΙ ΔΑΜΑΣΘΗΣ

ΟΣΤΕΑ ΔΕΝΝΑ ΣΟΙ ΓΑΙ ΔΕΤΑΡΟΙ ΕΚΤΕΡΙΣΑΝ
ΚΑΙ ΣΟΥ ΑΠΟΦΘΙΜΕΝΟΥ ΠΙΣΤΟΙ ΦΙΛΟΙ ΟΥΚ ΕΛΑΘΟΝΤΟ
ΣΙΝΝΑ ΦΥΛΟΠΙΔΟΣ Δ ΕΞΕΡΥΣΑΝ ΣΤΥΓΕΡΑΣ
ΑΜΦΙΛΟΧΟΙ ΘΡΑΣΕΩΝ ΕΥ ΕΙΔΟΤΕΣ ΕΡΓΟΝ ΑΚΟΝΤΩΝ
ΟΙ ΣΕ ΜΕΓ ΑΧΝΥΜΕΝΟΙ ΣΥΓΓΕΝΗ ΕΚΤΕΡΙΣΑΝ.

Te sane luctosa morte periisse audivit patria
Robur Amphilochiorum, quæ bellicosorum terra est
Quod scilicet ab Illyriis equestris pugnæ peritis interfectus sis
Ossa vero tua amici sepelierunt
Teque occisum fuisse amicis tuis fidissimis non latuit
O Sinna, qui te ex certamine luctuoso eruerunt
Amphilochii bellicæ rei peritissimi
Qui summo dolore adfecti tibi consanguineo justa solverunt.

8

ΤΙΤΟϹ ΦΛΑΒΙΟϹ ΔΙΟΝΥϹΙΟϹ ЄΝΟΡΚΙΖΟΜΑΙ.
ΟΙΤΟΝ ϹЄΒΑϹΤΙΟΝ ΟΡΚΟΝ ΜΗΔΕΝΙ ΕΞΟΝ ΕΙΝΑΙ
ΑΝΟΙΞΑΙ ΣΩΡΟΝ ΟΛΥΜΠΙΑΔΟΣ. ЄΙ ΔЄ ΤΙϹ
ΑΝΟΙΞЄΙ ΔΩΣΕΙ ΤΩ ΦΙϹΚΩ ΔΥΝΑΡΙΑ ΔΙϹΧΙΛΙΑ
ΠЄΝΤΑΚΟϹΙΑ ΚΑΙ ΥΦЄΞЄΙ ΛΟΓΟΝ ΑϹЄΒЄΙΑϹ.

Titus Flavius Dionysius adjuro per mortem,
Quod venerandum juramentum est,
Nemini licitum esse aperire sepulcrum Olympiadis.
Quod si quis aperuerit, dabit fisco bis mille ducenta
denaria, & impietatis crimine reus erit.

9

ΚΛΑΥΔΙΑ * ΑΜΕΜΠΟΝ ΧΑΙΡΕ. * ἄμεμπτος
ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΜΥΡΤΙΛΟΣ ΧΑΙΡΑΙ
ΣΑΒΙΝΟΣ ΕΤΩΝ. ΚΕ. ΧΑΙΡΑΙ
ΣΩΚΡΑΤΗΣ ΧΑΙΡΑΙ
ΛΕΩΝ ΧΑΙΡΑΙ.
ΗΡΑΚΛΕΙΤΟϹ ΤΥΑΝΕΥϹ ΕΤΩΝ. Ο. ΧΑΙΡΑΙ

ΕΠΙ ΑΝΔΡΩΝΟΣ.
ΕΠΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ.

Claudia inculpata salve
Claudius Myrtilus salve
Sabinus annorum XXV. salve
Socrates salve.
Leon salve
Heraclitus Tyaneus annorum LXX. salve.

Sub Androne (scilicet Archonte)
Sub Apollodoro.

10

M. VALERIVS CORVINI
IORICO
IOVI CASIO. V. S.

11

P. HETEREIVS
RVFIO
IOVI CASIO. SAC.

12

Α ΠΟΛΙΣ ΜΑΡΚΟΝ ΚΑΛΗ.....
ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝ ΒΥΒΛΟΝ. ΤΟΝ.....
ΠΑΤΡΩΝΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑ...
ΕΡΜ ΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ.

13

ΜΑΧΑΤΑΣ ΠΟΗΣΕ
ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΑΛΚΜΗΝΗΣ ΤΕ ΓΟΝΟΝ ΤΙΜΑΙΣΙΝ ΑΕΞΩ.
ΥΙΟΣ ΛΑΣΘΕΝΕΟΣ ΣΤΗΣΕΝ ΑΓΑΛΜΑ ΤΟΔΕ.
ΜΝΗΜΗΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΣΩΖΩΝ ΠΑΤΡΟΣΤΕ ΚΑΙ ΑΥΤΟΥ
ΛΑΦΑΝΕΟΣ ΚΛΗΝΩ ΛΟΞΙΟΥ ΕΝ ΤΕΜΕΝΕΙ.

ΩΦΑΝΗΣ ΛΑΣΘΕΝΕΟΣ ΑΣΚΛΑΠΙΩ
ΑΝΕΘΗΚΕ. ΜΑΧΑΤΑΣ ΕΠΟΗΣΕ.

Machatas fecit
Jovis & Alcmenes filium honoribus efferam.
Filius Lasthenis erexit hanc statuam
Monumentum immortale patris sui & ipsius
Laphanis in præclaro Apollinis delubro

Ophanes Lasthenis filius Æsculapio
reposuit. Machatas fecit.

14

ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΟΥ ΠΕΙΘΕΙΑΣ.

Lysistrati Pithiæ filii

15

ΤΙΛΛΙΑΣ ΠΕΙΘΙΩΝΟΣ.

Tillias Pithionis

16

ΠΑΝΦΙΛΗΝ ΠΑΝΦΙΛΟΥ ΤΗΝ ΕΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΑ
ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΣ ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΥ
ΚΑΤΑ ΤΟ ΨΗΦΙΣΜΑ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ

Pamphilam Pamphili filiam uxorem ſuam
Epaphroditus Epaphroditi ex Senatus conſulto

17

ΠΟΝΤΙΟΣ ΛΟΥΠΟΣ ΠΟΝΤΙΩ ΛΟΥΠΩ
ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΜΝΕΙΑΣ ΧΑΡΙΝ ΚΑΙ ΤΑ.Λ.

Pontius Lupus Pontio Lupo
Patri memoriæ cauſa.

18

Η ΠΟΛΙΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ. ΤΙΒΕΡΙΟΥ.
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΥΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΥΙΩΝΟΝ
ΥΠΑΤΕΥΟΝΤΑ ΘΕΟΙΣ -

Urbs Germanicum Cæſarem, Tiberii Cæſaris filium
Auguſti nepotem conſulatum gerentem, diis.

19

ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΒΟΥΜΙΟΥ.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ ΝΕΡΒΑ ΥΙΩΝΟΝ ΥΠΑΤΟΝ ΤΟ. Ε
Η ΠΟΛΙΣ ΤΩΝ ΑΒΕΑΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΟ ΤΩΝ
ΑΧΑΙΩΝ ΔΟΓΜΑ. ΑΝΕΘΗΚΕ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ
ΕΤΕΟΣ ΔΑΜΟΝΟΣ ΤΟΥ ΑΡΙΣΤΕΑ

Hadriani Bumii
Imperatorem Cæſarem Auguſtum
Trajanum Hadrianum dei Trajani
filium, dei Nervæ nepotem C O S. V.

Urbs Abeatum juxta decretum
Achæorum, Epigramma reposuit
Anno Damonis filii Aristéæ.

20

.... ΔΙΚΟΙΣ ΔΙΑ ΤΟ ΠΟΛ . . . .
ΚΙΝΔΥΝΕΥΣΑΣ ΜΕΤΑ ΠΛΟΙΑ . . . . . .
ΩΝ ΑΦΕΙΛΕΤΟ ΜΕΝ ΤΑ ΠΛΟΙΑ ΚΑΠ. . . . .
ΙΩΝ ΔΙΑΦΘΕΙΡΑΣ ΤΩΙ ΠΛΗΘΕΙ ΝΙΚΑ ΘΕΙ . .
ΑΠΟΛΛΙΝΙ ΑΛΣΟΣ ΩΣ ΚΑΛΛΙΣΤΟΝ ΕΙΚΑ . .
ΕΠΤΟΜΕΝΟΙΣ ΑΡΜΟΖΕΙΝ ΦΑΙΝΗΤΑΙ ΚΑΙ Γ . .
ΠΟΛΕΜΙΣΑΝΤΑΣ ΩΣ ΚΑΛΛΙΣΤΑ ΚΑΜΑΘ ΕΚΑΣΤ. .
ΑΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ ΣΩΣΗΡΩ ΤΙΜΗΝ ΤΟΝ ΤΕ . .
ΟΦΟΡΩΝ ΔΥΩ ΔΕΚΑ ΕΚΑΤΕΡΩΝ ΤΩΜΜΕΙ . . .
Η ΠΑΣΑΝ ΔΙΔΟΝΤΟΣ ΑΥΤΑΙΣ ΤΟΥΤΑΝ. . . .
ΚΑΣΤΑΚΙΣ ΠΡΟΒΟΥΛΟΙΣ ΚΑΙ ΠΡΟΔΙΚΟΙ. . .
ΝΑΜΦΙΠΟΛΟΝΤΕ ΚΑΘΑΠΕΡ ΚΑΙ ΕΙΣΑΑ . . .
ΙΣΕΙΣ ΑΛΚΙΗ ΟΥΝ ΚΑΙ ΔΑΜΟΚΟΑ. . . .
ΔΡΕΙΟΝ ΠΟΠ ΑΙΚΑΙΣΤΕΙΑΝ. . . .

Hæc inſcriptio mutila, ac, ut cernere eſt, non accurate ſcripta, virum memorat navali prælio victorem, qui multas hoſtium naves demerſerat, alias ceperat: inque victoriæ gratiam pulcherrimum lucum Apollini dedicavit: ampliſque honoribus a concivibus exornatus eſt. Corcyréum indicant nomina προδίκων προβούλων, qui, ut in prima inſcriptione memoratur, Corcyréi magiſtratus erant.

21

ΠΙΣΤΙΝ ΕΧΩΝ ΒΑCΙΛΙΑΝ ΕΜΩΝ ΜΕΝΕΩΝ ΣΥΝΕΡΙΘΟΝ.
ΣΟΙ ΜΑΚΑΡ ΥΨΙΜΕΔΟΝ ΤΟΝ Δ'ΙΕΡΟΝ ΕΚΤΙΣΑ ΝΗΟΝ
ΕΛΛΗΝΩΝ ΤΕΜΕΝΗ ΚΑΙ ΒΩΜΟΥΣ ΕΞΑΛΑΠΑΞΑC
ΧΕΙΡΟΣ ΑΠΟΥΤΙΔΑΝΗΣ ΙΟΒΙΑΝΟΣ ΕΔΝΟΝ ΑΝΑΚΤΙ

Fidem habens regiam, virium mearum adjutricem
Tibi, beate, ex alto omnia gubernanti, hoc ſacrum templum exſtruxi
Expilatis Græcorum delubris atque altaribus
Viliſſima manu Jovianus donum Regi offero

22

ΒΑCΙΛΕΙΔΗC ΕΤΩΝ Κ. ΗΡΩC ΧΑΙΡΕ
ΠΥΝΘΑΝΕ ΑΝΤΙ CΕΟ ΕΥΓΕΝΗΣ ΤΙC ΔΕ ΕΥΓΕΝΟΥΣ
ΠΑΡΟΔΙΤΑ ΜΕΘΕCΤΑ * CΟΛΣΟΠΤΟ ΤΑΦΟΝ
ΓΕΝΝΑ ΜΕΝ ΓΛΑΥΚΟΣ ΜΕ ΠΑΤΗΡ ΤΙΚΤΕΙ ΔΕ ΜΗΤΗΡ
ΧΡΗCΟΓΟΝΗ ΚΛΗΜΕΥΔΟC ΜΟC ΟΥΚ ΩΝΑΤΟ
ΤΗΛΟΘΙ ΓΑΡ ΠΑΤΡΗC ΒΕΙΘΥΝΙΔΟC ΩΛΥCΑ ΘΥΜΟΝ
ΝΑΥΤΙΛΙΗ ΚΥΓΡΗΝΗ ΤΕ ΜΗΠΙCΗΜΟC
ΚΕΙΜΕ ΔΕ ΠΑΡΑ ΘΕΙΝΑ ΑΛΟC ΝΕΜΟΕCΑΙ
ΥCΤΑΤΑ ΛΥΓΡΩ ΕΜΟΙ ΔΕΙΑ ΚΕΙΜΕΝΟC ΠΕΛΑΓΟC.

Mendis reſperſam inſcriptionem ſic augurando vertimus.

Baſilides annorum xx. Heros ſalve
Accipe, o nobilis, cujus nobilis tumulus ſit
Viator, & viſo ſepulcro tranſeas
Genuit me Glaucus pater, peperitque mater
Chryſogone Cleomedis; ſed nihil mihi profuit,
Procul enim patria Bithynia animum amiſi
Nautica me Cygrene habet illuſtris.
Jaceo autem ad littus maris ventoſi
In extremis, mihique infelici pelagus adjacet.

23

P. MANLIVS. Q. F. SERGIVS RVFVS.
DECV. IVDEX. EX QVINQ. DECVRIIS EQVO.
PVBLICO TESTAMENTO FIERI IVSSIT ET EPVLO
DEDICARI

IN HOC OPVS STATIA SEX. F. FIDA MATER
ADIECIT. HS. XXXV. ET SVMMAE OPERIS
ET EPVLO RELICTAE XX. FISCO INTVLIT
HS XIII. SOLO. PVBLICO.

24

ΜΕΜ

ΜΕΜΦΙϹ
ΕΤΩΝ . Ξ
ΧΑΙΡΕ

Memphis annorum sexaginta salve.

Notulæ in inscriptiones Corcyréas.

In prima eaque prolixiori, quæ agmen ducit, inscriptione, Dorica dialecto, sed usu Corcyreorum paulùm vitiata, observatur patronymicorum singularis ratio p. 412. Nam ex Aristolaïda cujus filius erat Aristomenes Corcyreorum prytanis, idem Aristomenes, Ἀριστολαϊδαλεὺς vocatur. Psyllasque pariter Alcimi filius, Ἀλκιμοῦλλις dicitur, in qua ultima voce vitium amanuensis suspicari licet. Ibidem indiscriminatim in genitivo plurali τεχνιτᾶν & τεχνιτῶν legitur. Neque enim in his atque aliis Doricæ dialecti idiotismis sibi satis constat inscriptio : & alioquin non pura hic exhibetur illa dialectus, sed qualis Corcyreis usui erat. Qui cum a Dorica Peloponnesi gente dissiti essent, aliqua linguæ peregrina advexerant.

P. 414. l. 12. Πόθοδον ἀντὶ τοῦ πρόσοδον, cujus variationis frequentia exempla Doricè occurrunt. Eodem loco Typographi vitio πόδοδον, loco τοῦ πόθοδον legitur. Ibidem εὐδομήκοντα pro ἑβδομήκοντα legitur. Quæ τοῦ β in υ. commutatio frequens occurrit, præsertim in codicibus sequioris ævi.

P. 415. ἐμβουλᾷ, ἐμμηνὶ, pro ἐν βουλᾷ, ἐν μηνὶ, quo ritu cum in hac tum in aliis inscriptionibus bene multa exarata comperies. Ibid. Ἀρτεμιτίῳ pro Ἀρτεμισίῳ non semel occurrit in hac inscriptione. Macedonum item erat mensis Artemisius qui Maio respondebat. Alii porro menses Corcyreorum, in allata inscriptione expressi, cum Macedonianis non consentiunt; nimirum Machanes & Euclius, ac quibuscum mensibus congruant ignoramus. Unum ediscimus, videlicet mensem Euclium esse duodecimum.

P. 417. Ἐν ται πρώται pro ἐν τῇ πρώτῃ supple, ἡμέρα.

P. 418. ἀποπισσάντω. Non infrequenter occurrit in inscriptionibus τοῦ ι in ει commutatio, qua de re monendum duximus, ne quis vitium ibi suspicetur.

P. 419. ἐγδανεισάντω, pro ἐκδανεισάντω: similis τοῦ κ in γ conversio frequens in hac inscriptione deprehenditur.

P. 420. Α῎λλαι παῖ pro ἀλλαχοῦ, *aliò*, *alibi*, *alios in usus*. Alii multi idiotismi in nobili inscriptione a prudente lectore deprehendentur.

P. 422. in inscriptione quæ prima notatur Διεὶ pro Διὶ, legitur.

Ibid. inscript. 2. Πνεύσας pro νεύσας positum æstimavimus; sicque solummodo apta sententia eruatur.

Ibid. Inscriptio 3. Corcyréa Dorica Dialecto descripta mendis scatet, tum fracti marmoris, tum amanuensis vitio. In schedis nostris Θεὸς legebatur, nos Θεοῖς posuimus, qua ratione legendum haud dubie est.

Inscriptionem 5. edidit Sponius in Itinerario suo quod Gallico vulgari idiomate conscripsit t. 3. p. 85.

In sexta inscriptione p. 423. vitium subest iis in verbis ΕΙΣ ΤΑ ΑΤΣΑΝΙΟΤ, quo quid indicetur haud satis compertum habeo.

In septima observatur Λυγρόμποτμον pro λυγρὸν πότμον & Α᾽μφιλοχοιγαῖα pro Α᾽μφιλόχων γαῖα.

In octava p. 424. effertur mulcta violatoribus sepulcri Flavii Dionysii, cujus rei exempla alia superius videre est, p. 202.

Nona an multa separata epitaphia complectatur, an unum, ubi cadavera multa posita, haud satis liquet: primæ opinioni lubentius adstipuler. Ibi Χαῖραι observatur pro Χαῖρε quater positum, quo innuitur, jam illo ævo affinem fuisse τοῦ ε & αι pronuntiationem.

In decima vox IORICO suspecta mihi est: nec habemus quid vel conjectando substituamus. Hæc & sequens inscriptio nuncupatæ sunt Jovi Casio. De quo Suetonius in Nerone. *Nec profectione dilata, ut primum Cassiopen trajecit, statim ad aram* JOVIS CASSII *cantare auspicatus est.* Erat porro Cassiope locus in Corcyra insula, unde inscriptio educta: &, ut videtur, a Cassiope nomen Casii Jupiter, istis in locis cultus, acceperat. Cassiope autem a Suetonio & Strabone cum duplici *S.* scribitur pariterque *Jupiter Cassius*. At in inscriptionibus *Casio Jovi* dicitur.

Duodecima inscriptio, mutila, ab Sponio in Itinerario T. 3. p. 84. adfertur.

In decima tertia inscriptione notandum Laphanem qui statuam Herculis Machate sculptore confectam, Æsculapio sacrasse fertur, dupliciter exprimi, vitio putà amanuensis, modo enim Λαφάνης, modo Ωφάνης legitur. Prima sane lectio anteferenda. Alia forte suboriatur difficultas : quid causæ videlicet sit quod statuam illam, quæ ut primis quidem versibus intelligi datur, Herculem repræsentabat, Æsculapio in Apollinis templo consecrasse Laphanes dicatur. Nulla in lectione ambiguitas est : quare æstimo in templo Apollinis hic memorato sacellum fuisse filii ejus Æsculapii, in quo Herculis statua posita, eidem Æsculapio consecrata fuit. Sic supra p. 2. Signa Castoris & Pollucis, Mercurii & Herculis uno in templo posita dicuntur.

Decima-octava in Sponii itinerario legitur T. 3. p. 83.

Decima-nona est civitatis Abeatum in Achaia in honorem Hadriani Imperatoris : Ibi Trajanus atque Nerva Imperatores defuncti, Dei nuncupantur : memoratur etiam epigramma in honorem Hadriani ab Abeatibus insculptum, quod excidit.

Vigesimæ inscriptionis deploranda fortuna est. Ea enim navalis pugnæ a Corcyreis commissę mentionem habet, ubi hostium naves bene multæ demersæ, aliæ captæ fuerant. Erecta autem fuit inscriptio in honorem Navarchi Corcyréorum cujus nomen excidit. Is in victoriæ gratiam pulcherrimum lucum Apollini dedicaverat, amplissimis & ipse honoribus a Corcyréis exornatus. Injuria pariter temporum excidit nomen populi quîcum a Corcyréis pugnatum est.

Vigesima-prima inscriptio ab Sponio p. 82. allata, de Joviano Imperatore agit, qui fide in Christum conspicuus templa Græcorum expilavit, & clausit, sacrificia sustulit : exque delubrorum spoliis templum vero numini in Corcyra struxit.

Vigesima-secunda inscriptio male ab amanuensi expressa, vel in ipso marmore vitia præferre videtur. In Græcis enim perinde atque in Latinis tabulis imperitè nonnumquam incisæ fuerunt inscriptiones, quales non paucas superius edidimus. In voce Κυχλώνη, quod nomen urbis vel loci est, suspicor errorem. Neque tamen putarim esse Κυρλώνη illam Lybicam ; secus enim suadet, vel ipsa marmoris sedes ; nam in Corcyra insula repertum est.

Vigesima-tertia a Joanne Lucio Dalmata cusa fuit Venetiis anno 1673. sed cum mendis non paucis, nos purgatiorem damus.

Vigesima quarta inversis litteris circumquaque stipata est in marmore, uti superius exprimitur: neque succurrit qua demum religione sic actum.



Antequam

Antequam Venetiis digrediamur catalogum damus codicum manuſcriptorum bibliothecæ D. Julii Juſtiniani Procuratoris S. Marci τοῦ μακαρείτου, quem curſim peregimus; ideoque animus erat accuratiorem ſi quidem licitum fuiſſet edere: at cum eo defuncto Bibliotheca in manus ignotas devoluta ſit, nec ſpes ulla ſubſit accuratioris operæ iis navandæ, qualem accepimus damus.

In codice XI. ſæculi, Pſalmi & officia Græcorum.

Codex XI. ſæculi, Catena in Pentateuchum, & in libros Joſue, Judicum & Ruth, ex *Diodoro*, *Theodoro*, *Theodoreto*, *Acacio Cæſarienſi*, *Hippolyto Romano*, *Didymo*, *Philone epiſcopo*, *Serapione Thmuitano*, *Baſilio*, *Joanne Chryſoſtomo*, *Gregorio Nyſſeno*, *Cyrillo*, *Ephremo*, *Epiphanio*, *Gennadio Conſtantinopolitano*, *Origene*.

Codex recens, interpretationes in Oſeam & Habacuc.

Codex XIII. ſæculi, *Nicetæ* catena in Job.

Codex recens, Anonymi Commentaria in Prophetas.

Codex recens, commentaria Anonymi in Jonam, Nahum & Michæam.

Codex recens, Commentaria in Hexaëmeron, & alia SS. PP. opuſcula.

Codex XIV. ſæculi, *Athanaſii* operum tomus primus. Secundi tomi complectentis Apologias & Hiſtorica opera ne unum codicem in Italia reperi, nam ii rariſſimi ſunt.

Codex bombycinus ſcriptus anno Chriſti 1346. ubi *Michaelis Pſelli* ſynopſis Pſalterii. *Athanaſii* interpretatio in Pſalterium, ſimilis ei de qua ſupra in bibliotheca S. Ambroſii Mediolan. quæ non eſt magni illius Athanaſii opus. Ejuſdem in Cantica. *Cyrilli* Lexicon & explicatio vocum Ebraïcarum.

Codex recens, Quæſtiones *Athanaſii* ad Antiochum. *Maximi Margunii* Cytherenſis enchiridion & alia.

Codex X. ſæculi, Homiliæ *Baſilii* in Heſaïam.

Codex XI. ſæculi, *Gregorii Nazianzeni* orationes quædam.

Codex XIV. ſæc. Quæſtiones *Gregorii* Theologi, quæ Athanaſii nomine tertio tomo a nobis ut ſpuriæ editæ ſunt.

Codex X. ſæculi mutilus, Homiliæ *Chryſoſtomi* in Geneſin. Item alius ejuſdem ætatis in Geneſin.

Codex X. ſæc. *Joannis Chryſoſtomi* in Acta Apoſtolorum & alia.

Codex XI. ſæc. ejuſdem in Matthæum. Alius ejuſdem in Matthæum recens.

Codex XI. ſæc. ejuſdem in Joannem. Ejuſdem alius in Joannem paris ætatis. Ejuſdem homiliæ variæ in codice recenti.

Codex XIV. ſæculi, *Joannis Chryſoſt.* homiliæ quædam.

Codex recens *Gregorii* Nyſſeni de Anima. *Demetrii* Philoſophi Quæſtiones.

Codex recens, *Gregorii* Nyſſeni in Orationem Dominicam, & alia variorum opuſcula.

Codex recens, *Cyrilli* Hieroſolym. opera, *Nili Rhodii* ſermones & alia varia.

S. *Cyrilli* Alex. epiſtolæ feſtales in codice recenti. In alio recenti ejuſdem Theſaurus.

Homiliæ *Cyrilli* in Geneſin.

Codex recens, *Theodoretus* in Danielem, *Pſelli* quædam & alia opuſcula.

Codex XIV. ſæculi *Joannis* Sinaïtæ ſermones aſcetici.

Codex recens, *Macarii* Ægyptii homiliæ.

Codex XIV. ſæc. *Anaſtaſii* Sinaïtæ quæſtiones & aliorum patrum opuſcula.

Codex XV. ſæc. *Joannis Damaſceni* canon, & aliqua aſtronomiæ opuſcula.

Codex XIV. ſæculi ejuſdem opera quædam.

Metaphraſtis vitæ SS. Codices bene multi, XI. ſæculi ſunt, in ſingulis codicibus ſinguli menſes continentur. Hi autem ibidem comparent, menſis Februarius, Maius, September, October, November, December; Menſes autem October & November in codicibus recentioribus, videlicet XIV. ſæculi, exſtant.

In alio codice recenti vitæ Sanctorum quædam.

In codice alio recenti vitæ SS. & homiliæ variorum Patrum.

In codice XIV. ſæculi *Anaſtaſii* & aliorum multorum Patrum quæſtiones & reſponſiones.

In codice XIV. ſæculi excerpta SS. Apoſtolorum & Patrum, & *Chronicon Nicephori.*

In codice recenti, *Nicephori* varia & aliorum SS. PP. excerpta.

In codice XV. ſæculi *Auguſtini* liber de gratia & libero arbitrio Græcè verſus.

In codice XIV. ſæculi vita, S. *Baſilii* Junioris, & canones quidam conciliorum.

In codicibus duobus, recenti manu, homiliæ *Theophanis Cerramei.*

In codice recenti *Josephi Bryenii* homiliæ.

In codice XIV. sæculi, dialogus *Pyrrhi* Constantinopolitani, & *Maximi* Abbatis.

Dialogi Lazari cum divite; item justi, hypocritæ & veracis dialogus in codice recenti.

Codex *Justiniani* membranaceus XII. sæculi.

Codex scriptus anno Christi 1229. ubi *Theophylacti* commentaria in Evangelia.

Officia Græcorum in duobus codicibus XIV. sæculi.

Joannis Xiphilini explicatio Evangeliorum per annum in codice recenti.

Matthæi Blastaris canonum collectio in codice recenti.

Codex scriptus anno Christi 1118. *Georgii Oecumenici* & *Simeonis Magistri* historiæ ab initio mundi. Hic postremus jam sub prælo sudat, a Combefisii versus, cura viri docti Michaëlis Lequien ordinis Prædicatorum.

Codex bombycinus XV. sæculi, *Simeonis Magistri* historia ab Adamo usque ad imperium Michaelis Ducæ filii Constantini. Anonymi historia Imperatorum Trapezuntinorum. *Athanasii* explicatio somniorum iambico metro.

Pachymeris Philosophica in codice recenti.

Codex recens, historia *Georgii* Monachi ab Adamo ad Romanum Diogenem.

Marci Ephesini opera varia.

Pachomii de Saracenis & contra Latinos.

Matthæi Quæstoris dialogi contra Latinos in codice recenti.

Xanthopulorum varia capita ascetica in codice recenti.

Xanthopulorum ascetica quædam, & historia. *Joannis* Monachi de puero Æthiope.

Bessarionis Cardinalis opus de unione ecclesiæ Latinæ cum Græca.

Leonis Imperatoris opuscula & *Theodori Studitæ* διδασκαλία in codice recenti.

Codices homiliarum & opusculorum bene multi variæ ætatis.

Xenophontis ἀνάβασις in codice recenti.

Vita Alexandri Magni ab Anonymo : æstimo eam esse quæ *Callisthenis* nomine variis in Bibliothecis circumfertur.

Eſtque ineleganter ſcripta & fabulis reſperſa.

Ptolemæi Aſtronomica in codice XIV. ſæculi.

De aliis ejuſdem bibliothecæ codicibus duobus ſuperius actum eſt : videlicet *Timothei* de Hæreſibus, & de Pſeud-athanaſii commentario in Pſalmos. Omnes porro memorati codices Græci ſunt. Permultique alii Venetiis circumquaque ſparſi occurrunt; cum enim e vicino poſita Græcia ſit, & multa ibidem loca Venetis pareant, hinc factum ut acciſis Græcorum rebus multi codices iſtuc exportati fuerint. Hic adjicere liceat codicum anecdotorum copiam, quam multis ex Bibliothecis corraſit vir doctus Juſtus Fontaninus meus, magnaque pars ſpectant ad hiſtoriam Aquileienſem Venetæ ditionis.

Nicolai Canuſii de reſtitutione patriæ adverſus M. Antonium Sabellicum.

Marii Franchiſchinii de conjuratione Baiamontis, Theupoli.

Antonii Belloni vitæ Patriarcharum Aquileienſium.

Petri Bleſenſis de teſtimoniis fidei.

Epiſtolæ *Antonii Pancernæ* Patriarchæ Aquileienſis in codice membr.

Romanorum Pontificum & collegii Cardinalium quædam circa ſchiſma Petri de Luna.

Imperatorum & Regum Franciæ de eodem argumento.

Intimatio Concilii Piſani, & ejuſdem proceſſus contra Petrum de Luna, & Angelum Corrarium, contendentes de Pontificatu.

Dynaſtarum Forojulienſium & aliorum circa Patriarchatum. In fine exſtat carmen *Johannis* epiſcopi Oſtunenſis in laudem patriarchæ Antonii : & obſervatu digna quædam ex epiſtolis *Franciſci Petrarchæ*. Codex ſcriptus anno 1415.

Quinctii Æmiliani Cimbriaci carmina.

Concilium provinciale *Raymundi a Turre* Patriarchæ Aquileienſis anno 1282.

Dell' origine delle inveſtiture & de feudi della patria del Friuli di Daniello Fabrizio da Udine.

Deſcrizione dei paſſi del Friuli, di Jacopo Valvaſone.

Succeſſi nella patria del Friuli ſotto XIV. patriarchi d'Aquileia del medeſimo Valvaſone.

Synodus B. *Bertrandi* patriarchæ Aquileienſis.

Synodus *Nicolai* patriarchæ Aquileienſis anno 1357. Erat Nicolaus ille Bertrandi memorati ſucceſſor.

Historia belli Forojuliensis tempore Philippi de Alenconio Patriarchæ Aquileiensis, auctore *Joanne Aylino* notario.

Chronicon integrum *Matthæi Palmerii.*

Variæ epistolæ & diplomata Patriarcharum Aquileiensium.

Nonâ Maii Patavium onerariâ vehimur: solitisque humanitatis officiis culti a Monachis nostris S. Justinæ, maximéque à D. Josepho Sandio Theologiæ doctore, D. Nicolaum Comnenum Pappadopolum virum doctum, Græcæ linguæ professorem, adimus; qui nos litterariis donis exornavit, obtulitque librum suum anno 1697. Patavii cusum hoc titulo: *Prænotiones mystagogicæ ex jure canonico, sive responsa sex, in quibus unà proponitur commune Ecclesiæ utriusque, Græcæ & Latinæ suffragium de iis quæ omnino præmittenda sunt ordinibus sacris, atque obiter & Græcia adversus calumniatores defenditur, & præcipuè Photianorum ineptiæ refelluntur.* Ibi innumeri scriptores Græci, sequioris maxime ævi, in medium adferuntur, qui maxima pars ignoti nobis erant. Breviarium insuper dono dedit a Græcis cusum anno 1697. cujus titulus, Ἀνθολόγιον τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ .... ἐτυπώθη ἐν τῇ περιφήμῳ καὶ περιφανεστάτῃ Οὐγκροβλαχίᾳ ἐπὶ τῆς ἐκλαμπροτάτης ἀρχῆς τοῦ εὐσεβεστάτου ἐνδοξοτάτου τε, καὶ μεγαλοπρεπεστάτου ἡγεμόνος καὶ αὐθέντος πάσης Οὐγκροβλαχίας, κυρίου κυρίου Ἰωάννου Κωνσταντίνου Μπασαράμπα Βοεβόδα. *Anthologium totius anni .... Typis datum in celebri & splendidissima Hungaro-Valachia, sub præclarissimo principatu piissimi, gloriosissimi & magnificentissimi Ducis & Dominatoris totius Hungaro-Valachiæ, Domini Domini Joannis Constantini Basaraba Boebodæ:* atque ut ibidem fertur Metropolitano Hungaro-Valachiæ Theodosio, cura & sumtibus Galactionis Bidalæ ex insula Teno, qui pridem fuit Abbas maximi Monasterii Lauræ in monte Atho, emendante & castigante Panagiote, Monacho Sinopes, in venerando Monasterio τῶν εἰσοδίων Synagobi, apud Anthimum Monachum ex Iberia. Alium quoque librum perhumaniter obtulit Græcè cusum in Moldavia; estque Dosithei opus in folio contra Romanam Ecclesiam: impetuntur ibi maximè Franciscani quidam; perindeque infensus est Calvinianis, quos novatæ corruptæque doctrinæ accusat, atque Catholicis Romanis.

Decima Vicentiam petimus, ubi nil nisi tritum & vulgatum observatur. Insequente Veronam, tunc imminentis belli & du-

biæ rerum conditionis causa numeroso præsidio instructam. Mox ad Amphitheatrum properamus, e cujus primo ambitu paucissima supersunt, arguuntque architectum non singularis peritiæ fuisse: gradus interiores in quibus sedebat adventitia populi frequentia haud ita pridem restaurati sunt. Inde arcum Ti. Flavii visimus ordine Corinthio a perita manu structum, inscriptio sic habet:

TI. FLAVIVS. P. F. NORICVS IIII VIR. I. D.

Id est, *Ti. Flavius Noricus quartumvir juri dicundo.* Ducimur postea in ædes hortosque Comitis Justi inscriptionibus bene multis ornatos, sed quæ jam publici juris sunt. Est ibidem inscriptio C. Plinii plerisque in locis erasa ac labefactata: quæ supersunt ita leguntur.

C. PLINII . . . . VERONENSIS
......HISTORIARUM OMNIVM
MEMORIAM DEDIT . . . . .
NECNON T. C.
XXXV. . . . CONS . . . MACER

Sed ea multis mihi nominibus suspecta est, commentumque olet: nam litteræ quæ desunt non tempore detritæ, sed scalpro excussæ videntur; ad hæc forma litterarum auget suspicionem; infimi namque ævi esse deprehenditur. Permultæ per Italiam supposititiæ inscriptiones exstant, in quibus deligendis cautela opus sit.

XII. Maii comite D. Remena doctore in musæum comitis Moscardi nos conferimus, multis veterum monumentis insigne. In iis tres æneæ tabellæ inscriptæ, quarta marmorea Græcam inscriptionem præfert, non vulgari characterum formâ, quam hic proferimus.

ΚΟϹΜΙΑ ΖΗϹΑϹΗ ΕΤΗ Ϛ ΗΜΕΡΑϹ ΙΘ
ΩΡΑϹ Β̄. ΚΟϹΜΟϹ ΚΑΙ ΘΕΟΔΟΤΗ
ΤΕΚΝΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ ΜΝΕΙΑϹ ΧΑΡΙΝ
ΕΠΟΙΗϹΑΝ

Id eſt, *Coſmia quæ vixit annis ſex, diebus novemdecim, horis duabus. Coſmus & Theodote dulciſſimæ filiæ memoriæ cauſa fecerunt*; nam Græca ſic leguntur, Κοσμία ζησάσῃ ἔτη ϛ. ἡμέρας ιθ. ὥρας β. Κόσμος ϗ Θεοδοτὴ τέκνῳ γλυκυτάτῳ μνείας χάριν ἐποίησαν.

Adeſt ibidem Canopus marmoreus ſtatura, pedali majore, inſculptus hieroglyphis, Ægyptiorum uſu: Neronis icon e marmore erumpens anaglyphi more, C. Caligulæ caput, itemque Platonis & alia id genus. Inſtrumenta ſacrificiorum, videlicet pateræ duæ, ligulæ, aſpergillum, vas aſperſorium, ſeceſpita: lituum non obſervavi. Fibulæ antiquæ magno numero, urnæ lacrymatoriæ vitreæ & figlinæ, variâ formâ. Annuli & ſigilla veterum, lapilli inſculpti, aut figura prominente, gemmæ.

Lucernæ ſepulcrales ingenti numero æneæ figlinæque. Secures & faſces, arma antiqua, ſcandulæ ſive ſtapiæ veterum: armatura Scaligeri cujuſdam principis Veronæ. Comes, qui proprio nomine Bonuccïus Moſcardus dicitur, ab Scaligeris feminea linea ducit originem: ibidemque in tabula depicta, matronæ forma exhibetur cum hac inſcriptione: *Viridis Scaligera uxor Moſcardi Bonucci anno* MCCCLXI. Venetiis in eccleſia B. Mariæ Servorum, ſtrata tabula ſepulcralis eſt, ubi inſcriptum nomen *Viridis Scalanæ*, quæ Scaligerorum principum Veronenſium poſtrema fertur. Adeſt ibidem ſeries numiſmatum æneorum magnæ ac mediæ formæ: in iis Otho ac Peſcennius Niger obſervantur, quorum γνησιότητα non exploravi Series item familiarum Romanarum, necnon Græcarum Urbium, Sicularum, magnæ Græciæ, Ægyptiarum &c. magni otii fuiſſet ſingula diſpicere. Monſtrant ibidem lapides duriſſimos, a tonitruo, ut fabulantur, emiſſos: at ſunt revera Barbarorum

ſecures, ut ex forma & apparatu liquet, quales in ſepulcro quodam Barbarico haud multis hinc annis detectæ ſunt. Cujus rei hiſtoria quia non accurate tradita, nam in diario eruditorum illo tempore edito præpoſtere omnia narrantur, hic appoſitè locum habebit. Rem accuratè deſcriptam hic adfero, qualem accepi a D. Cocherellio in cujus fundo, ipſo jubente, præſente & curioſe ſingula obſervante, ſepulcrum erutum fuit.

Anno 1685. menſe Julio, vir nobilis Cocherellii Normanniæ caſtri in Diœceſi Ebroïcenſi patronus, binos in colle lapides termini more poſitos, ſuſpicatus quidpiam reconditum ſignificare, amoveri juſſit. Cui rei inſudantes operæ inciderunt in ſepulcrum impolitis quinque ingentis molis lapidibus ſtructum: ibi duo capita reperta; quêis ſuppoſiti lapides totidem, in ſecuris formam concinnati. Alius pyrites lapis erat duriſſimus ſex ſeptemve pollicibus longus, uno atque dimidio latus, tenuiſſima acie, angulis peracutis; alter ſubviridis argenteis maculis diſtinctus, in ſecuris pariter ritum aptatus, ab extrema parte perforatus, longitudine pollicum trium, latitudine duorum: eſtque lapis orientalis, nephritidi & epilepſiæ curandæ, cujus rei periculum factum, idoneus.

Primis hiſce cadaveribus ſubſtratus lapis erat, quo ſummoto, alia duo deprehenſa corpora ſunt, adpoſitis ſolito more lapideis ſecuribus, quæ figura quidem ſimiles, lapidum genere & colore diſpares erant. Hoc item loco tres urnæ carbonibus oppletæ jacebant.

Dum foveam circumquaque dilatarent operæ, ſexdecim octodecimve alia corpora repererunt, eodem ſitu èxtenſa, uno ordine atque linea, ita ut verſus meridiem ſpectarent, brachiis ſingulorum juxta corpus extenſis; capitibus ſuppoſiti lapides erant, atque ſecures memoratis ſimiles. Vulgaris ſtaturæ corpora erant; contra quam a nonnullis publicatum eſt: verùm crania denſiora quam ſoleant: aderat inter illa caput, quod perforatum duobus in locis olim fuerat; ſed deinde curatis vulneribus, coalitæ partes apparebant. Secures porro eadem omnes forma; ſed diverſis lapidibus, fulvis, ſcilicet, ſubnigris &c.

Ad hæc detecta ſunt oſſa tria, ſpiculi more acuta, atque ut internoſcere licuit, oblongo olim baculo infixa, in haſtæ formam & uſum. In iis unum ex equino crure demtis carnibus confectum

confectum deprehenditur. Aderant quoque sagittarum cuspides & aculei; partim eburnei partim lapidei: quo arguitur Barbaros istos, non ferro, non ære, non metallo usos, hoc genere telorum concertasse. Cervinum cornu inserendis defigendisque securibus adornatum eductum est: in quo itidem foramen ad capulum ligneum immittendum.

E latere cadaverum hujusmodi, solo octo pollicibus altiore, semiusta ossa, admixstis magna copia cineribus deprehensa sunt: ibidem congeries lapidum, in cujus medio fracta urna, cineribus, carbonibusque oppleta: sublimius uno pede atque dimidio ceu stratum cineritium erat, quod memorata semiusta ossa contegebat: inter hæc autem ossa, quod observandum, bina craniorum frusta vulgaris spissitudinis inventa sunt. Ad angulum sinistrum lapis ingens quasi rotundus aderat, cui impositi tres alii lapides minores erant.

Iis detectis varii varia opinati sunt; & commenta pleraque sparsa, ut fere fit, cum singularia quædam ac recondita in medium proferuntur. Nihil certe dubii est duarum hîc nationum corpora sepulta fuisse: ac quæ integra durissimisque capitibus erant, Barbarorum atque exteræ cujusdam nationis fuisse putantur, quos Galli Manibus suorum in prælio cæsorum immolaverant, si quidem conjectare liceat. Nam adusta ossa Gallorum esse videntur, is enim Gallorum mos fuit defunctorum corpora comburere. Priorum certe corpora Barbarorum & exteræ cujusdam remotæque gentis esse arguunt cum armorum genus, tum craniorum durities: quod inde provenit quia tonso ac nudo capite procederent. Quod de Ægyptiis quoque tradit Herodotus in Thalia. Nam ubi de pugna a Persis Cambyse rege cum Ægyptiis commissa verba facit, sic habet. Θῶυμα δὲ μέγα εἶδον πυθόμενος παρὰ τῶν ἐπιχωρίων. τῶν γὰρ ὀστέων περικεχυμένων χωρὶς ἑκατέρων τῶν ἐν τῇ μάχῃ ταύτῃ πεσόντων. χωρὶς μὲν γὰρ τῶν Περσέων ἐκέετο τὰ ὀστέα, ὡς ἐχωρίσθη κατ᾽ ἀρχὰς ἑτέρωθι δὲ τῶν Αἰγυπτίων· αἱ μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσὶ ἀσθενέες οὕτω ὥστε εἰ θέλεις ψήφῳ μόνῃ βαλέειν, διατετρανέεις· αἱ δὲ τῶν Αἰγυπτίων οὕτω δή τι ἰσχυραί, ὡς μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαῤῥήξειας. αἴτιον δὲ τούτου τόδε ἔλεγον· καὶ ἐμέ γ᾽ εὐπετέως ἔπειθον ὅτι Αἰγύπτιοι μὲν, αὐτίκα ἀπὸ παιδίων ἀρξάμενοι, ξυρεῦνται τὰς κεφαλὰς, πρὸς δὲ τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ ὀστέον. τὠυτὸ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ μὴ φαλακροῦσθαι αἴτιόν ἐστι. Αἰγυπτίων γὰρ ἄν τις ἐλαχίστους ἴδοιτο φαλακροὺς πάντων

ἀνθρώπων. τούτοισι μὲν δὴ τοῦτό ἐστι αἴτιον ἰσχυρὰς φορέειν τὰς κεφαλάς· τοῖσι δὲ Πέρσῃσι ὅτι ἀσθενέας φορέουσι, αἴτιον τόδε· σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς, πίλεις τιάρας τε φορέοντες. *Rem miram ego vidi ex indigenis ſciſcitatus. Oſſa eorum qui in acie ceciderunt cum jacerent fuſa, & ſeparatim poſita : nam ſeorſum erant Perſarum, aliorſum Ægyptiorum, ut ab initio diſtincta fuerant : ſed Perſarum capita adeo fragilia ſunt, ut vel ſolo calculo ſi ferias perforare poſſis ; Ægyptiorum contra ita firma, ut ea vix ictu lapidis perfringas. Cujus rei cauſam hanc illi reddebant, facile mihi perſuadentes ; quod Ægyptii ſtatim a pueritia radere capita ſolent, atque os capitis ſoli expoſitum induratur, quæ eadem cauſa eſt non calveſcendi. Nam ex omnibus hominibus, pauciſſimos quis Ægyptios calvos videat. Hi igitur hac ratione robuſta crania habent. At Perſis cur fragilia ſint capita id in cauſa eſt, quod a principio aſſueſiant capita operire, geſtantes pilea tiaraſque.* Hic vides in noſtra Gallia repetitum exemplum, rei, ut Herodotus æſtimat, admirabilis. Id autem conſignare litteris volui, cum ut opinionem de lapidibus a tonitruo immiſſis, in muſæo Moſcardi, refellerem : nam Cocherellianis, quos ego ipſis oculis inſpexi, perquam ſimiles ſunt, ac revera Barbarorum ſecures ; tum ne rei ſingularis detectique ſepulcri memoria interiret, defuncto jam pridem Cocherellio, penes quem erant barbarica illa monumenta. Totum porro ſepulcrum ſuperius deſcriptum longitudine pedum triginta erat. In ædium Moſcardi impluvio, caput Jovis Hammonis cornutum inſpicitur. Alia multa quæ ibidem exſtant conſultò, quia nota & trita ſunt, tacemus.

Inde properamus in eccleſiam S. Zenonis Benedictinorum, ubi ſub apſide chori eccleſia ſubterranea eſt corpore S. Zenonis nobilitata. In ſepto crate ferrea munito Sancti reliquiæ reconditæ ſunt, etſi, ut aiebant, neſciatur in qua ſepti parte lateant. In capella ejuſdem Eccleſiæ architecti cujuſdam commentum obſervamus, qui columnas quatuor marmoreas in modum funis in medio nodatas adornavit. Portæ eccleſiæ ex ære confectæ figuris & hiſtoriis imperite elaboratis oppletæ ſunt. Frontiſpicium exterius anaglyphis ornatur, in quibus id ſingulare viſum, quod duo Galli vulpem colligatis quatuor pedibus & inſerto baculo humeris geſtent. Quod ἐμβληματικῶς factum fruſtra credatur : nam ſimile commentum Venetiis in ecleſia S. Marci videtur, idipſumque Burdigalæ repræſentari renun-

tiatum mihi fuit. Cætera vulgata plerumque fuere.

Maii duodecima. Mantuam & insequente Rhegium petimus. Musæumque R. P. Catanei viri perurbani adiimus. In serie ejusdem ænea, hæc rarissima notavi.

Numisma Tiberii mediæ formæ. MVNICIPIVM AVG. BILBILIS TI. CAESARE VL. AELIO SEIANO, & in medio coronæ querceæ COS. In alio simili, scalpro abrasum fuit Sejani nomen. Quod observatu sane dignum; nam post necem ejus, Tiberii jussu illatam, quod nomen ejus invisum esset; non imagines modo amotæ ac prostratæ, sed nomen ipsum e numismatibus aliquot abrasum est: omnia quippe Sejani nomine mutilare difficilius fuisset.

Mediæ formæ, caput Caligulæ. G. CAESAR AVG. GERMANICVS IMP. in postica signa militaria & ex utraque Aquilæ parte C. C. A. in circuitu LICINIANO ET GERMANO IIVIR. Illud C. C. A. legendum puto *Colonia Cæsar-Augusta.*

Domitianus Græce in postica frontispicium Templi tetrastylium, numine in medio: inscriptio ΑΡΤΕΜΙϹ ΕΦΕϹΙΑ.

Hadrianus primi moduli, in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. PP. in post. Imperator & Serapis cum modio in capite dexteras jungunt super aram ignitam; post Serapidem Isis lotum in capite & sistrum manu gestans, & post Imperatorem Sabina, quæ adversus Isidem manum erigit.

Inscriptio: ADVENTVS AVG. ALEXANDRIAE. Hunc nummum hic adferre libuit, qui antehac non ita accuratè descriptus.

Antoninus pius; in postica caput Serapidis corpore serpentino cum multis spiris, quibus spicam involvit.

Numisma Commodi medii moduli, in cujus postica, Imperator a Victoria coronatur, & super aram succensam dexteram porrigit jovi sistrum tenenti.

Decima quarta Maii Parmam venimus, hospitamurque apud Cassinenses nostros S. Joannis Evangelistæ, ubi tum degebat Eminentissimus Cardinalis d'Etrées. Palatium Ducis adiimus, totamque supellectilem, quæ penes Italiæ principes vulgo magnifica & opulenta est, visimus. Nihil istis in ædibus spectabi-

lius theatro, quod hodierna quæque magnitudine elegantiaque longe ſuperat, ac cum veteribus concertare valet. Id ibi ſingulare obſervatur, quod ſi quis in extremo theatri poſitus oſtioque adverſus, quantumvis demiſſe verba faciat, etſi longiſſima intercapedine, facile audiatur. Hujuſque rei, inexspectata loquuti, & imparatis haud dubie in colloquium provocatis, periculum fecimus. Hinc cæteris conſpectis, ad ſeriem numiſmatum cujuſvis metalli genere copioſiſſimam vertimur. Conſpicuum ibi obſervatur Peſcennii Nigri numiſma Græcum vulgo *medaillon*, alia ejuſdem duo mediæ formæ. Othonis Græca itidem mediæ formæ duo. Inter Græcos nummos antiquiſſimi eminent, Pyxodari fratriſque ejus Mauſoli, in quorum poſtica Jovis Alabandii ſecurem geſtantis figura. In familiarum Romanarum ſerie, Horatia omnium rariſſima ſuſpicitur. Muſæum totum publicabit R. P. Pedrozzius Jeſuita, & quidem ſex in folio tomis: at poſſet fortaſſis & otio & crumenis eruditorum melius conſuli, quam repetendo jam trita tot conficere volumina. Adſunt ibidem inſcriptiones non paucæ Græcæ & Latinæ; in Latinis obſervatur quando littera *u* natura producitur duplicatam exprimi *u u*. Litteram vero *i* longam per *ei* inſcribi. In veſtibulo quodam exſtant duo ſepta aſſeribus admotis circumquaque clauſa, ubi codices manuſcripti bene multi ab aliquot annis tumulantur, nec parvo rei-publicæ litterariæ damno diu, ut creditur, jacebunt ſepulti.

XVI. Placentiam petimus, atque in eccleſia S. Sixſti Benedictinorum Sepulcra viſimus, Angelbergæ Reginæ & Margaritæ Alexandri Farneſii matris. XVII. Mediolanum itur. Indeque. XXI. Vercellas. In noſocomio urbis ſublime poſitum videtur corpus Andreæ Vallac peregrini Romipetæ Andegavenſis, qui anno 1685. confectus morbo & macie obiit. Cadaver peregrinantis veſtitu incorruptum & integrum eſt, ut etiam vividi coloris quidpiam in genis remanſerit. In Eccleſia S. Victoris Canonicorum Regularium Altaris lapis marmoreus octo pedum longitudine, colore ad porphyritem accedente, quo factum ut Villamontius noſtras, vertente decimo-ſexto ſæculo iis in partibus peregrinatus, porphyreticum habuerit. Eccleſiam inde Cathedralem adiimus, in cujus ſacrario Reliquiæ inſignes: in iis crus Danielis prophetæ, brachium S. Jacobi majoris & alia id genus. Codicem vetuſtiſſimum ibidem inſpe-


ximus, in charta membranacea tenuissima exaratum, aiebantque ipsa S. Eusebii manu, qui sæculo quarto floruit, descriptum, versionemque ex Græco in Latinum ab eodem adornatam. Nonnulla hinc & inde legi, comperique versionem esse a vulgata nostra toto cælo discrepantem. Codex multis in partibus labefactatus putrefactusque est, quod casu plus quam vetustate evenisse dictitabant narrabantque diu in flumine demersum, indeque erutum fuisse. Hujus alphabetum hic damus.

ABCDEFGHILMNOPQRSTUX

Alium item librum eodem in sacrario repositum aiebant usui fuisse S. Eusebio Vercellensi, sed XI. tantùm sæculi esse arbitror. Proximè ostium ecclesiæ jacet inscriptio, loco proprio mota, quam hic consignare visum. Pertinetque ad Honoratum Episcopum Vercellensem, ab Eusebio memorato tertium.

Tertius hanc urbis sedem tenuit Honoratus
Antistes, cujus spiritus astra tenet.
Eusebius præsul primus qui martyr alumpnus
Cælorum postquam regna beata petit;
Hic pater Ecclesiam docuit hanc dogmate certo
Sermones complens actibus ipse suos.
Terris ac cælo conspicuus ubique magistro
Eusebio consors hic Honoratus adest.

His conspectis visimus Ecclesiam beatæ Mariæ Majoris; hujus stratum, antiquum opus musivum est, quo repræsentatur historia Judithæ: figuræ magnam imperitiam & barbariem olent. Monstrant ibidem in capella quadam B. M. Virginis puerum Jesum gestantis imaginem, ab ipsa Helena, ita narrant, Constantini matre confectam. In vestibus Christi infantis hæ litteræ sparsim positæ videntur.



XXIII. Taurinum adventamus: ubi D. Abbatem Mezzabarbam, Illustrissimi Mezzabarbæ comitis filium convenimus. Is defuncto Patre, opus illius postumum de nummis Græcis

publicandum illuſtrandumque cogitabat. Eſt enim rei antiquariæ præſertimque nummariæ cum primis peritus : ad hæc comis ac perurbanus. Si per eum ſtetiſſet Sabaudiæ Ducis Muſæum & bibliothecam codicum ad lubitum inſpectare fas erat. Verum monumenta illa nullo ordine congeſta ſunt ; codices autem manuſcripti, qui magno ibi numero ſunt (ad tria millia adeſſe teſtificabatur laudatus Abbas), alii aliis impoſiti & parietis more ſtructi, conclavis cujuſdam latera occupant. Pari fortuna uſi ſumus circa libros Pyrrhi Ligorii, qui tempore Pauli III. ſæculoque decimo-ſexto, non ut quidam decimo-ſeptimo floruit : qui codices, inſcriptiones infinitas, monumenta delineata, Romæ deſcriptionem, numiſmata, ſimiliàque bene multa complectuntur.

Taurino profecti, ineunte Junio Lugdunum venimus, amiciſque de reditu gratulantibus nos ſiſtimus. In iis D. Duga e primaria Urbis nobilitate, vir doctus Græce peritus : cujus ædes eruditis omnis generis frequentantur : is nos ut amiciſſime excepit in Italiam properantes, paribus officiis reduces amplexus eſt. Undecima Junii anno 1701. Lutetiam adventamus : atque ita peregrinationem, quam non plus annuam fore ſperabamus, vix totis tribus annis confecimus.

Notæ in quædam diarii loca.

P. 5. Inſcriptio Pompeii Parati quæ a Grutero vitiis conſperſa edita fuit, vocem habet ſingularem ſ. *Myriſmus*, quam Gruterus perperam *M. Piſmus* expreſſit. Nam vox Græca eſt, in qua P. Latinum pro P. Græcum uſurpatur, quod in aliis quoque inſcriptionibus obſervatum eſt. Non infrequens enim in inſcriptionibus Græcarum litterarum in Latinas commutatio. Myriſmus igitur, Græcè *μυρισμὸς*, ſignificat unguentorum inſperſionem qua Pompeius filium conditum more antiquo ſepelivit.

P. 8. *Petra Pertuſa* eſt caſtellum Occitaniæ in Ruſcinonis confiniis munitiſſimum, ut illo ævo, in petra pene totum excavatum : jam dominii regii.

P. 22. Nomina propria gentilitia decimo ſæculo cœpiſſe, undecimo vulgata & uſu recepta fuiſſe, ex diplomatibus bene multis comprobatur. Inſignia gentilitia tum oborta, cum Chriſtiani ad ſacrum bellum in Orientem properarent, ſub finem undecimi ac initio duodecimi ſæculi.

P. 28. In Tomo III. Act. SS. Ordinis S. Benedicti de hac translatione hæc Mabillonius noster : *Annum factæ Translationis* DCCXXV. *signat Baronius. Præfero cujusdam pervetusti chronici auctoritatem, annum* DCCXXII. *indicantis.* Uno solùm anno maturius rem consignat Chronicon Strozzianum anno 1200. conscriptum : cujus auctor accuratus computator, ut illo ævo, haberi potest.

P. 51. Quæ de quatuor equis æneis auratis habet Anonymus de mirabilibus Romæ, infra p. 291. subindicare videntur equos istos suo tempore, aut non diu sublatos Roma, aut etiam tunc ibidem, sed loco proprio motos, exstitisse. Nam si a Constantino magno exportati Constantinopolin fuissent : non video quo pacto Anonymus iste antiquitatis imperitus, in equorum hujusmodi notitiam venisset. Novi sane viros qui re accuratius expensa dicant, magna suspicione laborare, quod vulgi sermone fertur de advectis Româ Constantinopolin, ac deinde Constantinopoli Venetias equis hujusmodi.

P. 120. *Atque viginti circiter globulos ex crystallo nativa.* Inter cimelia ex sepulcro Childerici Regis Francorum Tornaci educta, est crystallina pila, pollicem cum dimidio a diametro habens, quo innuitur id moris antiquitus viguisse, ut crystallinos globulos in urnis & sepulcris nescio qua religione concluderent. Discriminale eburneum indicat urnam istam cineritiam sepulcralem, cujusdam mulieris cineribus recipiendis fuisse.

P. 128. *Laocoontis statua quæ hodieque superest, an eadem fuerit quam Plinius memorat, non vacat dubio.* In promtu est internoscere num simulacra Laocoontis & filiorum uno ex lapide, an ex duobus, ut testatur Fulvius, confecta sit : nam si ex duobus revera constent; probè arguitur Laocoontem illum diversum esse ab eo quem Plinius memorat uno ex lapide factum. Mihi cum Romæ versarer nondum fuerat iste scrupulus injectus, quare ex duobus an ex uno constaret, ne quidem in mentem venit explorare. Quod si etiam ex uno lapide Laocoon iste confectus esset, & revera alterius similis fragmenta viderit Fulvius Ursinus penes Antoniolum antiquarium, ut ipse commemorat, dubium sane fuerit utrum eorum describat Plinius.

P. 130. Pictura hæc in Titianis thermis reperta, quid exprimat non statim intellexi; sed re diligentius perspecta, opinor

repræſentare villam in qua turris editior, villarum antiquarum more, comparet, frequentiſſimis feneſtris ad proſpectum inſtructa: eſtque cœnatio qualem in villa ſua memorat Plinius l. 2. ep. 17. *Hic turris erigitur*, ſic ille, *ſub qua diætæ duæ, totidem in ipſa. Præterea cœnatio quæ latiſſimum mare, longiſſimum littus, amœniſſimas villas proſpicit.* De turri pariter quæ in villa Baſſi erigebatur proſpectûs causâ, hæc Martialis.

Et turre ab alta proſpicis meras laurus,
Furemque, Priapo non timente, ſecurus.

In hac itidem villa Priapus, rupi innixus, e regione turris conſpicitur. Ædicula prope turrim ſita porticu inſtruitur: a Neronis quippe tempore mos fuit domos ornare porticibus, ut in Nerone Suetonius teſtificatur. *Formam ædificiorum Urbis*, inquit, *novam excogitavit, & ut ante inſulas & domos porticus eſſent.* Huic proxima humilior domus ſolario inſtructa, villicoque deputata: nam villicus villicaque ipſam adeuntes exhibentur; caſa autem hujuſmodi ita villico deputata erat, ut etiam ſolario ornata, vaſis, duobuſque leonibus ad villæ proſpectum & elegantiam concinnaretur. Aquis villa exornatur, ad oramque ſedens quiſpiam, vir mulierne ſit non ita perſpicuum, lineam captandis piſcibus injicit, ut habet, villam Fauſtini deſcribens, Martialis,

Tremulave captum lineâ trahit piſcem.

Majores ædes porticu pariter ſua inſtructas adit matrona, veſte talari induta, cujus fortaſſe villa fuit. Pone ædes obeliſcus erigitur; cui appenſa lyra tutelarem domûs Apollinem indicat, idipſumque tripode, qui ad angulum tecti ſublimis columnæque innixus erigitur, ſignificari videtur; Lyra enim atque tripus germana ſunt, ut nemo neſcit, Apollinis ſymbola. In antiqua ædium facie ſtatua videtur, talaribus ornatâ veſtibus; alteraque nuda propter domûs angulum baſi inſiſtens conſpicitur. Poſtea vero ipſis in aquis Terminus dextram elevans, tergo domui adverſo, repræſentatur.

P. 134. S. Clementis περίβολον, ſive chorum jam edidit Ciampinius: nos tamen accuratius delineatum ſine lectoris faſtidio proferri denuo poſſe ſperavimus.

P. 108.

P. 208. Inscriptionem de monetarum officinis & præfectis, labefactatam, maximaque sui parte erasam qualis in villa Perretina jam superest, hic visum est adjicere.

VICTORI ARA . . . . ;
SACRVM CONI. . . . . . . :
FLATVRAE ARGE. . . . .
MONETAE CA. . . . .
CLAVDIVS. . . . .
VLPIVS. . . . .
VLPIVS. . . . .
VLPIVS. . . . .
VLPIVS. . . . .
DEDICAVIT. . . . . . .
L. VIPSTANIO. . . . . . .
M. VERGILIANO. IVN. DO . . . .

Est ibidem alia inscriptio ad eamdem rem spectans.

GENIO
FAMILIAE MONETAE
DEMETRIVS CAESARIS N
SER. EPAPHRODITIANVS DISP
D D

P. 245. Posset fortasse mons Citorius, a septis, illud vocabulum *Acceptabilis* sumsisse: non infrequentes enim advectæ sunt nominum mutationes.

P. 276. Molis Hadrianéæ columnæ in Ecclesiam S. Pauli exportatæ fuere. Idque tenent Casinenses Monachi, ex antiquis instrumentis mutuati. Columnæ porro istæ numero 80. formâ spectabili totam Ecclesiæ molem sustinent.

P. 294. Post sanctam Mariam Novam, duo templa Concordiæ & Pietatis. Anonymus de ruinis templorum hic agere videtur, quæ in hortis S. Mariæ Novæ hactenus visuntur.

Ibid. Infra palatium est templum Julii. Anonymus sententiam nostram asserere videtur, quam p. 183. & 184. aperuimus; nimirum tres illas columnas, quæ in campo Vaccino eriguntur, pertinuisse ad templum Julii Cæsaris.

P. 358. Equorum vetera nomina isthæc adtulit Sponius Iti-

nerarii sui tom. 3. sed fœdata, ita ut *Sanippo*, *Eutono*, *Cirpato*, habeat ubi, *Menippo*, *Eutonso*, *Cirreto* legitur, & multa alia vitiata adferat, quædam omittat. Alia addit nomina Sponius, quæ, amoto marmoris frusto, non reperiuntur.

P. 377. Primam inscriptionem Gruterus & Fabrettus addulerunt, sed vitiatam uterque. Baquates erant Mauritaniæ populi, quos βακουάτας Ptolemæus nuncupat.

P. 391. Sunt qui in secundo schemate, lignariorum non ferrariorum instrumenta fabrorum depingi æstiment: vocemque *Ferrarius* in inscriptione, nomen proprium esse, nec artem indicare. Totum prudentis lectoris judicio permittimus.


Epistola Doctissimi viri D. Philippi a Turre Episcopi Hadriensis, de nuper eruto Romæ nobili monumento. Ex Italico vulgari idiomate Latinè versa a D. B. de Montfaucon, cui epistola missa.

Romæ 18. Junii anno 1702.

CUM multis necessitudinibus implicitus profectum meum Roma distulerim, pergratæ mihi moræ hodie videntur; nam pridie quam iter capessam, oblatam mihi occasionem scribendi, perinde tibi acceptam atque mihi jucundam fore existimo. Agitur de monumento quod viginti hinc circiter diebus primo a Porta Majori lapide deprehensum est. In vinea igitur quadam detecta est urna grandior marmorea, in qua tela ex Amianto confecta; est lini genus quod Asbeston Græci vocitant: tela vero palmis Romanis novem longitudine, septem latitudine, pari ratione atque hodierna tela nostra contexitur, filis, cannabinæ telæ more, densioribus; sed usu detrita maculisque respersa est, quasi tela ad coquinariam rem deputata. Estque ipsa tractabilior, tactuque lænior ipso serico panno. In tela conclusa erant ossa, ipsaque calvaria, sed adusta omnia; ut nihil dubii subsit cadaver tela inclusum in rogum injectum fuisse, ut consumto corpore illæsaque tela, inclusi cineres non circumquaque spargerentur, eoque ritu conderentur in Sarcophago; ut moris erat viros insignes antiquitus sepelire. Hunc autem e primariis ac dignitate clarioribus

OPERCULUM SEPULCRI





fuisse, ex figuris duabus ad umbilicum, media sui parte prominentibus, eruitur: alia paludata est, alia vero togata & trabeata; arbitrorque binis iconibus unum eumdemque virum exprimi, re militari perinde atque civili insignem, qui Consulis, Præfecti urbis, similiaque officia obierit: quod utique vel ipsa telæ magnitudine arguitur, quæ duobus recipiendis cadaveribus par non est: ad hæc vero cranium unicum ibidem repertum; quia videlicet unius sepulcrum erat. In medio urnæ quadra superficies insculpendo epitaphio concinnata, vacua, nescio quo casu, relicta est: nec parum inde litteratis detrimentum; ignotum enim nomen, ignota conditio sepulti viri manet. Æstimo post sæculum Constantinianum adornatum tumulum fuisse; ætatis quippe indicio sunt togæ ritus trabeaque transversa; non leve item argumentum eruitur ex operculo figuris onusto, lapsam sculptoriam artem indicantibus. Ibi genii alati sculpti vario situ atque formâ; alius lyram seu citharam manu tenet, alius insidet aræ, alii ramos & fasces manibus gestant. Hæc carptim observata, non licuit enim per tempus rem accuratiùs explorare. Urna ex albo marmore palmis novem longa, tribus cum dimidio lata est. In antica facie striatæ ac sinuosæ lineæ sculptæ sunt. Nec omittendum, igni traditam telam, flammisque immissam, diu multumque illæsam mansisse, intactamque erutam fuisse.

En tibi, Carissime Bernarde, postremam fortasse antiquariæ rei a me datam operam; nam aliò me vocat concreditum munus, ad alia me studia provocat pastoralis officii tradita provincia. Hæc verò tumultuario solum opere profectum paranti describere licitum fuit.

Jam insudatur evacuandæ ecclesiæ in foro Romano prope S. Mariam Liberatricem detectæ: certum est ibi Pauli primi effigiem haberi depictam; nullatenus enim ad Paulum II. pertinere potest. Ibidem hæc leguntur: *Sanctissimus Paulus P P. Romanus:* quæ ipso vivente Pontifice factum opus denotant, quod itidem palam est ex limbo quadro ad caput ejus depicto, ut ex Joanne Diacono in vita S. Gregorii, exque aliis scriptoribus deprehenditur. Neque tamen perspicuum est eamdem esse ecclesiam, quam a Paulo primo recens structam memorat Anastasius: plura recensere non possum, neque depictas ibidem multas imagines commemorare: nam maturanti profe-

ctum hæc curiosiùs expendere non vacat. Vale vir Carissime, & me amare perge. Romæ 18. Junii 1702.

Per Romanum otium hortante frequentibus epistolis amicissimo viro, ac litterarum omnis generis peritia cum primis Europæ numerando D. Abbate de Longuerue, in codicibus Justini Prologos historiarum Philippicarum Trogi Pompeii conquisivi: in Vaticana duos Justini codices prologis instructos deprehendi; in bibliotheca Illustrissimi Marchionis de Maximis tertium reperi, cum iis vero contuli Prologos ut in editis exstant, scilicet mirè vitiati, ut vix sanum quidpiam occurrat. Lectiones varias transmisi laudato viro, qui reduci mihi easdem eruditis notis additis, hic inserendas restituit; ut horum opera Prologos jam expurgatos edere in promtu sit. Ipsi autem Prologi, utpote ad Trogi Pompeii libros cum adhuc superstites essent, concinnati, plerumque gesta memorant quæ in Justino non comparent. Alium Prologorum codicem vidi Venetiis in ædibus Trevisanis, quem non licuit per tempus explorare. Codices porro Vaticani, quorum hic lectiones adferimus, sunt his numeris insigniti 1825. & 1826. Iis adjungimus item varias lectiones duorum Colbertinorum codicum, qui sic notantur, 1566. & 1578.

Notæ & variæ lectiones in Prologos historiarum Philippicarum Trogi Pompeii, qui exstant ad calcem epitomes earumdem historiarum.

Libro 1. *Sardanapallum.* Emenda *Sardanapalum*, sic habet codex Maximianus sive Marchionis de Maximis Romani.

Lib. 2. *Per Datin & Tisaphernem.* Lege *& Artaphernem.* Is enim, non autem Tisaphernes dux fuit exercitûs Darii contra Græcos, seu Athenienses, ut testantur Herodotus, Pausanias in Atticis, Æmilius Probus in vita Miltiadis. Codex primus Vaticanus habet *Tipharnem*, sed restituendum, *Artaphernem.*

Ibid. *Tenuere.* Lege, *Sustinuere*: & sic habent codices duo Vaticani & codex Maximianus.

Ibid. *Origines Scithiæ.* Emenda, *Res Scythiæ*, ut habent codices omnes Romani.

Ibid. *Ratione vicere.* Emenda & lege, *Marathone vicère.* Id autem notissimum vel pueris est.

Libr. 3. *Dux ejus (Xerxis) Archæmenes.* Lege, *Achæmenes* ex Herodoto, Ctesia, & Diodoro; codex primus Vaticanus habet, *Achamenes.*

Ibid. *Per Agabazum.* Scribe *Megabazum*, vel Megabysum, ex Herodoto & Diodoro, licet in nullo codice manuscripto littera prima compareat.

Ibidem. *Coalitique Sicionia & Corinthio tyranno.* Emenda ex codicibus Romanis, *Alitique Sicyone & Corinthi*; id est, ut creverint & *alti* evaserint. De iis qui rerum potiti erant Corinthi & Sicyone egerat hoc libro Trogus; verum de istis omnibus nihil Justinus habet.

Ibid. *Bellum Criseum.* Bellum Criseum vel Crissæum aut Crisæum. Sic habent omnes codd. mss. Eo loci egerat Trogus de bello gesto a Clisthene tyranno Sicyoniorum contra Crissæos aut Cyrrhæos. De quo legendus Frontinus lib. 3. c. 7. num. 6. & Pausanias in Phocicis.

Ibid. *Messianica*; lege, *Messeniaca.*

Ibid. *Sicyonia & Corinthio.* Lege, *Sicyonii & Corinthii.*

Ibid. *Et quod Athenienses. Et quod* (scilicet bellum) *Athenienses primò cum Bœotis, deinde cum Peloponnesiis gesserunt.* Bellum Atheniensium contra Bœotos, & quod Peloponnesiacum processit, incidit in annum 2. Olympiadis 83. De quo consulendus Diodorus libro 12.

Eodem in Prologo post hanc vocem, *Arthabano*, addit codex alter Colbertinus *interfecto*: neque abs re : non enim pulsus solùm, sed interfectus fuit ab Artaxerxe Artabanus. Lege itaque. *Pulso interfectore Patris Artabano, & interfecto.* Postea. *Ut ab Herculis posteris Dorico populo sit occupata.* Codex unus Colbertinus habet, *Pro Dorico populo*, & recte quidem. Ibidem, codicum licet auxilio destitutus ita lego : *Peloponnesi origines*, non *Peloponnensium*; etenim voces istæ, *sit occupata*, ad singulare fœmininum, Peloponnesum scilicet, necessario referuntur.

Libro 5. *Propter Grissum.* Emenda, *Cyrum.* Hic enim de Cyro juniore filio Darii & Parysatidis agitur. In duobus Vaticanis & in Maximiano codice legitur, *Cyricum.*

Libro 6. *Ducibus belli Herculide &c.* Emenda, *Dercyllide*, vel *Dercullide*, ex Xenophonte, Diodoro & Plutarcho in vita Agesilai, & ita legitur in codice 1. Vaticano.

Ibid. *Alexandri Epiræi.* Emenda *Pheræi.* Hujus Tyranni &

fratris Jasonis historiam lege apud Xenophontem, lib. 5. rerum Græcarum.

Ibid. *Leuctrix & Mantinea.* Lege, *Leuctris & Mantinea.* Et sic habent codices Romani 3.

Ibid. *Achæis.* Lege, *a Chiis, & Rhodiis & Byzantiis.* Primus codex Vaticanus habet, *ab Achæis & Rhodiis & Byzantiis.* Secundus codex, *ab Achæis & Phocensibus & Byzantiis.* Cui concinit codex Maximianus. Attamen de emendatione nostra nil dubitandum: nam bellum illud Sociale quod a Chiis, Rhodiis &c. gestum fuisse constat, nil ad Achæos & Phocenses pertinuit: vide Diodorum lib. 12.

Libro 7. & 8. *Mothonem*, lege, *Methonem*, ex Demosthene & aliis omnibus.

Lib. 7. *Pœnum.* Lege, *Pœnorum*, sic habent duo Colbertini codices.

Libro 8. *Interfectumque*, sic lege: *Interjectumque huic* (bello sacro contra sacrilegos Phocenses scilicet) *bellum quod Philippus cum Calchidicis* (vel Calcidicis) *urbibus gessit.* Merito reponimus, *interjectum*; nam sæviente bello sacro, Philippus Rex Macedonum bellum Chalcidicum confecit, & Olynthum delevit. Codices tres Romani sic ferunt, *interjectum.*

Ibid. *Electo Aryba.* Emenda, *Deleto Aryba*, id est, mortuo, seu morte deleto. Legendus Diodorus lib. 16.

Libro 9. *cum Mathea.* Tolle litteram M. & lege *Athea*, ut Justinus cap. 2. ex Trogo habet, cui concinunt Diodorus & alii omnes.

Græciæ bellum intulit. Lege, *Græcis bellum intulit.*

Ibid. *Victusque Cheronéæ.* Emenda, *Victisque.* Philippum enim fœderatos Græcos vicisse Chæronéæ nemo ignorat. Codex primus Vaticanus habet: *Victisque Ceronéæ.*

Ibid. *Occupatis angustiis nuptiarum.* Emenda, *Occupatis angustiis nuptiarum filiæ die occisus est*; sic habent omnes codices mss. Romani.

Codices quidam habent *Accon*, pro *Ace.*

Libro 10. *Primum Dopanem.* Locus corruptissimus sic restituendus. *Persequutus primum Datamem præfectum Paphlagonum, quorum origo repetita.* Datames erat ille præfectus Paphlagonum, qui contra Artaxerxem rebellavit, de quo lege Diodorum & Æmilium Probum, cum notis eruditissimorum virorum ad vitam hujus Datamis.

Ibid. *In Syria præfectum. Dein Præfectum Hellesponti* (Phrygiæ) *Ariobarzanem. Deinde Syriæ præfectum.* Hujus Syriæ præfecti nomen non omiserat Trogus, neque autor Prologorum. Verum neglexit hæc omnia Justinus. Diodorus vero qui narrat Syriam ab Artaxerxe defecisse, nomen Satrapæ omisit.

Armeniæ Orontem. Lege, *Ac Mysiæ Orontem:* nam Orontes, ut habet Diodorus, satrapa erat Mysiæ in Asia minore, non Armeniæ.

Ibid. *Sidona accepit.* Lege, *Sidona cepit.*

Ibid. *Effectores.* Emenda, *defectores*, & sic lege: *In Cadusiis victor defectores in Asia purpuratos* (seu satrapas.) Hanc restitutionem Maximiano codici debemus.

Ibid. *Regnarit Arsem. Deinde reus.* Emenda, *regnavit Arses, dein Dareus, vel Darius*, qui cum Alexandro Macedone conflixit.

Libro 12. Editi habent: *Origines Italicæ Apulorum.* Sed Maximianus codex habet, *Italicæ populorum*, Vaticani duo, *Italiæ populorum.* Addit Maximianus cod. *Lucanorum* codd. duo Colbertini recte habent, *Apulorum*, *Lucanorum & Samnitum.*

Ibid. *Annemon.* Lege, *Mnemon*, & sic habent codices Vaticani.

Libro 13. *Phitone*, lege, *Pithone.*

Ibid. *Bellum quo Perdiccas regem Ariarathem occidit & occisus est.* Itane Perdiccas occisus est in bello contra Ariarathem? Absurdum plane: itaque pauculæ voces addendæ ex Justino; *occidit, & ut ipse Ægyptum cum exercitu petens occisus est.*

Ibid. *Bellum Lamsacum.* Emenda, *Lamiacum*, licet vox illa corrupta sit in codicibus omnibus Romanis & Colbertinis.

Libro 14. *Sic Aridæum in Phrygia majore & Cliton.* Optimè habent codices duo Colbertini, *Phrygia minore:* nam Satrapa non rex Arridæus præerat Phrygiæ minori ad Hellespontum. Consule Diodorum lib. 19. Hunc Arridæum bello lacessivit Antigonus. *Et Cliton,* adde *Lydiâ*, cui præerat Clitus, quem oppugnavit Antigonus; licet hæc vox, *Lydiâ*, nullo in codice legatur. Adde insuper, *& ut a Clito*, & post sequitur, *victus* &c.

Ibidem. *Captaque ad fatorem Mychia matrem Alexandri Olympiadanæ interfecit.* Corruptissimum hunc locum ope duorum Vaticanorum codicum & Maximiani restituimus: habent enim.

Receptaque a Nicanore Micina matrem Alexandri Olympiadem interſecit. Lege, *Receptaque a Nicanore Munichia.* Editi ex codicibus aliis manuſcriptis habent, *Olympiadanæ obſeſſam interfecit.* Legendum, *Olympiadem Pydnæ obſeſſam*; his autem ſubde, ex duobus Colbertinis codicibus, *& captam ad favorem populi*, id eſt, favente populo, *interfecit*, quod ipſe Trogus aſſeverat. *Caſſander*, ait Juſtinus, *Pydnam venit, & urbem obſidione cingit .... Olympias victori ſe tradidit .... ad concionem vocato populo, Macedones, ſine reſpectu majeſtatis, occidendam decernunt.*

Libro 15. *Et ut Demetrius Antiochi filius Gazæ victus eſt a Ptolemæo.* Lege, *Antigoni*, non, *Antiochi.* Nam Demetrius iſte eſt Poliorcetes Antigoni filius : & ſic habent codices Romani & Colbertini.

Ibidem. *A filio collectæ.* Cod. Maximianus habet, *collectæ a Demetrio*, melius Colbertini, *a filio ejus ſunt collectæ Demetrio.*

Ibidem. *Et Leonimi die inde.* Emenda, *Cleonymi deinde Spartani res geſtæ Corcyræ & in Illyrico, & in Italia.* Quas res proſequitur fusè Diodorus : nec omiſit Livius. Primus codex Vaticanus & Maximianus habent : *Et Leonymi deinde Spartani.*

Ibidem. *Qui ablata Corcyra &c.* Emenda, *Utque abactus Corcyra rex Caſſander interiit.* Vide Diodorum in excerptis lib. 11. Hic nihil ſubſidii luciſve adferunt codices.

Libro 16. *Lyſimachus captus ac miſſus eſt Andromache.* Lege, *ac dimiſſus eſt a Dromichete*; Rege ſcilicet Scytharum & Getarum. Lege Diodorum in excerptis Valeſianis, ſeu Peireſkianis. Codd. Vaticani *a Romiche*, Maximianus, *a Romuche.*

Ibid. *Tyranni Heracleæ Dionyſius, quorum filiis interfectis Lyſimachus occupavit urbem.* Lege, *cujus filiis interfectis &c.* Dionyſii nempe filios Clearchum & Oxathrem interfecit Lyſimachus. Lege Memnonis excerpta in bibliotheca Photii. Omnes mſſ. codices habent; *quorum numero multitudinis*, at perperam.

Ibid. *mox evictus.* Lege, *a quo mox evictus*, codd. Romani mſſ. habent, *quo mox evictus.*

Libro 17. *Ptolemeus cognomine Ceraunus.* Scribe, *Ptolemæus iſte, cognomine Ceraunus.* Nam ſecus quivis arbitraretur fratrem Arſinoës, cujus ſupra meminit auctor Prologi, alium fuiſſe a Ptolemæo Ceranno, quod falſum. Immo ſuppleri debet, *iſte*, quamvis

quamvis in codd. mss. vocula illa reperta non fuerit.

Ibid. *Cum Antiocho & Pyrrho.* Adde *Antigono*, quamvis mss. hoc nomen taceant; & scribe, *cum Antiocho, Antigono, & Pyrrho*, ex Plutarcho in vita Pyrrhi.

Libro 18. *Sidonis*, mallem, *Sidoniorum*, ut habet codex Maximianus.

Ibid. *Et Veliæ Carthaginumque.* Emenda, *Uticæ Carthaginensiumque:* nam Uticam a Phœnicibus conditam ex Trogo memorat Justinus. Codices omnes eam præferunt lectionem *Velia*; at Velia a Phœnicibus condita nulla prorsus est.

Libro 19. *In Africam per Rubellorum annorum gestæ.* Emenda, *in Africa per Asdrubalem, Amilcarem & Hannonem gesta.* Simili modo habent codices Colbertini, & Maximianus. Vaticanus alter *per Amonem.*

Ibid. *Et Siciliam cum Selinum Temetegantum & Gametinam & Ulem.* Lege, *& in Sicilia cum Selinuntem & Agrigentum & Camarinam & Gelam ceperunt &c.* Romani codices vocem *Gelam* non habent, sed ex codicibus Colbertinis alter *Gelam*, alter *Geram* habet, legendum, Gelam.

Ibid. *Phoeni per Homilionem gesserant quod.* Lege, *Pœni per Himilconem gesserant quo &c.* & ita legitur in codice Maximiano.

Libro 20. *Dictæ quas. Dictæ*, res scilicet, *quas.*

Libro 21. *Per Dionysius jectus.* Codex Vaticanus alter & Maximianus habent, *perinde ejectus.* Hic omnino supplenda est vox, *Dionem.* Restitue igitur. *Per Dionem inde ejectus.* Syracusis scilicet ejectus est Dionysius junior tyrannus, ex Diodoro, Plutarcho & Probo in vita Dionis.

Ibid. *Corinthum statim Oleonte.* Emenda, *Corinthum secessit; ut a Timoleonte Carthaginensium bello liberata sit Sicilia.* Cum vulgatis Prologorum editionibus concinit primus codex Vaticanus. Verum alter Vaticanus & Maximianus habent, *statim proficiscitur, ut ab Agathocle Carthaginensium.* Et quidem mendosè: nihil enim hic agitur de Agathocle, sed de Timoleonte.

Ibid. *Mortuo Pisistrato.* Nullum in Sicilia agnosco Pisistratum: repone igitur: *Mortuo Sosistrato, iterum facta seditione*; subdit Prologorum auctor: *Arcessiti quam ad bello Carthaginenses, obsederunt Syracusas.* Locus iste mancus & corruptus est, quem sic restituendum censeo: *Arcessiit adjutores belli Carthaginenses seditiosi, obsederunt Syracusas.* Quo bello Agathocles nanctus

imperium est. Hæc plana sunt ex Diodoro & Justino, ipso initio libri 22. qui nihil de Agathocle prorsus habet libr. 21. licet Trogus eo loci sub finem saltem ejusdem libri 21. multa de celeberrimo isto tyranno narrasset. Verum Justino satis fuit quædam de eodem Agathocle summatim narrare initio libri 22. quæ ex libro 21. Trogi depromserat.

Libro 22. *Ubi possessa provincia Opellam interfecit.* Emenda, *Ophellam.* De Tyranno isto Cyrenæorum consule Diodorum libr. 20.

Libro 23. *Revertit in Epirum.* Codices duo Colbertini habent, *revertitur in Epirum.*

Libro 24. *Monio Illyrio.* Codex alter Colbertinus habet, *Mytilo*, quam veram esse lectionem nihil ambigo. Nam Illyrius ille libro seq. constanter vocatur Mytilus.

Libro 25. *Ut Galli transierint in Asiam, bellumque cum rege Antigono & Bithinio gesserunt.* Pro *Antigono*, restitue *Antiocho.* Hanc lectionem exhibent duo codices Vaticani. Præterea Galli qui transierant in Asiam, ibidem bellum gerere cum Antigono Gonata non potuerunt, qui in nullo Asiæ angulo rerum potiebatur; sed cum Antiocho Sotere Seleuci filio. Bithynii principis nomen neque Trogus omiserat, neque auctor ipse Prologorum: Locus iste sic restituendus, *bellumque cum rege Antiocho & Bithynio Zypoete gesserunt.* Galli socii erant Nicomedis qui partem Bithyniæ obtinebat, & hostis erat hujus Zypœtis. Vide excerpta Memnonis & Livium libro 38.

Ibidem, *Apollodori.* Hujus Apollodori Cassandriæ Tyranni meminit Pausanias in Atticis.

Quas regiones Felini occuparunt: Lege tutò, *Galli*, non, *Felini*: quas regiones Galli tunc occuparint eò loci enarrabat Trogus, sed vide Livium l. 38. & Strabonem. Codd. mss. omnes depravati constanter retinent vocem *Felini*, vel *Selini.*

Libro 26. *Ut mortuo rege Antigono, filius ejus Seleucus Gallinicus.* Scribe, *Antiocho*, & *Callinicus.* Nam Antiochus cognomine Deus, pater fuit Seleuci Callinici.

Ibid. *Arca.* Lege, *Arcan*, & ita habent codices Colbertini.

Lib. 27. *In Syria adversus Ptolemæum.* Lege, Ptolemæum Tryphonem, ut habet codex Maximinianus.

Ibid. *Anguræ.* Lege, *Ancyræ*, vel, *Ancuræ*; codex Maximianus habet, *Ancyræ.*

Ibid. *Utque Galli victi ab Attalo Cziac Lambitunum.* Lege & disjunge : *Victi ab Attalo , Zyelam Bithynium* (vel Bithunium) *occiderint.* Sic enim disjungit codex Maximianus , & unus Colbertinus. Gallos victos fuisse ab Attalo scribunt Polybius lib. 18. in excerptis Valesianis, Suidas in voce. *Livius* , lib. 33. & 38. & Strabo lib. 13. Galli postea Zielam Bithynium occiderunt. Nam , ut docet nos Athenæus lib. 2. cap. 18. Zelas , vel ut alii scribunt Zielas , cum Gallorum principes insidiis tollere conaretur, ab eis ipse interfectus est.

Ibid. *ut Ptolemæus eum denuo captum interfecerit, & Antigonum Andro prælio navali prona vicerit.* Ptolemæus iste qui Antigonum prælio ad Andrum insulam vicit, proculdubio est Ceraunus, ut a Memnone discimus, quem consule. Sed ad quem ducem vel regem referemus : *eum denuo captum occiderit ?* An ad Zielam a Gallis occisum ? An ad Attalum, qui morte placida interiit ? Utrumque absurdum. Restitue itaque , *Ptolemæus Ptolemæum denuo &c.* Hic Ptolemæus interfectus, est filius Lysimachi, qui reclamaverat *fidem subiisse jurejurando Cerauni*, nuptiisque matris cum eodem Cerauno celebrandis obstiterat, ex Justino lib. 24. cap. 2. Imò, sociis Illyriis, bellum in Macedonia gesserat cum Ceranno , ut legimus in Prologo libri 24. Victorem hoc bello fuisse Ceraunum liquet , cepisseque tunc Ptolemæum arbitror. At eum liberum tunc dimisit. Nam Cassandriæ matris in gremio solos Lysimachum & Philippum fratres Ptolemæi interemit, sed non multo post comprehensum ipsum Ptolemæum occidit. Hæc autem omisit Justinus.

Et Antigonum Andro prælio navali prona vicerit. Emenda, *& Antigonum Andro prælio navali pervicerit.* Nihil sani hic præferunt manuscripti, ubi legitur. *Oprona*, vel *Oppiona.* Editores legerunt, *prona vicerit.* Quæ vox , *prona* , *vel oprona* nihili est. De hoc prælio navali consule Memnonem apud Photium in Bibl. Codex primus Vaticanus hanc lectionem habet *Andro prælio navali*, quam editores admiserunt.

Ibid. *Et a Gallinico.* Lege, *& a Callinico.*

Ibid. *Antiochus Arsamenem. Antiochus* (Hierax scilicet Seleucida) *insidiantem sibi effugit Ariamnem.* Sic emenda ; ita enim appellatur ab omnibus veteribus, & scribitur itidem in codicibus Romanis.

Ibid. *Dein postea custode Tryphonio.* Lege, *custodes Tryphonis.* Certum est Hieracem custodes Ptolemæi tertii effugisse, qui Ptolemæus vulgo dictus Evergetes, cognomine Tryphonis a Trogo insignitur, non modo hoc libro, sed lib. 30. ut mox videbimus; imò & à Chronographo Alexandrino. Codices Romani hanc lectionem, *custodes Tryphonis* exhibent, quam nos admittimus.

Ibid. *Epacorios occiderit.* Lege, *Apaturius.* Sic enim qui Seleucum Ceraunum occidit appellatur a Polybio libro 4. ab Appiano in Syriacis, & ab Hieronymo in Danielem. Codices Romani mss. habent, *Epatorius*; Colbertini pejus *Epicarium*, aut *Epacorium.*

Libro 28. *Ut ex Macedonia Demetrius sit a Dardanis fusus, quo mortui te KC. filii ejus Philippi suscepit Antigonus Thessaliæ in Asiam Cariam.* Emenda, *Ut exiens e Macedonia Demetrius sit a Dardanis fusus. Quo mortuo tutelam filii ejus Philippi suscepit Antigonus, qui Thessaliam, Mœsiam, Dardaniam subjecit.* Antigonus enim, cognomine Doson, tutor Philippi, Thessalos, Dardanos & Mœsios seu Triballos subjecit. Consule Justinum lib. 28. Codices mss. eo loci sunt depravatissimi. In codice tamen Maximiano leguntur hæc verba: *quo mortuo filius ejus Philippus*, (lege, *Philippi*) *suscepit Antigonus.* Quæ lectionem nobis exhibent veræ proximam.

Ibid. *Amissoque regno Cleomenes Spartanos consu fugit.* Emenda, *Cleomenes Spartanus cum conjuge fugit Alexandriam.* Justinus enim ait, Cleomenem cum conjuge in Ægyptum profectum esse. Codex Maximianus habet, *Spartanus*, non, *Spartanos.*

Libro 29. *Intulit Ætolis bellum.* Emenda, *Atheniensibus.* Secus enim absurda prorsus esset lectio. Finito bello cum Ætolis, non Ætolis bellum intulit, sed aliis, puta Atheniensibus. Vide Livium qui bella ista fusè edisserit.

Adversus Dardanos & Ætolos. Lege ut habent duo codices Colbertini, *adversus Romanos & Ætolos.* Romani enim, non Dardani, contra Philippum Regem Macedonum fuerunt.

Libro 30. *Utrusphone.* Emenda, *Tryphone* (alias Evergete) Pater ejus Philopater Antiochum regem vicit. Codices mss. Romani habent, Ptolemæo Tryphone, ut nos emendavimus.

Ibid. *Vicit Rapici poemare Gathocleæ corruptus.* Locum hunc

corruptissimum in omnibus mss. sic restituo : *Vicit rapiturque ipsi præmium Agathocleæ amore corrupto. Decessit.* Hæc optimè & cum Justino ipso & cum cæteris Historicis conveniunt.

Ibid. *Quibus victus pax.* Emenda, *a quibus victus pax transigitur.* Verbum Librarii omiserunt, delusi affinitate sequentis vocis, *transitus.*

Ibid. *Macchæum.* Emenda, *Achæum.* Notissimus est iste Asiæ minoris Tyrannus. Codd. duo Colbertini habent, *in Asiam Achæum*, legendum *in Asia Achæum.*

Ibid. *Ad regem.* Adde, *Antiochum*, ut habet codex Maximianus.

Libro 31. *Navide Titus Flaminius.* Lege, *Nabide Titus Flaminius.*

Ibidem, *Dux Achaïcorum.* Emenda, *Achæorum.*

Ibid. *Per Achilium.* Lege, *per Acilium.*

Ibidem. *Bellum cum Acholis gestum per eumdem Achilium.* Emenda, *Ætolis*, & *Acilium.* In codice Maximiano legitur, *Ætolis.* Hoc bellum fuse narrat Livius, quem consule.

Libro 32. *Romanorum in Gallia ducem, ambo adversus Gallos bellum.* Emenda, *in Gallia duce Manlio adversus Gallos bellum:* ac lege Livium qui hujusce ducis meminit.

Ibid. *Gallium Orti agontem.* Emenda, *Gallum* (id est Gallo-Græcum) *orti agontem.* Consule Livium.

Ibid. *Parnecem.* Lege, *Pharnacem.*

Libro 33. *Deleta est Epiros.* Id est, Epiri civitates quæ ad Persea regem defecerunt uno die direptæ : urbiumque direptarum homines abducti fuerunt, ut narrat Livius lib. 45. cap. 33.

Ibid. *Deductæ inter Achæos & Lacedemonios.* Ætolicæ civitates ab unitate corporis deductæ (id est civitatum Ætolicarum fœderatarum) respublica unicum quasi corpus efficiens, dissipata fuit a Romanis; quæ fusius narrat Livius. *Inter Achæos & Lacedæmonios certamine orto.* Certamen istud nihil commune habuit cum clade Ætolorum, scribe igitur & disjunge, *deductæ : inter Achæos & Lacedæmonios certamen ortum.*

Ibid. *Cum Pseu-Philippo.* Scribe, *cum Pseudophilippo*, qui antea, Andriscus dicebatur. In codice Maximiano legitur *Pseudo-philippo.*

Lib. 34. *Bellum Eumenis in Pisidias cum Selegensibus.* Emenda, *in Pisidia cum Selgensibus.* Hæc enim Pisidiæ urbs, Selga

ab omnibus veteribus appellatur, Colonia Lacædemonum, quæ contra omnes reges libertatem ſuam propugnavit, ut ait Strabo.

Ibid. *Epiphane ut mortuo Ptolemæo.* Lege, *ut mortuo Epiphane Ptolemæo.*

Ibid. *Cum Timarcho Medorum rege habuit Ariarathe.* Lege, *cum Timarcho rege Medorum & Ariarathe.*

Ibid. *Ut habita inter Ariarathem & Orphernem.* Emenda, *ut habita inter Ariarathem & Orophernem.*

Ibid. *Selegenſibus.* Lege, *Selgenſibus*, ut ſupra. Codd. mſſ. conſtanter retinent *Selegenſibus*, ſed mendoſe.

Libro 35. *Bellum Ripaticum.* Emenda, *Piraticum.* De hoc bello Piratico inter Cretas & Rhodios lege Polybium in excerptis legationum num. 138. & 139. nihil de hoc bello reperies apud Juſtinum. Eò loci depravati ſunt omnes codd. mſſ.

Ibid. *Seditio Chidiorum adverſus Cerinenſes.* Emenda, *ſeditio Cnidiorum adverſus Ceramenſes*, non Cerinenſes, qui tunc nulli erant. Inter ſe diſcrepant codd. mſſ. Vaticanus ſecundus habet, *ſeditio Eginorum adverſus Catanenſes* Sed tunc omnia Siciliæ oppida a Romanis ſubacta pro libitu regebantur a Prætoribus, nec mutuis ſeditionibus laboraſſe veriſimile eſt: Recepta itaque lectio, licet paulum depravata retinenda *Chidiorum*, qui alii a Cnidiis eſſe non poſſunt, veram quidem lectionem deprehendimus. Nec multo longius a vero recedit hæc lectio codicis Maximiani, *ſeditio Egniorum adverſus Ceranenſes.* Cnidii ſeu Gnidii tunc liberi erant & Romanorum ſocii: ad quos Judæorum gratiâ Senatus reſcripſit Machab. 1. cap. 15. At juxta Cnidum Ceramus erat oppidum ut teſtatur Strabo lib. 14. p. 656. μετὰ Κνίδον Κέραμος.

Ibid. *Victus Demetrius.* E duobus Demetriis unum Librarii omiſerunt; primus Demetrius cognomine Soter, hoc bello interemtus ab impoſtore Alexandro, pater erat alterius Demetrii, qui dictus eſt Nicator; reſtitue igitur, *victus Demetrius. Filius ejus Demetrius inviſum ſtultitia Alexandrum bello vicit.* Eo loci peſſimè depravati ſunt mſſ. codices.

Ibid. *Cum Diotoro.* Lege & ſcribe *cum Diodoto.*

Ibid. *Factos per Aratheum & Arſacem factum.* Emenda, *Ariarathem* (Cappadociæ regem ſcilicet) *& Arſacem Parthum.* Id eſt, Mithridatem, cognomine Deum, qui tunc florebant.

Libro 36. *Ut Cypro pulsus Syria Demetrio captaque a Parthis bellum gessit cum fratre ejus cognomine, sed ut Antiochus interfecto Hircano & Judæos subegit.* Locum depravatissimum sic restitue. *Ut Trypho, pulso Syria Demetrio, captoque a Parthis, bellum gessit cum fratre ejus Antiocho, cognomine Sidete. Ut Antiochus, interfecto Tryphone, Hyrcanum & Judæos subegit.* Hæc historia certissima est ex Justino, Appiano & Josepho.

Ibid. *Ut rex Asiæ Attalus Cenos Thracas subegit.* Emenda seu disjunge, *Cænos, Thracas.* Hujus expeditionis Attali Regis meminit Strabo libr. 13. p. 624. Ἐχειρώσατο δὲ καὶ Διήγυλιν τὸν ἐκείνων Emenda, τῶν Καινῶν βασιλέα στρατεύσας εἰς τὴν Θρᾴκην. *Cepit etiam Attalus Diegylin Cænorum regem expeditione suscepta in Thraciam.* De Cænis consule Livium, Plinium, Solinum, Ptolemæum, Stephanum.

Ibid. *Mortuo denique Philometore regno Asiæ occupato, bellum cum Romanis gessit, qua pactus est.* Locus manus & corruptus sic restituendus est. *Mortuo denique Philometore* (Attalo scilicet) *Aristonicus, regno Asiæ occupato, bellum cum Romanis Consulibus gessit, quo captus est.* Aristonicus enim, filius nothus regis Eumenis, conatus est sibi vindicare regnum Asiæ minoris, quod Attalus Philometor testamento reliquerat populo Romano: quæ omnia trita neminique non nota sunt. Vox *Aristonicus*, quæ omnino debet suppleri, in codd. tamen mss. non reperitur. In codice Maximiano legitur, *bellum cum Romanis Consulibus gessit, quo captus est.* Et recte quidem; nam Aristonicus bellum gessit primùm cum Crasso Consule, qui rem male gessit: dein cum Perperna Consule, qui hostem illum pop. Romani victum vivum cepit.

Libro 37. *Ut ultimum Mitridatem Neupatora.* Lege, *ut ad ultimum Mithridatem Eupatora.* Licet in omnibus codd. mss. legatur *Neupatora*, vel, *Neopatora.*

Libro 38. *Ut Mithridate Eupatore, occiso Arathe &c.* Emenda, *Ut Mithridates Eupator, occiso Ariarathe, Cappadociam occupavit.* Quæ notissima sunt ex Plutarcho in vita Mithridatis, Appiano in Mithridaticis &c. In codice Maximiano legitur, *Ariarathe.*

Ibid. *Ut mortuo Ptolemæo Philometore ac frater ejus Ascon accepto Regno Ægypti.* Emenda, *frater ejus Physcon accepto &c.* Frater Philometoris scipsum Evergetem appellabat. At ei de

ridiculo agnomen inditum Phyſconis eſt, ob turpiſſimam ſaginam. Duo codices Vaticani habent Aſton, pro Aſcon, ſeu potius Phyſcon; ſed hæc vox non comparet in Maximiano, retinenda tamen eſt.

Ibid. *Bellumque intulerit, qui cum exercitu ſuo deletus eſt.* Demetrius non fuit interemtus a Parthis, ſed ejus frater Antiochus: reſtitue igitur, *Ut Demetrius captus ſit a Parthis; & frater ejus, victo in Syria Tryphone, bellum Parthis intulerit, qui cum exercitu ſuo deletus eſt.* Ita legitur in codice Maximiano, quîcum concinunt codd. Vaticani. Frater ille Demetrii Antiochus eſt, cognomine Evergetes, ſeu qui vulgo a Syris Sidetes appellabatur.

Libro 39. *Antiocho Yſigeno.* Lege & emenda, *Antiocho Cyziceno.* Codex Maximianus habet, *Cyzigeno.*

Ibid. *Filius ejus Ptolemæus Lathyros, accepto regno, expulſus eſt a matre Cyprum & in Syria bello petitus ab eadem.* Lathyrus non fuit a matre bello petitus in Syria, ſed a Cypro in Syriam fugatus: emenda igitur: *Expulſus eſt a matre in Cyprum, & in Syriam, bello petitus ab eadem, ſuffecto in ejus locum Alexandro, donec occiſa per Alexandrum.*

Ibid. *Laphyrum.* Emenda, *Lathyrum.*

Ibid. *In Cilicia Romani per Antonium.* Emenda, *cum duce Antonio geſſerunt.* Bellum iſtud piraticum geſtum eſt anno ante Eram Chriſti 102.

Ibid. *Ut in Syria Oracleo poſt mortem Regis occuparint imperium.* Locus mutilus & depravatiſſimus. In codicibus quos præ oculis habuerunt editores ſcriptum erat: *ut in Syria Eracleo poſt mortem Regis.* In Vaticano primo: *Ut in Syriam edeo poſt.* In ſecundo Vaticano: *Ut in Syriam cheo poſt &c.* Hic Oedipo opus: verum in tantis tenebris nobis faculam præbet ipſe Juſtinus. Nam ex iis quæ ſcribit ſub finem libri 39. liquet Trogum eò loci narraſſe, quomodo Syri aſſiduis præliis conſumpti, prædæ Arabum genti, antea imbelli, fuerint. Itaque ſic locus iſte reſtituendus eſt: *Ut in Syria Arabes Antiocho (occiſo) poſt mortem Regis imperium occuparint.* Antiochus ille, filius Grypi frater Philippi & Demetrii Eucæri, cum Arabibus decertans, pene victor, occiſus fuit, καὶ δὲ νικῶν ἀπέθανε. Mortuo autem Antiocho, Aretas Arabum princeps, regnum Syriæ Cœles adeptus eſt: Πεσόντος δὲ Ἀντιόχου, βασιλεύει μετὰ τοῦτον τῆς Κοί-

λης

λης Συείας Ἀρέτας. Hæc Josephus Antiq. 13. cap. 23.

Libro 40. *Ut mortuo Cypro rege Cyzicenus.* Emenda, *ut mortuo Grypo rege Cyzicenus.*

Ibid. *A filio Cyziceni Esebe extinctaque regubi Antiochorum domo.* Lege, *a filio Cyziceni Eusebe: utque extincta regum Antiochorum domo.* Codd. mss. Romani habent, *extincta regum Antiochorum.*

Ibid. *Ut Alexandriam Latyrii substituti sint ejus filia alteri data Cypros.* Emenda, *ut Alexandriæ post interitum Ptolemæi Latyri, substituti sint ejus filii, alteri data Cypros.*

Ibid. *Post Claudii rogationem.* Emenda & lege, ut habent cod. 2. Vaticanus & Maximianus; *Publii Claudii rogatione.*

Ibid. *Seditione flagitatus Alexandreæ Romæ profugit.* Emenda, *seditione exagitatus Alexandriæ, Romam profugit.* Cod. Maximianus habet, *Romam.*

Ibid. *Regem Ptolemeïcorum.* Emenda, *Regnum Ptolemæorum,* sic habet 2. cod. Vaticanus.

Lib. 41. *In Partilis per Alsacem regem.* Lege, *in Parthis per Arsacem regem.*

Ibid. *Et Tygranes, cognomine Deus.* Emenda, *Mithridates.* Rex enim ille Parthorum qui subegit Mediam & Mesopotamiam, non appellatus est a Trogo Tygranes, sed Mithridates, ut liquet ex Justino, quîcum cæteri historici conveniunt.

Ibid. *Ut Bactrianis autem rebus, ut a Diudoto rege constitutum est.* Emenda, *Diodoto regnum constitutum est.* Diodotus dux fuit Græcorum Colonorum, qui ulterioris Asiæ plurimas provincias occupaverunt. Horum gesta ex veterum fragmentis collegi in Annalibus meis Arsacidarum.

Ibid. *Quo repugnate.* Lege, *quo Rege pugnante.*

Ibid *Sarancæ* &c. Lege, *Sacarancæ & Ursiani Bactros occupavere & Sogdianos.*

Ibid. *Indicæ res additæ gestæ per Apollodorum & Alexandrum reges eorum.* Locus depravatissimus: nam Apollodorus rex Græcorum Bactrianæ nullus fuit. Imo Apollodorus fuit celeberrimus & antiquus historicus, quem laudat Strabo. Scripseratque Indica & Bactrica, fuséque enarraverat gesta Menandri, & Eucratidæ regum Bactrianorum, ut narrat Strabo. Locus sic restituendus: *Indicæ res additæ, ex Apollodoro, gestæ per Menandrum & Eucratidam reges eorum, Bactrianorum scilicet & Socdianorum.*

Libr. 42. *Ut Præfectus Parthis Apreteus &c.* Lege pro *Apreteus, a Phraate Imerus Messenis bellum intulit, utque in Babylonios & Seleucienses sæviit, utque Phraati successit.* De hoc tyranno Himero plura dixi in Annalibus Arsacidarum.

Ibid. *Reges Toclarorum.* Emenda, *Tocharorum*, a Tocharis dicta fuit regio, quæ etiamnum appellatur Tocharistan.

Ibid. *Serducarum.* Serducarum vox non est corrupta. Isti iidem prorsus sunt ac Scythici Laraucæ, quorum meminerat Trogus superiore libro. Hi apud Strabonem scribuntur Σαράχαυλοι, emendo, Σαρχάκαντοι, *Saracanci*, vel *Saracancæ*: alii prorsus a Larancis, nam Larancæ, vel Zarangæ iidem sunt ac Drancæ seu Drangæ, qui nequaquam Scythæ erant; sed ab illis Scythis subacti & devicti. Emenda igitur *Sacarancarum.*

Libr. 43. *Et res usque ad Priscum Tarquinium.* Emenda & lege, ut habet secundus cod. Vaticanus, *& Reges*, Romanorum videlicet, *usque ad Priscum Tarquinium.*

Ibid. *Liguriæ & Massiliensium.* Lege ut habet idem codex 2. Vaticanus, *Ligurum & Massiliensium.*

F I N I S.

INDEX.

A.

C.

Cœmeterium

D.

F.

Forma

H.

I.

Laterculus inſcriptionum Latinarum quæ in Diario circumferuntur.

Inscriptiones Græcæ in Diario.

L

M.

Monte-

N.

O.

P.


Q.

X.

Z.

FINIS INDICIS.

[illegible]



DIARIVM
ITALICVM